This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

Chr Dogm

Theological School
IN CAMBRIDGE.

The Gift of
COL. BENJAMIN LORING.

HULDRICI ZUINGLII

OPERA

COMPLETA EDITIO PRIMA

CURANTIBUS

MELCHIORE SCHULERO ET IO. SCHULTHESSIO

VOLUMEN SEPTIMUM

EPISTOLARUM

A ZÜINGLIO AD ZUINGLIUMQUE SCRIPTARUM

PARS PRIMA

DIVINITY SCHOOL
LIBRARY.
HARVARD UNIVERSITY

TURICI APUD FRIDERICUM SCHULTHESSIUM
1830

608.2
Z98.1
1828
v.7
Cop. 1

PRAEFATIO.

Serius aliquanto quam cogitaveramus in lucem prodit primum Volumen Epistolarum a Zuinglio ad Zuingliumque scriptarum, quamquam id genus reliquias Zuinglii dudum permulti unice desiderarent. Et merito quidem. Nam ceteris eius scriptis opera traduntur olim proposita in publico, non autem quae domi et intra parietes privatos apud notos atque amicos senserit, cogitaverit, egerit, quae uni tantum et alteri aperuerit arcana. Hac igitur epistolarum communicatione in familiaritatem eius intimam admittimur, ac penitus edocemur, quantum ea, quae professus est ac fronte tulit vultuque, cum mente eius et voluntate congruerint, hoc est quanta viri veritas et integritas fuerit. Necnon discimus, si quid humani acciderit viro animumque paulisper obturbaverit magnum; quid consiliis, adhortationibus, monitis amicorum, sociorumque adiumentis acceptum tulerit quaeque vicissim auxilia et beneficia contulerit in eos; quid contra quam meditabatur et moliebatur, quid supra votum, successerit. Denique has epistolas legentibus tantum virum per ioca et seria, laeta et tristia prosequi licet, per omnes casus, unde uberrimus certe fructus ad rerum aestimationem inprimisque ad eam, quae omnium utilissima

est, humani animi et ingenii experientiam redundabit. Neque enim solum Zuinglium cognoscere licet, sed numerum virorum, quibuscum ei varius et multiplex usus intercessit, omnis generis necessitudo et communitas, vel etiam controversia et obtrectatio, illustres, obscuros, ingenuos, malitiosos. Quam maxime vero amplectemur et non minus Zuinglio, si non admirabimur, adamabimus certe Oecolampadium, Vadianum, Hallerum, Capitonem, alios, quorum probitate, religione, modestia, pietate nihil candidius cogitari potest. Quid, quod e talibus amicis ipse Zuinglius cernitur. Amicos enim eos habebat, non assectatores et assentatores pene serviles, non superiorem se gerebat ac regi corrigique ab iis malebat quam ipse regere pares. Nobis quidem haud constat, an ullum exemplum amicitiarum generosius, dulcius, venerabilius usquam reperiatur, quam quod haec epistolarum silva inter Zuinglium eiusque amicos commutatarum proponit. Tacemus quantum luminis inde notitia illorum temporum nanciscatur, quae complementa litteraturae accedant.

Non solum epistolas omnes, quae sparsim antehac in vulgus editae sunt a Bibliandro, Henrico Hottingero, Fuesslino, Sal. Hessio, a Zuinglio ad Zuingliumque scriptas, in unum congessimus, sed plurimam partem anecdotas, quae in archivis adhuc delituerant, vel reconditissimas. Est una certe epistola, quam nisi nos Tigurini summam preli libertatem haud ita pridem obtinuissemus, in lucem edere non permissum esset. At vero vel sic nonnulli nos impietatis in parentem ecclesiae patriae postulabunt, quod eam prodidimus in publicum. Sed ipsum nos appellamus Zuinglium, qui sanctorum unus, quales Pontificii innumeros crearant, minime haberi volebat, quamvis tam sanctus

esset, ut eum viventem plurimorum adversariorum nemo ullius peccati coarguerit, quodsi ullo modo potuissent, cupidissime fuissent facturi. Adolescens quidem, vigore corporis animique alacritate exuberans, nullis coenobii carceribus unquam conclusus, omni potius libertate vitae communis domi militiae utens, apud omnes ordines ac sexum utrumque propter suam comitatem, facetias, artes ludicras acceptissimus, eam continentiam, quam praeter naturam clericis Romanus pontifex iniunxerat, neque is serio, facile connivens et indulgens peccantibus, modo si iustis abstinerent matrimoniis, quamque migrasse aevo illo nemini ducebatur crimini, nemine quod quereretur habente, eam igitur continentiam semel et iterum fortasse migrabat, modice quidem et occulte propter verecundiam, quamdiu per sacrum caelibatum illum veram castitatem ex praescripto Apostolico (Thessal. 1, 4: 3, 4) colere non posset, illo *nimi*rum charismate iuvenis egens, quo Paulus aetate provectus demum gaudebat. Sed vehementer pudebat ipsum ac poenitebat apud animum suum; quumque voluptatem illicitam abunde satis explendi copia esset, fastidiens omnem lapidem movebat, ut istam *διδασκαλίαν δαιμονίων*, cuius noxam ipse expertus esset, aboleret salvaque conscientia naturae legem, id est divinam servare posset. Haec igitur culpa futuro reformatori *εἰς ἀγαθὸν συνηργηκέναι* videtur, quo acrius ab ea quoque parte lacessitus esset, ut causam culpae et sibi et aliis adeo lubricam tolleret legemque *τῶν παραβάσεων χάριν* latam abrogaret. O si hodie Clericorum eius ecclesiae, quae vult Catholicam se haberi, quicunque per illud inventum Daemonum sese ustos esse veramque continentiam aliquando plus minusve laesisse, sibi conscii sunt, omnes ubique consurgerent una aut

maiorem certe partem, ac propalam declararent populis principibus, religionem ipsis esse atque ad suam iposrum expiationem salutemque succedentium aetatum necessario pertinere dirissimae huius legis detestationem, quemadmodum ante haec tria secula Zuinglius primus cum sociis fecit: nunc profecto res prospere cessura esset. Sed, eheu! nimis adhuc multi curant famam, ventrem, pauci conscientiam maluntque adeo furtivis amoribus ac Venere impia frui quam iusti matrimonii castitate. Ceterum si de Sanctis illis et priscis et recentibus non fabulae fictae circumferrentur, sed historia vera vitas eorum enarraret, nihil dissimulans et celans; si suas quisque confessiones memoriae prodidissent, ut Augustinus et Hieronymus: quis tandem, credere licet, aut quotus quisque superforet ab omni labe purus, nostro sanctior Zuinglio, per similes occasiones tot ac tantis stimulis atque illecebris affectatus? Nobis quidem in suspicionem eius vitii, quo capitalius nullum est, hypocriseos, cadunt ii, qui aut nihil nisi bona et pulchra de semet ipsis praedicantes tantum non eloquuntur, ὅτι ἁμαρτίαν οὐκ ἔχομεν, aut πρώτους τῶν ἁμαρτωλῶν sese appellitantes ut Paulus, contra quam Paulus nullam culpam certam fateri sustinent, sed vel manifesta quae commiserunt peccata honesto quodam nomine praetexunt. Si verum est quod Seneca dixit: Peccavimus omnes nec delinquimus tantum, sed usque ad extremum vitae delinquemus. Etiamsi quis tam bene purgavit animum, ut nihil obturbare eum amplius possit ac fallere: ad innocentiam tamen peccando pervenit; si haec ita sunt: nihil est quod homines homini Zuinglio exprobrent. Sin autem ad innocentiam pervenit peccando, tam sanctus extitit, quam quisquam mortalium potest. Pervenisse autem inde

ab illa confessione, maxima nubes testium adest, amici et inimici, universa civitas Tigurina, cuius in medio versans per undecim annos vitae postremos mille oculos undequaque in se intentos habebat, ut si quid facto dictoque deliquisset, partim alienati descivissent, partim optatissimam occasionem deturbandi exagitandique virum captassent. Nos igitur sinistre profecto Zuinglii cultores ageremus, quo ardentiorem et veritatis cultorem et fraudis inimicum neminem scimus, si quod eius delictum reticeremus. Tantis laudibus omnem maculam eluit; tantis meritis omnem noxam repensavit, rebusque pariter ac verbis docuit, Christianam vitam nihil aliud esse quam perpetuam poenitentiam, quam quidem agere nemo posset ab ineunte aetate innocens natura vel nullius delicti pudore affectus. Sed haec hactenus. Nam amicissimus noster I. M. Schulerus in Apologia Secularium et historiae Reformationis, Lipsiae et Turici 1820. edita, Zuinglium ab hac parte pag. 55 sqq. luculenter defendit. Videatur quoque Historia Confoederatorum inter discessionem ecclesiae, auctore I. I. Hottingero.

Duplices magnam partem et editoribus labores et operis redemtori sumtus inde redundabant, quod optatis popularium praesertim gratificantes, quae initio latine tantum reddita promiserant ab ipso Zuinglio et suis vernacule scripta, ea dialecto patria quoque prisca illa, bifariam igitur edenda susceperunt. Hinc in epistolis quoque complures occurrunt a nobis latinitate donatae, subiectis autographis vernaculis, sic tamen, ut quas propter infantiam stili et argumenti levitatem nimis parum referre videbatur geminari typis, latine tantum praebere satis habuerimus. Id quod suis locis adnotationes indicabunt, unde legentibus iudicium erit quo merito chartis pepercerimus.

Ignoscantur quaeso mihi correctori, exactae prope aetatis, si quae deprehenduntur hallucinationes, praesertim quum compendia litterarum vel ductus nimis ambigui aut vetustatis dente fere exesi memet ipsum cum typothetis male haberent. Procedente opera demum acquisivimus facilitatem aliquam. Verumtamen sperare licet, menda, quae intellectum perimant, intervenisse pauca, eaque extremo volumine altero diligenter notabuntur. Si cui libet, conferat earum epistolarum aliquot, quas alii ante nos typis mandarunt, nostramque inde diligentiam iudicet.

Omnes tandem viros litteratos repetitis precibus, quam maxime possumus, precamur, ut si quid scripturae Zuinglianae in bibliothecis publicis aut privatis vel in archivis, quae ipsis patent, retegere detur, nobiscum gratiose communicent itaque de hoc immortalis viri monumento eiusque cultoribus bene mereantur. Non abolescet gratia facti, per hoc ipsum opus memoratura. Ex epistolis potissimum manifesto cernitur, quos ad homines et ubi degentes scripserit Zuinglius, quique et unde litteris eum impertierint; ergo vestigia certe non desunt indagare volentibus, et aliqua spes reperiundi Zuingliana, sicubi horum virorum aliquae chartae sunt reliquae.

Turici, Cal. Novembr. MDCCCXXX.

IOANNES SCHULTHESS.

ZUINGLIANAE EPISTOLAE.

M D X.

I.

HENRICUS LORITUS[1] ULDRICO ZUINGLI S. D. P.

Quam sunt, vir humanissime, gratum munus tuae literae, ut iis nil lubentius videam, nil magis exoptem, quae omni decore, omni lepore, salibus cunctis undique scatent, fluunt ac locupletissime redundant! quas dum lego, in extasi me positum possem phantasmatibus somniare. Hic etenim gravitas resplendet, hic rhetoricus ornatus tumescit, alibi sonoritas in tantum aures demulcet, ut nescias cui ex iis palmam tribuas. Coepi eas revolvere et ad ea quae scribis paucula respondere. Ptolemaei in geographiam librum *Agrippinae* non invenio propter *Venetiana* proelia:[2] aliunde enim nescio an haberi possit. *Romae* enim excussus est liber, quem mihi Consul *Agrippinus Ioannes Rinchus* commodato dederat, aereis quidem tabulis, Correctore *Domitio Calderino*;[3] nihil autem ad Ptolemaei VIII libros additum est. Meus autem liber tabulas plures habet a *Nicol. Germano* additas, et Indicem seu (ut sic dicam) Registrum commentatoris *Iohannis Riegeri Chetaorii*. Ptolemaeo enim et Straboni simul vix media aequinoctialis portio cognita fuit, quae ut ab insulis Fortunatis ad *Sinarum* metropolim graduum 180 secundum longitudinem, latitudo a Thyle seu (ut Strabo habet) *Θούλῃ*,

---

1) *Henricus Loreti*, a *Mollis*, pago Glaronensium oriundus, unde Glareanum sese appellat. Vid. Epist. VII. 1519. Domus paterna eius adhuc superest *am Steinacker* in *Mollis* apud tilias, ubi haberi solet civium conventus. Natus est die 28. Maii 1488. Cum *Zuinglio* et *Vadiano* Viennae studiis operam dederat; postea Coloniae, ubi philosophiam excoluit atque Magistri honores adeptus est. Anno 1511 quum patriam visisset, 1512 rursus Coloniae agebat, ibique *Maximilianus* I. Imperator laurea poëtica coronavit Loritum (Zu. ad Vad. 23. Febr. 1513). Deinde *Basileae*, *Tiguri*, *Lucernae* reperitur. Attamen inde a 1514 Basileae versatus esse videtur, ubi iam litterarias profiteri artes coepit. 1521 *Lutetiam Parisiorum* migravit, regioque ibi utens stipendio ampliorem Graeci sermonis facultatem sibi comparavit *Io. Lascaris* ope, simul aedes et victum atque operam locavit Helvetiis adolescentibus litterarum ibi studia sectantibus. Post triennium rediit Basileam, ubi praesertim poetica et mathematica docebat. Familiarem aliquamdiu cum *Erasmo* amicitiam tenens postea refrigescebat. Alienabatur etiam a *Zuinglio*, quum qui reformationi principio magnopere favisset, inimicum eius sese gereret. Quae quum 1529 *Basileae* victoriam obtineret, *Friburgum Brisgoviae* se contulit, ubi professor historiae et poeseos factus est. Obiit 28. Maii 1563. Opera eius constant in carminibus, commentariis ad Classicos, lucubrationibus de arte poëtica, musica, geographica, arithmetica aliisque rebus. (Henr. Tschudii Chron. Glaron. p. 35. sqq. 718. Athenae Rauricae etc.)
2) Bellum Venetiae cum sacro foedere Cambrensi. 3) Veronensis, qui vertit atque commentatus est plures Classicos.

Thule, usque ad *Prasum* promontorium graduum 78 1/3 1/12, seu ut ad integra veniamus, graduum 80. Nostra autem tempestate altera pars aequinoctialis ibidem inventa est a *Lusitanis*. Longitudo quidem omnino; at latitudo ad Austrum pene ad 50 gradum. Sed de his satis. Isagogen[1] cum auctore suo potius *Basileae* quam *Agrippinae* comperies. Ego eam rem interpretandam suscepi, sed qua iam omnis homo adversa valetudine laboravi. Quapropter donec peregrinatio ad *Aquisgranum* oppidum finietur, suspendi. Miro enim affectu Te expectabam, sed spe falsus sum quamquam et literis suavissimis contentus. Sed amplius (etsi sulcum hic relinquo) nescio quamdiu *Agrippinae* manere queam. Cibus enim mihi contrarius quem stomachus minime decoquit, ut me hercle omnia edulia mihi nauseam procreent. Potus quoque non Bacchi nec Nympharum, sed Cereris continuus. Quae res ita me monet, ut *Basilicam* urbem, ubi clarissimi fontes cibusque melior, quotidie somniem, ea lege, ut lectio mihi philosophica in via seu secta *Scoti*[2] daretur. Cuius doctrina luculentior et verior Neotericorum de Termino, figmentis atque nugaculis. E nostra vero regione qui me plus iuvare et velit et possit, te meo patrono scio neminem. Nolim enim pater mihi succenseat, si patriam modo non repetam. Etenim ut sacris initier aetatem nondum habeo, nec sacerdotia in nostro pago *Mullis* expetam, ubi annuatim tanquam caprarum custos eligerer. Si autem perpetuum habere queam, tu meam causam (quandoquidem potes) agas, quam maxime rogo. De *Pico* autem *Mirandulano*[3] iam nihil scribere ausim: aliis enim obruor negotiis. Ego quod petiisti impiger effeci, puta carminum melos sane subraucum et stridulum ad te mittens. Verum id adveniente graviori aetate lima perspicacissima purgabo.[4] Tu modo vale et valedicentem ama. *Agrippinae* ex lacydio nostro 1510 tertio Idus Iul. (13 Iul.)

Nostratium victoriam, quam de Austris in *Naefels* habuere, carmine heroico canere nuper incepi.[5] Tu mihi de *Basilico* studio, et quomodo hac in re me habeam, quam citissime dum poteris rescribito. Ego enim *Agrippinam* non derelinquam; ni certus sim, quid mihi *Basilia* concinnet. Multa enim *Agrippinae* debeo, ita ut in anno vix exsolvam.

Inscriptio: *Uldrico Zuingli*, viro omni eruditione claro, nobis mellitissimo.

---

1) Grammatica Graeca (cuius auctor Chrysoloras?) 2) *Duns Scotus*, Scholasticus, natus 1275, mortuus 1308, adversarius *Thomae Aquinatis*. 3) Zuinglius lectitabat scripta *Pici*, Principis de Mirandula. (Schuleri Historia Zuinglii adolescentis, pag. 18, 300 sq.) 4) Aliquot elegi, vero simile videtur, musicis modis instructi, quos 1516 in lucem edidit Zuinglio dedicatos. Vid. Epist. VII. 1516. 5) „Suo tempore editurus in lucem." Myc. Comm. in Glar. Panegyr. „Hanc pugnam poeta, ut vix credibilem, heroico carmine iuvenis olim luserat, sed certis de causis non edidit." ib. Accessiones.

M D X I.

I.

IOACHIMUS VADIANUS[1] UDALRICO ZUINGLI PLEBANO GLARONESIO S. D.

En Tibi *Udalrice*, virorum optime et bonarum literarum amantissime, orationes duas, quas *Arboyastus* noster *Glaronesius*,[2] dum vita fungeretur, tumultuario labore scriptas, ritu scholastico *Viennae* iussue habuit, alteram in Ursulae et Virginum reliquarum, quae fuere comites, tandem alteram in D. Catharinae, quae a Professoribus artium liberalium tutelaris passim Dea decernitur, honorem et commendationem. Quae licet cothurnum usque quaque non sapiant, non tamen est, quod eas succo quispiam dicat obtorpere, cum hic et sententiarum sit electa gravitas et vocum usurpatio non sane proletaria, quas tibi eo libentius inscripsi, quod vivens ipse non parum multa se Tibi debere non semel fassus est: ratus subinde me quam optime locare operam, si demortui loco, cuius, si vixisset, erat dicare, quae relicta sunt huic offerrem, cui omnium in vita optime voluerit, quemque, nisi intervenissent Parcarum inevitata conamina, privato celebrasset eulogio. Eas autem eum leges (saepius autem lecturum non dubito), in animo cogita: non quanta sint quae legas, sed quantum sperare de homine licuisset, vixdum adolescentiam egresso, ni fati non exorabilis severitas immatura messe, sive potius calamitate turbida, magnae aestimationis frugem succiderit. Sed quia mori decretum est, eius praecox obitus minus me discruciat, tametsi moerorem potius dissimulem quam extinguam. Fuit enim, ut ipse scis, mihi oppido familiaris tum ob singularis industriae ingenium tum ob studiorum conformitatem et humanissimos in eo mores; quibus evenit, ut quemadmodum vivus apud omnes gratiosus erat, ita mortuus omnibus moerorem attulerit non mediocrem. Verum ego, ne tuum de ipso dolorem exulcerem, *Arbogastum* humanis exutum superis commendo calamumque subtraho; hoc unum prius Te moniturus humaniter, ut Epitaphia et Eulogia, quae in eius meritam memoriam homines posuere, non ita perstringas, ut ne quae ipse cogitaveris sisve cogitaturus quoque subiungas.

Tum carmina pleraque a *Glaronesio* tumultuarie (ut maxime solebat) conscripta nostrosque Elegos de morte, quos tunc eo mortuo inter moerendum animo parum securo, parumque, ut ferebant tempora, studiose compegi,[3] ita legito, ut omnia boni consulas. Vale et *Arbogasti* manibus bene precare! *Viennae Pannonicae* V Id. Aprilis (9. Apr.) 1511.

---

1) Vid. Opp. I. 465. 2) *Arbogast Strub.* 3) In lucem prodiere hoc titulo: *Arbogasti Strub* Glaronesii Orationes II, quas dum in humanis fuit habuit; deinde nonnulla mortuo a doctis viris Eulogia Epitaphiaque pie posita. Carmen item de morte per *Ioach. Vadianum.* Viennae Pannoniae apud Hieron. Philovallem et Io. Singrenium, quorum expensa haec excusa sunt. Anno MDXI. XVI. Cal. Maii. (*Usteri* additamenta ad Zuinglii Biographiam.

II.

ULDRICO ZUINGLI, DOGGIO ARTIUM MAGISTRO ET SACRAE RELIGIONIS PRESBYTERO GLAREANAE CLASSIS NAUCLERO ET ANTESIGNANO HENRICUS LORITUS GLAREANUS.

Quod ad me dedisti carmen,[1] *Uldrice* incundissime, acute perspexi, et dum singula discuterem dubius eram, an elegantia et latinitas sapida sententias graves, an doctrina et philosophicum pondus eloquentiam vinceret. Viderunt docti viri literas tuas et simul laudantes comprobarunt. In eo tamen plus ingenii vires et subtilem inventionis industriam ostendisti quam verborum concinnitatem, quod et plane considero et tu ipse confiteris. Sunt mihi tamen oblati nescio qui latentes scrupuli, de quibus me certiorem reddes dum ad te venero. Ceterum quod iubes, ut corrigam, si quid erratum conspicerem, facerem lubens si indigeret. Sed nihil ibi corrigendum video; totum purum, totum recte a te comportatum, ut mehercle inepto meo iudicio opus non sit. Verum dabis mihi veniam, si diligenter quaero, an impune haec duo pronomina *me* et *te* corripi valeant? Nam, ni fallor, semper longata inveniuntur, quae tu ambo corripuisti, dum caneres:

Pastor: Non *te* latet patris quanta atque patrimi
In *me* tui viguit probitas spectata fidesque.

Sed non dubito, quin ratione aliqua ductus haec posuisti; quae vero ea sit, me fugit. Volo autem cetera diligentius inquirere, dum ad te venio. Nam quanta tibi debeam, quod et erga parentes et sorores ceterosque omnes amicos in meam rem locutus es, certe non video, quo aequum Tibi unquam faciam. Tu vero sinceram meam in te voluntatem et dilectionem ita intellige, ut paucos admodum inveniam, quibus te vel non praeponam vel aequalem praedicem. At quod iam saepius scripsi, repeto, me velle lares paternos visere, si non bella et latronum insidiae impedient. Et forsitan ita rem meam disponam, ut ad Glareanae aedis sacrae dedicationem advolitem. Nil tamen promitto: nam quae ventura sunt et nescio et ignoro. Miror autem non modicum, cur *Iohannes Herus* nil mihi rescripserit, dum agnati nostri tanto tempore *Glareanae* fuerint. Tu ipsum nostro nomine salutes et sororem meam,[2] cui quoque quantas agerem ego gratias, dum adessem, Tu agas, plurimum

---

Fascic. II. pag. 37, 38. e *Denis* historia typographorum Viennae usque ad MDLX. 1782. Nro. 51.) Ab eodem sunt conscriptae *Silvae de laudibus patriae.* Viennae 1510. Myconius: „*Arbogastus Strub* cognomento, qui dum in vivis esset, non mediocre decus fuit academiae Viennensis.“ Vita Zuinglii.

1) Fabula de Tauro et aliquibus belluis. Simulacrum eventorum praesentium. (Vid. Schuleri historia Zuinglii adolescentis. p. 70 sqq. 325 sqq.)

2) Verosimiliter *Heri* uxor. Alteram sororem Glareanus Naephelsio *Schulero* cuidam nuptam habebat. Vid. Comment. Glar. in Panegyrin: „Adde his (scil. Arbog. Strub et Aegid. Tschudi) *D. Henricum Schulium*, Nephelinum, poetae *ex sorore* nepotem, in rebus mathematicis non mediocriter eruditum.“

rogito. Caetera, quae velim suo tempore subiungam. Vale felix. *Agrippinae* ex gymnasio Divi Aquinatis. Anno a natali Dominico MDXI, decimo quarto Calendas Maii. (18. Apr.).

P. S. Iocus:

Wenn ich kumm, ſo wellent wir guter Dingen ſyn. Latine: Dum venero, bonarum rerum esse volumus et canere in trumpis.

III.

ULDRICO ZUINGLIO, DOGGIO, GLAREANAE ECCLESIAE PASTORI ET VIRO PHILOSOPHO NOBIS APPRIME COLENDO HENRICUS GLAREANUS S.

Dii boni quam invitus, charissime Uldrice, a Te discesserim! nec unquam credo tanta passione cor meum motum. Interim dum Philosophiae studerem, quod pientissima confabulatione tua praesens uterer, quod rursus societate tam laeta privarer, quod demum in exilium mihi eundum erat, haud credes, quali motu cor meum concuteretur. Verum nunc sedatus quiesco, Salvi enim omnes, (Deo sit gratia) et fortunatissime portum attigimus. Quae res hoc effecit, ut nil amplius mihi dolendum sit. Sed audi! *Basileam* veni, quaeque ibi inquirenda erant diligenter fecimus; sed forte parumper sinistre. Nam dum Presbyterum *Gualterum* quaererem, ecce Doctor, de quo Tu mihi sermonem feceras, obvius nobis erat. Hunc ego mihi ter rogavi, anne *Gualterum* hunc, quem dixi, cognosceret. Etiam, respondit. Tum ego literas me illi dare spopondi. Ille rursus, a quo essent datae, rogat. Tum in Magistri *Gregorii*[1] et *Tui* mentionem devenimus: nam ego eius notitiam non habebam. Respondi ego bellule vos valere et futuros vos *Basileam* ob petitionem Doctoris *Wentz.*[2] Tum subito ille subridens: quidnam de illo vos iudicaretis. Respondi omnia bona; nec satis posse vos eum laudare: me quoque olim velle illi commendari, ut si quid in vos commeruissem, opera vestra et simul eius *Basilicam* olim urbem ingrederer. Tum ille demum, se eum esse de quo loquerer. Ego revera omnino veritus, quod eum non noverim, rogavique ut si quid de ore nostro cecidisset, quod pias aures offenderet, ipse ignoscere velit. Tum ille, nil meam confabulationem sese aegre ferre dixit, velleque pro me laborare, ut olim *Basileam* venirem. Restat ergo ut vos quoque pro me quicquam enitamini, ut post triennium *Basileae* quid habeam. Hoc unum oro, peto, obsecro. Nil enim nocebit vobis bonum verbum mihi in rem meam supplantasse. Neque enim vobis neque urbi Basilicae (ut bene confido) dedecori ero; sed iam vale et omnes bonos viros meo nomine salutabis. *Coloniae Agrippinae* anno Dom. 1511.

P. S. Rogo mi Uldrice, *Ioanni Hösli* dicas, ut pecuniam *Coccae* mittat; ant citissime nuntium in patria habebit. Scripsi ei forte satis rigide. Tu, si potes, eius epistolam vises.

---

1) Binzli, fortasse. 2) Vid. Epist. 5.

IV.

HONORABILI VIRO
DOMINO MAGISTRO UDALRICO ZUINGLIO
DOMINO ET FAUTORI SUO SINGULARI, RECTORI IN GLARONA S. D. P.

Transactis superioribus diebus Literae tuae, Magister *Udalrice*, dum moram apud *Thermas superiores*[1] duxeram, ad me per quendam iuvenem datae sunt. Inter alia in literis contenta Te super beneficio tuo aedis S. Petri a Magistro *Io. Kabler* esse citatum significasti; cuius autem intentionis esses, Magister *Gregorius Bintzlin*[2] cum me visitaret ad *Thermas* certiorem faceret. Nec venit, ut sperabam, nec Tu lentus in umbra saxosa interim mihi aliquid scripsisti; parvi pendens citationem factus et contumax. Denuo me existente in *Luffenburg*[3] per sex septimanas pro sanitate recuperanda ad purgandam contumaciam in pulpito chori et valvis ecclesiae S. Petri es citatus per eundem, ut iuris est. Nemine comparente in termino ipse accusavit contumaciam tuam petendo ulteriores processus excommunicationis et obtinuit. Vidi enim literas excommunicationis sigillatas in aedibus meis secunda feria post Dominicam, *Gaudete!* Deprecatus sum Magistrum *Ioannem*, ne Tibi excommunicationem insinuaret; nec publicaret donec et quousque literas meas acceperis. Quapropter his literis avisatum Te habere volo et certiorem facere, ne incurras excommunicationis sententiam in isto iam festivo tempore. Nam magni Tibi esset periculi et dedecoris. Si flocci facis beneficium non praetendens litigare propter execrabiles expensas, amice possessioni cede! Si vero secus vis agere et tuam possessionem defendere iure, necessarium esset, ut aliter Te disponeres comparendo in terminis vel constituendo procuratorem.[4] Hoc quod honori et utilitati tuae conferre potest facias, et quantocius poteris, de his me certiorem reddas! Omnibus modis labora, ut iste nuncius amice recedat, quia literas Excommunicationis habet penes se, vel dimittet in *Turrego*, ne Tibi insinuentur. Salvum meo nomine dicas *Gregorium* et *Walterum* lentos in providendis beneficiis. Reddent rationem Deo citoque revocabuntur. Timeo *Gregorium* esse privatum dextra manu, vel in *Weseno* esse magnam penuriam vel carentiam atramenti et papyri iudicio meo, quia rariores sunt eius mihi literae albo corvo. Vale! valeant et ipsi! Tuus *Io. Henricus Wentz.*

---

1) *Thermae* Helveticae discriminis causa *superiores* dicuntur a Thermis in regione Rhenana. 2) Hoc tempore Caplanus, postea pastor Weseni, ad lacum Valenstadianum; qui locus duas horas abest a Glarona; prius praeceptor in schola S. Theodori Basileae, quo Zuinglius ibi usus erat. Confer. Ep. f. 1513. Not. 4. 3) *Laufenburg*, unum oppidorum silvestrium ad Rhenum. 4) Agebatur de possessione, ut coniicere licet, ecclesiastici beneficii, quod Zuinglius Basileae habebat.

MDXII.

I.

HULDERYCH ZUINGLI IOACHIMO VADIANO S.D.P.

Fecisti, mi Ioachime, rem Te satis, me haud dignam, quando suaves nostri *Arbogasti* musulas sub nostro nomine publicasti. Sed ita te facere benignissima humilitas docuit. De hoc satis. Praesentium ostensor frater mihi germanus est,[1] [illegible]n rusticae admodum indolis: quem quo Philosophiae sacris initiandum mitterem, cum mecum ipse volutarem, tu semper occurrebas. Eum igitur runcinis, asciis, rutabulis, per amicitiae dulcedinem precor, expolias, edoles, laeviges. Habebis scio obsequentissimum. Quod si recalcitrare fuerit ausus, nihil impediente religione carceri mancipa, donec petulantia deferveat. Habet per annos duos L aureos, unde et parsimoniam servet, oportet. Venit et alius ad Te *Margarethae Silinen* filius, puer impubes, et ille item optimae indolis. Tu in omnibus eis boni semper consule! Novas res ad Te scribere molienti negotia interveniunt. Tu his brevissimis contentus esto![2] *Claronae* IV Nonas Oct. (4. Oct.) 1512.

Iamiam enim cum haec scribo, ex officina abeo. Vale et me dilige! Haec explicatioribus, quando opportunitas dabitur, supplebo. Volui multa, sed non potui.

MDXIII.

I.

HULDRICHO ZUINGLI VIRO PHILOSOPHO GLAREANORUM RECTORI FRATER IACOBUS ZUINGLI S.D.P.

Utinam Deus omnitenens, superbonusque ita ferret, ut quanti ego tuam facio liberalitatem fraternitatemque, tanti in meum studium facere possis! Quod quidem non despero: abs Te enim quum exemplis adhortationibusque (quibus locum non relinquere degenerantis esset) augeri possum, tum a M. *Ioachimo Vadiano*, cuius nunc alumnum ago, omnium scientiarum flosculis rivulisque enutrior, a quibus Philosophiae insciens discedere nephas esset. Iccirco vitio neque hoc neque illo polluar; quin non iugi labore contendam, non dubita! Unica tamen cura mihi relicta. Iis aureis 50 mihi destinatis biennio vitam traducere non possem. Haec non meopte Marte non quod gulae adeo deditus sim, queror. Vivo hercle minus delicate. Eduliis ex Bursa allatis vescor, aquam, quae nulla benedictione pristinum saporem amittere dignatur, potare cogor. Verum a Ioachimo monitus praeter hos XV

---

1) *Iacobus Zuingli*, septimus fratrum Zuinglii, obiit monachus in monasterio Schotorum Viennae 1517. 2) Huic epistolae addita de Gestis inter Gallos et Helvetios ad Ravennam, Paviam aliisque locis relatio Haldrici Zuinglii, quam in historica parte proferemus.

aureos quos accepi, 50 mihi suppeditent, cui et Tu assentire potes, si rem meam noveris. Nam quum Vienna me excepit, ob viaticum tantum XI aurei mihi restabant, quibus tum codices VII aureis, tum cubile mihi comparavi. Profecto pecuniae tam praecoces nostris evolarunt manibus, ut vix nummus relictus sit; denique esculentorum procuratori X florenos, M. Ioachimo V. singulis annis persolvam, quod ni XXX aureos quolibet anno sperare possem, fieri nequit. Iccirco, Germane mi, tuatim semper optumi consule, meisque adhortationibus aures redde placatas; ego meatim nutui tuo semper subiacebo. De meo studio, qui vix labra admovi, plura scribere nequeo. Pliniana lectione, deficiente exemplari, parum proficio. Lactantium de opificio ac ceteris a *Camerte*,[1] ista tempestate Viennensium doctissimo, cum summa diligentia audio. Ciceronis epistolas ex nostro Ioachimo, textum sententiarum a quodam P. literarum Baccalaureo audio. Studeo tandem, licet invitus, Dialectica, audio praeterea tum haec tum illa, quae omnia enarrare non necesse est. Quantum quolibet proficiam, cum extremam manum cuilibet imposuero, perspicietur. Haec hactenus. Caeterum pecuniae ad me spectantes circa X Cal. Apr. ad *Franciscum Zili*, *Valentin Tschudii*[2] avum, civem *Gallensem*, ut ferantur rogo peragas. Haec eadem ad *Abbatem*[3] scripsi, patremque rogavi, iussu Praeceptoris mei me honesta tunica vestiat. Iccirco quam primum literas ad eos scriptas invisent perfice, ut omnia tempore maturo agantur. Alterius ad *Decanum*[4] datas maturrime pellegant. Ego enim et illarum scriptor in una navi laboramus. Valentini necessarios ad liberalitatem hortator! Parci enim sunt quanquam dites. Si quae nova apud Te sunt, ad nos transmitte. Non procul a nobis inter *Hungaros* et *Turcas* diu ancipite Marte pugnatum est, quod magnum terrorem *Austriacis* infert. Literas has impolitas non corrugata fronte pellege! Vale cum Metelli felicitate annos Nestoreos. Salveto nostros Dominos *Iohannem*, D. *Gregorium Suandensem*,[5] combibonem *Fridolinum*, *Germanam*.[6] Datae *Viennae Pannoniae* ex aedibus Divi Ieronymi. Ao. 13mo supra sesquimilesimum, X Cal. Februarias. (20. Febr. 1513.)

II.

HULDRYCHUS ZUINGLIUS IOACIMO WATT PHILOSOPHO BEATITATEM.

Potuissem non satis tuam ad me scribendi mirari tarditudinem, Ioacime iucundissime, si non et loci intercapedinem et negotiorum assiduitatem tuae haud inique ascivissem parti. Meus enim in te animus,

---

1) *Ioannes Camertes*, Philologus ac Prof. Theologiae Viennae, Vadiani amicus. 2) De quo infra. 3) *Abbas* vel Iohannes Meili ad S. Ioannis in Toggio, amicus domus Zuinglianae, vel Abbas Fischingae, matruus, qui benevolentia singulari Huldricum Zuinglium prosequebatur. (Schuler, Hist. Zu. adol. p. 1, 2, 284, 291). 4) *Bartholomaeus Zuingli*, primus pastor in Wildhaus et inde a. 1487 pastor Weseni, patruus (ib. I. 283). 5) pastor in Suanden. 6) Una soror habitabat Glaronae adhuc 1579, ubi posteros reliquit. (Henr. Tschudi, menstrui sermones 1719, p. 45). Alia nupsit *Leonhardo Tremp* Bernae Cf. ep. 34. 1519.

guttulas quot vebit Hister, ex te literas sitit, quas si non avidus deglutit, continuo tum ac inextincto fervore anhelat. Misi quaedam ad Te incondita,[1] quibus festinantissimis, ut me velle nosti, parces. Id enim genus sum hominum, quos ni parcas, sustuleris. Primo enim imaginatu, nulla rationis lima percusa ut exciderunt ieiuna algidaque desident. Cetera Germano nostro, alterique *Valentino*[2] quatenus precor convenit benefacito, si penes sunt. Mittitur et alter, *Lud. Roesch* Paroeciani *Vilensis* ex fratre, vetuli sacellani mei ex filia nepos, tuae integritati commendatus. In eum quicquid beneficentiae collocaveris, referes; haud frustra distribues. Nova quum dietim apud nos varia, perindeque incerta sunt, si scire velis: audiuntur quotidie Legati vel *Rom. Pontificis* vel *Caesaris*, *Insubrum*, *Venetorum*, *Allobrogum*, *Francorum*, ad eosdemque mittuntur. Scribere et phrasi (modo possimus) forte conabimur ea, cuius Te non adeo maxime pertaedeat, quamquam nihil nisi temporarium nostra parit officinuncula. Graecae, Latinae ignarus animum applicui. Quare boni consule, ne oleum laborque pereant; et in manus post *Chrysolorae* Isagogen quid sumendum? Ita enim Graecis studere destinavi ut qui me praeter Deum amoveat, nesciam, non gloriae (quam nullis in rebus quaerere honeste possem) sed sacratissimarum literarum ergo. *Arbogasti* (*Strubii*)citra arrogantiam quantuliscunque nostris suffragiis meminimus. Laurea pilos si premit, mustacea mansueface! *Heinrychus* enim *Loreti*, *Glaronesius*, *Agrippinae* a Caesare coronata tempora gestat. Ex aedibus nostris VII°. Kal. Martias (23. Febr.) Anno supra sesquimillesimum tertio supra decimum.

M D X I V.

I.

APOLLINEAE LYRAE MODERATORI NOSTRAEQUE TEMPESTATIS CICERONI INDUBITATO DOMINO HULDRICO ZUINGLIO GLAREANORUM PLEBANO IO. DINGNOVER[3] S. D.

Etsi multas silentium dirimit amicitias, secus tu tamen de nostra sperato. Talis enim est, quam nec livor edax, nec invidiosa vetustas, nec aes, nec ferrum, nec ulla res abolere possit. Quid multis! Herculea est, Herculeo nodo connexa, semper et in aevum duratura. Quid autem de *Dialogo*[4] tuo sentiant apud nos docti et praecipue unicum omnium doctissimorum hominum doctissimum specimen *Erasmus Roterodamus*,

---

1) Narratio de expeditione Helvetiorum Italica. Vid. Ep. I. 1512. 2) *Tschudii*. 3) *Dingnauer*, socius Zuinglii in literarum studiis et amicus Basileae, postea inde a 1507 usque ad 1517 pastor Kirchbergae ad locum Tigurinum, vir hilaritatis plenus facetae. Zuinglius consilio Vitoduri municipali eum commendavit per epistolam 31. 4) Deperditus est hic *dialogus*: sic enim fabulam illam de Tauro (vid. supra Epist. II. 1511.), cuius exemplar Zuinglius litteris istis concluserat, Dingnauerum vocasse, probabile non est.

audies postquam coram fueris. Quod nunc fieri arbitror, cum ad nos Magisterii mei ob honorem veneris. At quando hoc fiet? En accipe. Diem ego certum, me hercle ignoro. Vaticinor hunc tamen quintam post virginei partus hebdomadem non transcensurum. Mea igitur sunt petita, ut quinta hebdomade adsis. Dices, ut certe facetus esse soles: numquid mi *Dingnover* magisterium pollicitum habes, ut quidem reluctantem votis tuis Fortunam habere non possis? adversata est et aliis hocce in petito Fortuna. Respondeo: Udalrice carissime! non pensi faciendum mihi, an in magistrum promovear, seu spe mea fallar; degustantibus vina (utcunque fiat) sapient, ni sint acerba et a Thetide nimis diluta. Postremo ais, eo te ferri desiderio quo tantopere exarsisti. Bene est; Dii prosperent! Cave tamen, ne quorum interest resciscant: sic enim laetitiae gravissimam et acerbissimam moestitiam secuturam non absque tuo magno persensurus esses malo. De ceteris quae scire vellem, cum ad nos veneris, fusissime confabulabimur. Vale datum seu potius scriptum Nicolai Episcopi (6. Dec.) 1514.

Plurimum existimatione oberratur!

Inscriptio: „An Meiſter Ulrich Zwingli Lütprieſter oder Kilchherr zu Glarus von Stund an.“

II.

ERASMUS ROTERODAMUS HULDRICO ZUINGLIO, PHILOSOPHO AC THEOLOGO CUM PRIMIS ERUDITO, AMICO FRATRIS VICE DILECTO, APUD GLAREANAM S. D.

Maiorem in modum me delectavit et Tuus tam propensus in me animus, et literarum Tuarum festiva iuxta ac erudita argutia. Quibus si parum respondeo, non mihi debes supputare; sed hisce laboribus nunquam opinor finiendis, per quos cum saepe numero cogar esse parum humanus in eos, in quos minime velim, in me ipsum tamen sum longe inhumanissimus, genii vim exhauriens, quam ne quinta quidem sarciat essentia. Lucubrationes nostras Tibi probari, Viro tam probato, vehementer laetor, et hoc sane nomine minus mihi displicent. Gratulor *Helveticae* Genti, cuius ingenio peculialiter etiam faveo, quam Tu Tuique similes optimis etiam studiis ac moribus et expolietis et nobilitabitis, principe et antesignano *Glareano*, qui mihi non minus ob eximiam ac variam eruditionem est gratus, quam ob singularem vitae morumque sanctimoniam et integritatem, homo toto pectore Tibi deditus. Nos statim a festo Pentecostes *Brabantiam* revisemus: sic enim res flagitant. Ab hoc caelo non libenter divellimur. Fac, mi *Huldrice*, ut obiter et calamum exerceas, optimum dicendi magistrum: video favere minervam si accesserit exercitatio. Hoc scripsi a coena impulsore *Glareano*, cui nil negare possum, etiamsi nudum saltare iubeat. Bene vale, *Basileae*. [1]

[1]) Licet indicium, quando scripta fuerit, deficiat, haec epistola in annum 1514 cadere videtur, quo tempore Erasmus 8 menses quum Basileae commoratus esset post pentecosten Brabantiam repetiit.

M D X V.

I.

VENERABILI ET MAGNAE LEGALITATIS VIRO, DOMINO HULDRICO ZUINGLI, LIBERALIUM ARTIUM MAGISTRO, EXPERTISSIMO, PLEBANO GLAREANO, DOMINO TANQUAM FRATRI COLENDO, AMICORUM ELECTISSIMO.

Venerabilis, ac multum colende Domine, amicorum singularissime, post eas quas possum et debeo obsequiorum oblationes, iucundissimae si fuerint mihi literae Tuae, laetantior tamen maiorisque commoditatis Dominationis Tuae fuisset praesentia, quam supplevit adventus magnae existimationis Domini *Henrici Glareani*, cum quo similem, quam cum Dominatione Tua, contraxi amicitiam. Id opus, quod in laudem nostrae Helvetiae [1] summa cura ab eo compositum est, Magnificis D. D. Oratoribus [2] pro singulis partibus obtulit; in cuius vicissitudinem viginti Rhenensibus donatus, promotusque est apud Illustrissimum Dominum, Ducem Mediolani, pro annua pensione, centum videlicet Rhenensium, in Academia Ticinensi obtinenda. Hunc ut Antiquitates vetustissimae olim Civitatis, nunc oppidi, *Aventicae*, videre possit, mecum *Fryburgum* venire constituit. Circa profectionem meam ad *Urbem* [3] nullum a Reverendissimo D. Cardinali [4] habui responsum; neque etiam Sanctissimus Dominus noster adhuc percussum foedus ratificavit. Sic nihil certum circa recessum meum habere possum. Circa locum *Papiae* habendum, scis quae dixerim Tibi; ea ad unguem observabo. Habeo *Papiae* domum satis, pro more Civitatis, amoenam, praediaque in *Casellis*, quod oppidum XII. forte milliaribus [5] a *Papia* distat. Haec omnia, si tempora maneant tranquilla, ad binos annos Dominationi Tuae pro contracta mutua amicitia dimissurus sum, ex quibus commodissime vivere poteris. Hoc addito, ut unum fidelem servitorem meum qui omnium illarum rerum mearum notitiam habet, in servitio Tuo habeas, sine quo etiam circa huiusmodi praedia nihil agere scires. Is principium iam bonarum literarum habet, in praeparandis escis multum valet, manusque et pes Tuus erit; quem et, ut bonis literis instruatur, recommendatum habere digneris. Negotia, quibus implicitus fui, obstiterunt, ut orationem *De non metuenda morte* [6] transscriberem; quare eam hic inclusam Tibi reddere curavi, ne tot congestos labores absorberet unum momentum. Ludere tamen visus es mecum, quaerens, ut illi lucernam adhiberem, qui totus ignarus nullarumque proh dolor bonarum literarum particeps sum. Festinus recessus meus ad finem huius indispositae epistolae me cogit. Spero futura diaeta iterum adesse, et ut etiam persona Tua aut literae mentem

---

1) Panegyricon. 2) Legatis ad Comitia Helvetici foederis. 3) scil. *Romam*. 4) *Matthaeus Schinner*. 5) italicis. 6) Opusculum, quod non extat, neque dum nobis investigari potuit.

eius declarantes adsint. Bene vale amicorum singulare praesidium et Tuum deditissimum *Falconem* semper ama! Ex *Turego*,[1] crastina Vincentii 1515 (23. Ian.) ad mandata Tua paratissimus *Petrus Falck.*[2]

II.

D. ERASMO ROT. PHILOSOPHO ET THEOLOGO MAXIMO HULDRICUS ZUINGLIUS S.

Scripturum ad Te, D. Erasme, virorum optime, terret hinc eruditionis Tuae splendor ille, capacior sane quam sit quem cernimus orbem, postulans; invitat illinc suavissima humanitas tua, quam, Te videndi causa, vere nox ante ingruescente, *Basileam* venienti exhibuisti, non mediocri benignitatis argumento, quod infantem hominem, ignotum literatorem, haud es dedignatus. Sed plane hoc Helvetico sanguini (cuius ingenia subolfeci non adeo maxime tibi displicere) dedisti; dedisti *Henrico Glareano*, quem familiarissime tibi coniunctum vidimus. Mirari autem vehementer potuisti, ecquid non domi manserim, quando nullam interim quaestionis quantum libet arduae (quod tui solent mataeologi) dissolutionem ne dum petiverim. Verum ubi nos energiam illam in te quaesisse ratiocinando deprehenderis, mirari desines: hanc enim, me Hercules, cum morum comitate vitaeque commoditate inconniventer, minus etiam verecunde tantam suspeximus, ut te, ubi Tua legimus, loquentem audire et corpusculo hoc tuo minuto, verum minime inconcinno, urbanissime gestientem videre videar. Nam et (verbo absit invidia!) Tu nobis amasius ille es, cui ni confabulati simus, somnum non capimus. Sed quorsum tandem stridulis hisce aures eruditissimas fatigo? cum graculos humi vesci debere non nesciam. Istorsum certe, ut nos peracti ad te itineris (quod Hispani Gallique iam olim Romam euntes videndi Livii causa, referente divo Hieronymo, fecerunt) scias tantum abesse ut poeniteat, ut magnum etiam fecisse nomen nos existimemus, non alia re magis gloriantes, quam *Erasmum* vidisse, virum de literis Scripturaeque sacrae arcanis meritissimum; quique Dei hominumque ita caritate flagret, ut quidquid literis impenditur, sibi impendi putet, pro quo item omnes bene precari oporteat, ut eum Deus O. M. incolumem servet, ut sanctae literae a barbarie sophismatisque per eum vindicatae in perfectiorem aetatem grandescant, ne tenellae adhuc tanto patre orbae ingratius duriusque educentur. Ego enim, ut tandem hanc tragoediam exeiulem, pro tua isthac in universos beneficentia, sero licet, tibi dudum quod *Socrati Aeschines* (quamquam imparem) donavi.[3] At non accipis

---

1) In diaeta sive comitiis. 2) *Petrus Falk*, 1510 vexillarius (Venner), 1514. praetor Friburgi; vir conspicuus inter Helvetios, Romae, Mediolani, per expeditiones Mediolanenses cum Zuinglio necessitudinem contraxit, idem Glareani amicus. Cardinali Schinnero favens adversabatur Franco-gallorum partibus, hinc praetori *Arsent*, qui hoc crimine capitis supplicium luit. 1511 in militia pontificia fuit, obiit autem peregrinatione Hierosolymam fungens 1517, Rhodi sepultus. (Wirz, Glutz p. 234 ff.) 3) Scilicet: *me ipsum.*

hoc te donum minime dignum. Adiiciam, plus quam — Corinthii ab Alexandro spreti me neque dedisse unquam, nec daturum alii.[1] Quod si ne sic quidem accipis, sat erit a te repulsam passum esse: nam nihil emendatius vitam corrigit, quam talibus displicuisse viris. Nam et velis nolis, meliorem me mihi (ut spero) restitues. Tandem ubi tuo iam mancipio quomodolibet usus fueris, feliciter vale. E *Clarona* 29 Aprilis Ao. 1515.

III.

UDALRICO ZUINGLI, PRAECEPTORI SUO VALENTINUS SCUDUS[2] S. D.

Quod hactenus nullas ad te dederim literas, praeceptor colendissime, haud mea negligentia factum puta, sed nuntiorum penuria, qui etsi mihi aliquando contigerint, incerti tamen aut nimium festinantes. Nam quo modo animum inducere possem, ut pro amplissimis tuis beneficiis ac meritis ingratus essem? Quid enim mihi gratius, ac aetati meae magis idoneum facere potuisti? qui quotiescunque ad patriam veni, tum nuper potissimum, cum ego affectus febribus quartanis totus illo morbo decoquerer, ac proinde *Basileam*, ubi libri mei, reliquissem, me non solum ultro arcessivisti, quum ego pro nimia stupiditate mentis ac inani quodam timore accedere te non ausus eram, tanquam inexorabiles illi Catones adeundi essent, sed etiam me adhortatus es ad literas, ne per id tempus abessem a studio. Obtulisti praeterea mihi et libros teque ipsum. Subinde multam eruditionem tuam, propter singularem aliquem erga studiosos ardorem, impertire mihi haud dedignatus es, nec triviali quidem studio, sed singulari quadam diligentia. Nam qui sit acrioris in enodandis autoribus iudicii, vidi neminem. Adeo enim ceteros omnes superas, ut nec Apollini (si ita dicere licet) cedas. Nec in illo solo palmam praeripis; integritate quoque vitae omnibus praestas, ut ne momo quidem relictus sit locus. Sed ne, ut Graeci dicunt, κερκισαίνειν videar, de statu meo, quod equidem te desiderare haud ignoro, paucula scribam.[3] Praeceptor namque noster *Henr. Glareanus*, qui dubio procul totius Helvetiae decus existit (taceo nunc quantum propter eum gloriae patriae nostrae accedat), conduxit nobis domum amplam ac aptissimam. Illic nostrorum aliqui, praecipue *Glaronenses*, simul conferimus pecunias, atque ita una vivimus. XV vero aut XVI aureis victum habituri sumus, nec omnino tenuem, proderitque hoc nobis non solum ad facilitatem expensae, sed eo ipso Latinae quoque linguae usum perfectius poterimus acquirere, quam si alibi singuli edamus. Praeterea semper habebimus M. *Henricum* ad manus, qui praeter Decades Titi Livii, autoris haud poenitendi, Auli Gellii quoque noctes luculentissimas, et iucunda quadam suavitate respersas, summo studio persequitur. Deinde ut Graeca quoque Latinis iungamus, Graecos aliquot tractatulos, ac rudimenta Graecae grammatices adiungit. Praeterea alia quaedam

---

1) scil. civitatem suam. 2) De hoc vid. Opp. I. p. 174. 3) Cf. *Glareani* Ep. ad Zuingl. No. 17.

minutula, quae iam referre longa mora esset. Itaque doctissime vir, ne sim longior, me tibi semper commendatum habeto, coramque amicis meis intercedito pro me, ut mihi pecunias, quibus nunc opus habeo, mittant. Quod si forte conquerantur, multam me summam absumere, caussam habet humanitas tua pro me intercedendi. Vale, et me, ut occoepisti, ama! Ex *Basilea* pridie Calendas Augusti. (31. Iul. 1515.)

Inscriptio: Doctissimo viro *Udalrico Zuingli*, Plebano *Glareano*, praeceptori suo carissimo. Mstr. Ulrich Zwingli, Kilchherr zuo Glaris.

MDXVI.

I.

GUILIELMUS NESENUS[1] M. UDALRICO ZUINGLI S. D. P.

Epistolam tuam admodum elegantem reddidit mihi *Conradus Fontanus*,[2] utrique nostrum amicus atque bonis literis et consilio instructissimus. In qua mihi, idque adeo uni, culpam hanc obtrudere conaris, aliquot ex *Cyrillo* paginas defluxisse. Cum etiam quamvis citius frandem agnoscerem, modo ne huius me suggillares, ego continuo lectis tuis literis adeo suavibus Bibliopolam adii, Cyrillos depromsi multos, exque iis multis unum non plane integrum inveni. Nam duas paginas aliquamdiu desideratas, quas fide certe germanica, quamprimum ex *Lutetia* advectae fuerint, ad te mittam. Praeterea *Maximilianus Venetos* bello prohibuit, quo minus libros suos[3] *Francofurtum* usque perferrent. Quare et hanc etiam Bibliothecae tuae, alioqui haudquaquam violandae autoritatis scriptoribus refertissimae, calamitatem boni consule! *Beatus Rhenanus*[4] plurimum Te salvere iubet, vir talis, ut

---

[1]) *Guilielmus Nesen*, cui locus natalis *Nastede* in Hassia, 1493 lucem vidit; studiis operam dedit Basileae et Parisiis, Basileae consuetudine Erasmi et Zuinglii usus. Deinde aliquamdiu professor Lovanii (cfr. epist. 5. 1518), unde propter vehemens, quo reformationi nascenti velificabatur, studium cedere coactus est. 1521 condidit scholam bonarum artium Francofurti, ubi Lutherus eum visit Wormatium iter faciens. 1523 Vitebergae quum profectus esset, Melanchthon eum adamavit eoque comite Palatinatum peragravit. 1524 quum repeteret Saxoniam, Albis flumine submersus occidit. [2]) *Conradus Fonteius* (Brunner) videtur negotium bibliopolae et praeceptoris exercuisse (Cf. Ep. 1: 1518; et 9, 14, 30, 31: 1519), oriundus Weseno, a Myconio laudatus in annotationibus ad Panegyricum Glareani. In editione Glareanus posteriore eius sicut aliorum reformationis amicorum laudes omisit. Fonteium 1519 pestilentia interemit. [3]) Hoc dictum definit annum huius epistolae. Maximilianus anno 1516 Martio mense cum triginta millibus militum adversus Mediolanum movit, mox autem regressus est. (Glutz, Hist. Confoed. p. 477.) In collectione Simml. haec epistola perperam in annum 1519 relata videtur. [4]) De quo Epist. 19: 1518.

numero dicam, qualem vix alterum nostra habet *Germania*. Vale! Raptim. *Bas.* 8. Eidus Maii (8. Maii 1516.)

De Testamento item et de ceteris ex *Glareani* literis cognoscas licebit. Vale iterum et salve, *Ulrice* optime, et scias, illum esse *Nesenum*, de quo Tu omnia Tibi polliceri potes.

Inscriptio: *Guil. Nesenus* ornatissimo viro M. *Huldrico Zuinglio Glaronae* Eccl. Parocho. *Glaris.*

II.

VENERABILI DOMINO ULDARICO ZUINGLI CURATO GLARONE ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRO EXPERTISSIMO, DOMINO AC PRAECEPTORI SUO PLURIMUM COLENDO!

Venerabilis ac multo colende Domine! Post eas, quas possum ac merito debeo, amplissimas recommendationes gratissimae mihi humanitatis tuae fuerunt literae, quibus pro tua erga me amicitia optas et mones, ut ad aliquam Dominorum Helvetiorum congregationem, maxime in *Turego*, convenire velim, cum non sit Dominationi tuae locus *Bernensis* opportunus, et tandem dedicationem Angelicam[1] mutuae conventioni nostrae accommodas. Quam ego quoque elegi, et ad illam, Deo concedente, sum venturus. Erit ideo adventus meus iucundior, cum te amicorum electissimum videre et solus cum solo colloqui permaxime desiderem. Non erit ergo pro temporis exiguitate epistolium longius praeter quod D. T. rogatam fore velim, ut me amplius titulo equitis aurati (qualis non sum) nec honorare, sed neque credere velis, quod literis dem graecis aut alteri facultati operam, cum mihi huius exercitii pro officii administratione sit adempta commoditas. Vale tandem meum singulare decus. Ex *Fryburgo* Helvetico XII Kl. Septembris[2] anno Domini MDXVI. Deditissimus tuus *Petrus Falco*.

III.

GLAREANUS UDALRICO ZUINGLIO DOGGIO VIRO PHILOSOPHO ET THEOLOGO NOBIS AMICISSIMO. S.

Non sinit infelix meum pistrinum, ut frequenter nostrae remeent literae. In re tamen tua sollicitavi fidelissime.[3] Nam magna vix contentione obtinui ut *Cornu Perotti* una cum *Varrone*, *Festo et Nonio Marcello* in Aldina litera tibi pro relicta aut mavis reliqua apud me pecunia vindicarem. Emi et in eadem litera tibi *Lactantii Firmiani* omnia quae possunt haberi opera una cum *Tertulliani* voluminibus, libros christiano theologo, et viro in bonis literis erudito, oppido quam necessarios. Habes autem apud me 3 Scuta et 4 quos vocant corvos.

---

1) Eremi. 2) 21. Aug. 3) Sine dubio Zuinglius libros supra dictos coëmit pro bibliotheca monasteriali Eremi.

Pro Cornucopiae et ceteris adpressis solvi 2 aureos, pro Lactantio et Tertulliano non plane aureum. Dedi insuper omnes concinnandos *Barbato* illi, quem nostis, cavique apud servos ut mundos et expolitos quam maxime possunt reddant. Quacunque igitur die mittes *Ἡφαίστιον τὸν βιβλιοφόρον*; apud me parata omnia inveniet. Emi et nescio quid, *audeamne dicere? Portuini Gracchi*, dicere volui, ad *Ortuinum Gratium* Epistolas[1] aut sales illos iucundissimos, auctos praeterea et magistraliter determinatos. O ipse lacerat bonos bossos,[2] praesertim *Zuikaviacum* sua herba *ἡὐδῃ*.[3] Ceterum *Lachnerus* ille *Guolfgangus*[4] misit *Venetias*, qui in litera *Aldina* optimos quosque auctores afferant, *Gellium*, *Caesarem*, *Platonem*, *Ciceronem*, *Homerum*, *Lucianum*, *Demosthenem*, et quos referre non mora est innumeros alios. Qua in re cautione utendum. Si ex iis aliquos habere voles, rescribito *Lachnero*, ut potes amicissime, ne tui obliviscatur; velle te pecuniam promptam apud me ponere atque id eam ob causam potissimum: quicquid enim bonorum librorum *Basileam* venit, triginta adsunt qui vix conquisito pretio arripiunt. Tantus est appetitus hominum, et furor (nam et furor est) nonnullorum, quibus tamen hi libri neque usui sunt, neque intelligunt. Habere tamen volunt, et quam saepe strenue insanire malunt. — Rescribe, oro, an epistola *Erasmi* ad te venerit, de qua saepius tibi scripsi. De *Vannio*[5] quoque nihil prorsus audimus. Vale et me ama! *Basileae* ex pistrino meo. XIV Cal. Nov. (19. Oct.) Ao. C. 1516.

IV.

ULRICO ZUINGLIO, VIRO PHILOSOPHO ET THEOLOGO, PETRUS SCUDUS[6] S. D.

Literae Tuae tribus fere hebdomadibus in itinere remoratae longoque expectatae desiderio nostras ad manus tandem pervenerunt; quibus vixdum perlectis alter tabellarius abiit. Sed gaudeo, vir humanissime, de

---

[1]) Celebres epistolae obscurorum virorum ad *Ortuinum Gratium*, scholasticum Theologum Daventriensem, qui apologiam contra Reuchlinum scripserat; collectionem item parvorum libellorum, orationum et epistolarum; atque 1518 prodierunt ab eodem Coloniae lamentationes obscurorum virorum (Bibl. Gesnero-Fris.) [2]) Idem quod *imbecillis homuncio*. [3]) *Magister Conradus de Zuicavia*. [4]) *Frobens*, inclyti Typographi et Bibliopolae Basiliensis socer. [5]) Probabiliter *Joannes Vannius*, Cantor Friburgensis. Hotting. H. Ecc. VI. 393. [6]) *Petrus Tschudi*, filius *Ludovici* Tschudi, unus de heroibus belli Suevici et ad Marignano, frater scriptoris historici, *Aegidii Tschudi*, Zuinglii et Glareani discipulus et amicus, qui cum minimo fratrum, *Aegidio*, et fratrueli *Valentino* Glareani ductu Basileae et 1517 Lutetiae studiis operam dedit. Is Nesenum in epistolarem communicationem cum Zuinglio adduxit. E vita eius publica nihil constat, nisi quod 1578 Castrensem provinciam habuit praetor. Fuit constans amicus Zuinglii et reformationis. Provectior aetate *Curiae* domicilium constituit, ubi etiam reformationi velificatus 1532 obiit. Vir eruditus fuit ingenuo studiorum amore. (Schuler, Hist. Zuingl. adol. pag. 46–48, 321 sq.)

fratris[1] reditu, quo vix gratius quidquam scribere potuisses. Haud enim exiguis me curis angebat eius ad *Galliam* discessus. Sed et simul haud parum nos exhilarat, quod tuo non sumus destituti auxilio: polliceris enim diligenter pro nobis pugnaturum. Iam tandem et aliud quippiam accedit longis deflendum querimoniis, vir disertissime. Retulerunt nonnulli, (quod et ipse elegantissima tua nuntiasti epistola) tuas te sedes *Eremum* translaturum, quod profecto haud secius tristor, ac si e Trophonii specu redüssem. Quid enim *Glareanae* nostrae tristius accidere poterat, tanto videlicet privari viro! Sed ne adulari videamur, quocunque hoc tandem procedat, boni consulamus, oportet. Nil sane magis a Te peto, quam ut ea praestes, quae prioribus poposci epistolis, meque ames, ut assoles. Nihil enim unquam tanti iudicavi, quam viri tam docti, tam humani amicitia frui. Nam *ἀναγκαιότερος πυρὸς καὶ ὕδατος ὁ φίλος*. Et si quid contra elegantiarum leges uspiam oberrarim (quod haud dubie in compluribus locis confiteri habeo) boni consulito. Modicae enim aetatis adhuc sum ac homo penitus *ἄμουσος*. Ne autem prolixius hisce te nugis sustineam, calcem verbositatis recipe his paucissimis: Vale Nestoreos annos et me inter tuos annumerato! X Cald. Nov. (22. Oct. A. 1516.)

V.

ZUINGLIO SUO GLAREANUS. S.

Scripsi nuper, carissime Uldrice, et copiosius et fortassis cordatius, quae in rem tuam curassem. Ne vero interceptae literae anxium te reddant, iam denuo, esto manus frigeant (frigebant enim maxime cum haec scriberem), certiorem ea de re facio. Emi tibi Copiam Corpu, cum *Pompeio Varrone* et *Nonio*, *Lactantium* cum *Tertulliano*, non addens quantum quodlibet illorum constet. Scio enim te mihi confidere, ut amico, atque tu quoque non es inscius, quam illibenter docti supputationibus illis sese astringunt. Habuisti mecum 3 scuta et quartarios duos minores. Summa autem horum Codicum facit 2 aureos et 35 plapp. Basilicos Ceterum mitto tibi exquisitissimas illas *Epistolas* obseurorum virorum ad *Portuinum Graecum*, dicere volui, *Ortuinum Gratium*, ampliatas non restrictas, explicatas et replicatas. Ipse vult se percutere cum eo, et lacerat mirabiliter grossos bossos. *Hieronymus* dispositus est, sed Bibliophorus ducere non potuit. Curabimus autem propediem, ut *Eremum*, quam semper vivens inhabitavit, visat. Unum est, magnopere ad rem pertinens. Vide ut et *Frobenio*[2] et socero eius *Lachnero* utrisque singillatim scribas amicissime! Ea res faciet, ut cum libri alii adveniant, Tibi promptiores, patrociniumque

---

1) Verosimiliter maximus frater *Ludovicus*, Cubicularius Francisci I. regis Galliae. (Tschudi, Glaron. Chron. 499.) 2) *Io. Frobenius* e Franconia, nat. 1460, primum corrector apud Amerbachium Basileae, deinde propriam erexit typographiam, et amplum bibliopolium gessit. Erasmus aliquamdiu eius aedibus usus ipsius filiorumque amicum sese gerebat fidelem. Frobenio 1527 demortuo filii *Hieronymus* et *Ioannes* negotia eius continuarunt.

meum eo lenius ferent. Cum enim boni libri adducuntur, omnes advolant, praeripiuntque scioli, qui neque intelligunt, neque legent unquam Spero autem post duos menses ex *Venetiis* magnam librorum molem, in litera etiam *Aldina*, huc duci. Et neque certe scio, si vocabularium Graecum habeas. Si enim illo cares rescribito! curabo statim ad te deferri. Ceterum velim commendatum me habeas Dominis tuis, doleoque cum utroque[4] non maiorem esse familiaritatem. Non dubito autem pro conventu tam celebri emturos *Hieronymi* opera, qui tantopere *Eremum*[2] illustravit et re vera lustravit. Audio M. *Melchiorem Uriae*[3] Parochianum; qua in re maxime mihi ipsi et bonis literis gratulor et tibi praesertim, quod ubique bonos promoves. Sunt mecum iuvenes 30 et vix ulli maiori augustia, quam *Glareani:* paucos nummos mittunt, et praesertim ii qui bene habent. Multa scribere statueram, sed nonnulla exciderunt; alio modo forsitan commodiori longior ero. Vale! *Basileae* ad VIII. Cal. Nov. (24. Oct.) Ao. C. 1516. Omnes discipuli salutare te iusserunt. Ignosce celeritati.

VI.

UDALRICO ZUINGLIO VIRO
PHILOSOPHO ET THEOLOGO PETRUS SCUDUS S. D.

Accepi, literas tuas iam dudum desideratas, vir humanissime, plane consolatorias, simul ac tristia afferentes nuntia. Quibus, necdum diligenter revisis divinus quidam erga te ἔρως, nescio quo instigante numine, incesserit. Unicus enim tu iam es, qui pro nobis[4] agas patrocinium, et id quidem ita strenue, ut praesens quoddam te mihi numen praestes. Taceo, quod iure dixerim: ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον. Et si nulla tua erga nos essent merita, vel hoc unum perpetuo te mihi devinciret, quod tu, qui apud omnes es notissimus, ac simul in omni scientiarum genere peritissimus, non dedignaris ad inferiorem Te, imo etiam ad sordidissimum ac penitus ἄμουσον scribere, ut certe appareat, quam sis comis, quam festivus, quam denique humanus. Sed et id penitus mihi flendum: de vix ferenda fratris mei valetudine ex te audio, qua profecto magis crucior curis, quam si eadem me incidisset. Nil sane est, quod curiosius menti obversetur ne ὁμογάλαξ mentem mihi magis sollicitam habeat, quam ne ὁμογάλακτος ἔρως inter me et illum morte dirimatur. Is enim ut potest apud patrem, me fovet; fovet autem haud segnius quam germanus alter.[5] Sed video omnes et parentes et fratres huc tendere, ut magisterii coroner insignibus, teque id *Valentino* consulere ex literis intellexi. Quod revera quam germane mihi consultum sit, ignoro. Novisti, quam tenellae aetatis sim, immaturae scilicet hisce

---

[1]) Abbas de Rechberg et Administrator de Geroldseck. [2]) vitam monachicam [3]) Vero similiter ille, qui Zuinglii diaconus Eremi erat, postea vicarius Glaronae evellere ibi conatus est quod Zuinglius plantaverat. (Wirz N. Helv. H. Eccl. I. 481.) [4]) *Petrus* et *Aegidius*, qui uterque Basileae literarum studiosi tum degebant. [5]) Ille igitur fuit unus fratrum e vitrico; hic Ludovicus maximus.

honoribus, qui si a pueris nescio quas sophisticas nugas imbibero, quis sciet, immo quis nesciet, qualis sim tandem evasurus. Tuum igitur velim aperias consilium, quid agendum mihi potissimum censeas; quo si subveneris, non mediocrem habebo tibi gratiam quoad vixero; ac patri nostro id negotii diligentius explanes, rogatum te velim amicissime. Is profecto (ut nosti) ignarus huius rei est: saepius enim (ut vera profitear) ad huiuscemodi gloriolas annitentibus *βλέπων πεπεδεν ἐις τὰ τῶν ἄλλων κακά*. Velim igitur in melius animum transmutari parentem. Sed sero (ut vereor) sapient Phryges, nec nisi malo accepto: *ῥεχθὲν δε τε νήπος ἔηνω*. His vale, et me in tibi amicissimorum catalogum inscribito. *Basileae* ex aedibus nostris. 6 Idus Nov. (8. Nov.) A. 1516.

VII.

DUO ELEGIARUM LIBRI HENRICI GLAREANI HELVETII AD HULDERICUM ZUINGLIUM, DOGGIUM.[1]

ULDERICO ZUINGLIO VIRO PHILOSOPHO ET THEOLOGO GLAREANUS S.

Nescio qua naturae malitia, charissime *Ulderice*, omneis hoc habeamus: iuvenes insanimus, senes delyramus. Insanivi et ego meam, quam vides, insaniam, idque strenue; non tamen, ut puto, prorsus inconsulto. Quippe cum videam omneis, quotquot Elegias scripserunt, obscoenam lasciviam carminibus tanquam quid necessarii, ac huic generi particulare, inseruisse, aut, quod id aliter non posse fieri ostendere voluerint, aut quod libentius crediderim, carmen multis non placiturum, si huiusmodi illecebrae non adessent, pertimuerint, qnod *Martialis* de suis Epigrammatis saepe conquestus est, Si forte ipse non idem facerem, insanire me dicat quispiam vehementer timui. Sed longe alia mihi ratio in conscribendis Elegiis fuit. Nam praeterquam quod vita mea omnis a lascivia cavit, hoc quoque consilium meum absterruit, omne scilicet meum tempus omnemque laborem huc pertinere, ut prosim potius quam delectem. Duos igitur libros Elegiarum institui. Priorem qui sit *πανηγυρικὸς*, quippe in qua laude dignos extuli,[2] alter *διδασκαλικὸς*, videlicet in quo optimae indolis iuvenes ad virtutes et praecipue ad pudicitiam adhortatus sum; id quod potissimum hominis christiani puto, quan-

---

[1]) Excusi una cum musica ipsius. 4°. Athenae Rauricae. p. 251. (v. ep. I. 1510.) [2]) Elegiis in *Erasmum*, „immortale et unicum Belgarum decus," *Renatum*, ducem *Sabaudiae*, et Comitem *de Villars*, *Lodovicum Berum*, *Basiliensem*, *Hermannum Rinch*, Senatorem *Coloniensem*, *Matthiam Aquanum*, Philologum ac Theologum *Coloniensem*, *Hieronymum Artolphium Rhaetum*, medicum et musicum, *Agobertum Salandronium*, *Basiliensem*, Iurisconsultum, *Oswaldum Myconium*, *Iac. Erythropolitanum*, *Hercynium*, mathematicum, *Guilielmum Gallinarium*, *Ubium*; *Petrum Tschudi*; *Ludovicum Carinum*, *Lucernatem*; *Danielem Erythropolitanum* eiusque fratrem *Ioannem*; *Henr. Trevanum*, *Saxonem*; *Antonium Selidanum*. Ubium, *Carol. Caritnium* e *Franconia*; *Nicolaum Cunelium*, *Stuttgardiensem*.

quam multi Poetae nostrae aetatis, gentileis non solum omni turpitudine imitati sunt, sed (quod absque dolore meminisse non valeo) pene superarunt. Adeo quosdam magis iuvat esse Catullianos Propertianosque quam vel Paulinos vel Christianos. Accipe igitur, mi clarissime Udalrice, libellos hosce praecipitatos potius quam editos! abieci enim eos, ne in periculo apud me solum essent, emendaturus suo tempore, ad quae nunc lubens conniveo. Postremo hoc unum tibi persuasum habe Te mihi ex animo charum, idque tuo merito. Sed non est opus cum commendare, quem multiiuga disciplina tam multiiuga virtute satis commendat. Bene vale! *Basileae* ex Lacydio nostro 1516 ad Idus Decembreis. (13. Dec.)

MDXVII.

I.

ORNATISIMO VIRO ULRICO ZUINGLIO SUO AMICO GUILELMUS NESENUS S. D.

Petrus Schudus iuvenis eruditus iuxta ac probus admonuit me, cum tabellio commodum esset abiturus, ut te virum in literarum cultu celebrem meis ineptiis salutarem. Quod autem scriberem, parum constat, nisi hoc unum, nihil me habere, quod tibi curae coniicerem fore. Est apud nos *Cyprianus*[1] homo *Venetus*, qui naturalis historiae opus *Plinii* praelegit. Deum immortalem, quam ibi facundiam plusquam extemporalem, eruditionem minime protritam, iudicium acerrimum deprehendo. Vale optime, optime vir! Haec te scire volui. *Lutetiae.* 4 Cal. Febr. (29. Ian. 1517.)

Inscriptio: Eruditissimo viro *Ulrico Zuinglio*, suo amico. Meiſter Ulrich Zwingli zu Einſidlen.

II.

AEGIDIUS SCUDUS[2] ULDERICO ZUINGLIO, VIRO DOCTISSIMO.

Εὖ πράττειν! Posteaquam iamdudum, vir eruditissime, ad Te scripserim, nunc demum iterum ad Te dare literas cogor; quamvis tamen illibenter Tuam Humanitatem meis indoctis atque ineruditis literis conturbem, tamen necessitas ita cogit me, ut id me facere oporteat. Iam pridem enim literae *Petro* atque *Valentino*[3] allatae sunt, ut discederent, atque ego hic cum *Glareano* manerem, quousque hinc pergeret. Ille tamen, ut audio, non ultra Pascha hic manebit, atque neminem tunc

---

1) Taleus. 2) *Aegidius Tschudi*, historicus illustris, Zuinglii alumnus. *Glareanus* in Comment. ad Panegyr. (1554) de eo: „D. *Aegidius Tschudi*, insigne ornamentum huius seculi, una cum fratribus et tota illa familia nostro poetae faventissima." 3) Tschudiis.

habebo, qui me erudiat. Si namque opus erit, me ad patriam ire, nec deinde studere, statim obliviscar omnium quae didici. Quare rogatum te habeo, vir eruditissime, ut si uspiam id esse poterit, me ad te recipias. Non enim cum aliquo docto libentius esse velim, quam tecum. Ubicunque igitur hoc promereri quivero (modo id fiat): ero semper paratissimus. Hisce vale. *Basileae* ex aedibus nostris [1]

III.

GUILIELMUS NESENUS ULRICO ZUINGLIO SUO S. D.

Scribis meas literas hoc uno vel maxime gratas tibi fuisse, quod certis quibusdam notis ex iis ariolari potuisses, me tui minime oblitum. An haec, eruditissime vir, ex animo et vere scribebas, quum *Nesenum* tuum ex hoc hominum numero putares qui, cum nullis literarum ornamentis ipsi commendentur, etiam disciplinae purgatioris Candidatos, imo Principes, proscindere aut saltem horum non cum maxima etiam animi voluptate meminisse velint. Tu hisce monumentis pectori es insculptus meo, ut hinc non nisi morte ipsa decuti possis, et tanta est tua eruditio candorque, ut inter extremae sortis homines sint merito connumerandi, qui te non ut eximium mirentur Musarum simul et Christi sacerdotem. Quod vero me felicem praedicas, cui contigerit sub *Cypriano*, [2] viro non literis solum ac morum integritate, verum etiam rara prudentia, miroque rerum usu insigni, merere, non mea magis est felicitas, eruditissime *Udalrice*, quam meliorum literarum omnium, quibus tantus effulserit patronus, ut eas a situ, et Barbaris toto terrarum orbe enixissime ne efflorescant resistentibus, in pristinam asserat libertatem. Nam talis est, ut, quod sentio, tribus verbis dicam, qualem alterum vix ipsa habet Gallia, etiamsi *Budaeus* omnium doctiorum calculis primas teneat. Siquidem *Cyprianus* nullum hactenus edidit ingenii sui specimen, ob id quoque famae non perinde celebris. Et hos ego vere doctos existimo, non qui, tribus mendis in authore quopiam haud dilutae authoritatis animadversis, soleant suum erga studiosos quasi exprobrare beneficium, ac sic gestire, sic triumphare, tanquam denuo Babylona ceperint, sed qui cum divina eruditione mores coniunxerint pares, et, quod facio plurimi, omni fastus nota careant, qui, si uspiam, certe *Cyprianus* meus est. Iam, quod scribis, Te ab illorum descivisse opinione, qui foedus cum *Gallis* vestris sperant confore, laudo plurimum. Sed vide, ornatissime Udalrice, ne Te quoque, sicut plerosque Tuae conditionis *Helvetiorum*, pecunia tandem transversum rapiat, ac *Gallo-Helvetii* [3] ad suas Te traducant partes! Quem non ista Tua facundia adeo exquisita, popularis tamen, exoculaverit? Quem non a recto detorserit, etiam

---

[1]) Ad Febr. 1517, antequam Glareanus Lutetiam Basilea abiit. *Simler.*
[2]) V. Ep. 20. [3]) Nam ipse *Petrus Falco*, Scultetus Friburgensis et *Schwarz*, Ammann Tugiensis, ex hostibus Galliae mutati sunt in amicos post pacem aeternam cum Gallia pactam 1516.

ingitum? Sed aliud longe nobis Tuus pollicetur animus, nullis hactenus precibus, nullis minis et nullo quoque strenarum respectu, ut illis acquiesceret, expugnabilis. Aliud promittit tua humanitas, quae possit et velit prodesse, etiam immerenti. Ad haec nimirum intelligis multo melius consultum *Helvetiis*, si bellis istis insanis renuntiantes domi agros colerent, quod illis tum laudis, tum fructus plus apud exteros conciliaret. Sed ut Tibi quoque remittam litteras non usque quaque novarum rerum immunes, accipe, quem apud nos tumultum hisce diebus proximis Pragmaticae Sanctionis concitarit abrogatio. Rex *Galliarum* christianissimus scilicet, quo simili arte (sic quasi per transennam fore perspicio) *Neapolim Hispanis* subductam regno suo adiiciat, Pontifici Romano efflictim sic petenti Pragmaticam Sanctionem obtulit; quam *Leo* non gravatim recepit, et cum istius edicti tempus appeteret divulgandi, res per publicum urbis *Lutetiae* Officialem promulgabatur. Concurrerunt studiosi (ut fit) aliquot, quid praeconis verba sibi velint auscultaturi; et simulatque suae sanctionis acceperunt interitum, eductis gladiis praeconem impetebant, ipse vero hoc insolenti vultu admodum territus, ex asina delapsus, fuga vitae consuluit; asina, quae tantum cursu non poterat, nec consilium latibula prospiciendi aderat, totam belli calamitatem sola sustinuit. Sic quidem simile accidit, quod in passionis Historia Malcho cuidam accidisse dicitur. Postridie, collectis satellitibus, eandem tragoediam excitaturis, obvii facti sunt ex studiosis non ita multi, et tamen ad pugnam nec illo die ventum est, retrocedentibus ministris publicis, quorum erant numero, quantum coniicere potui, fere quadringenti. Sed illo ipso die Regis nomine demandabant civibus universis, quo postero die, circa horam diei decimam, armis bene instructi pugnae adessent futurae. Nam iam tum ad periculum vergere videbatur; confluxerunt ad octo ferme hominum millia, atque sic erat negotii facies, ut ex hac putarem confore propemodum, ut funditus cuncta Collegia subverterentur; sed longe ipse belli eventus meam vicit opinionem. Fingebam in animo congredientium utrinque furorem, pugnantium clamorem, et denique hastas, gladios, pugiones, sanguine humano atque adeo civili respersos, foedum morientium aspectum, et reliquam bellantium insaniam; sed quid acciderit, parumper ausculta. Iam instructa erat in foro civium acies, bombardae suis orbibus refertae, et procedebat pedetentim *Gallicae* iuventutis peditatus, intermixtis in loco antesignanis ducibus. At postquam ad id loci ventum erat ubi magna periculi pars imminere credebatur, ex universa turba robore prae aliis insignes in primam collocabant aciem, et horum quoque ora vidisses, prae metu lurida, tanquam sibi esset maxime pereundum, si exercitus vires in discrimen adducerentur. Et forte accidit, cum Collegia praeterirent, (iussu Rectoris omnia obstructa erant) tegula quaedam e tecto turbine excussa decidit; milites autem putantes, lapides ex fenestris actos, sese in fugam coniecerunt. Nec satis eorum timiditati turpiter fugisse, etsi non erat extra fortem tegulam, quae tantis se militibus auderet obiicere, Deorum insuper phana, quo tutius fuga sibi consulerent, petita sunt, inter quos non parum multi muliebriter indignam scilicet suorum deflebant lanienam; sed postquam ad se redierant, atque animum metu paulo minus extinctum

resumserant, vidissentque fugam unius tegulae casu ortam: rursum coepta est acies in ordinem, idque multo densius, quam antea, redigi. Nunc quid deinceps factum sit, brevibus itidem accipe. Agebant Imperatores per plateas exercitum, et iam nunc debellatum ipsis videbatur, quum armatorum quispiam (erant enim viri ex multitudine agrestium undique circumfusa suffertim constipati) mulieris pedem, suo, laeserat. Illa illico digitis, ceu in nodum collectis, manum in faciem eius impegit, ex quo duntaxat pugno tanta de integro oriebatur exercitus perturbatio, ut parum abfuerit, quin plures e spectantium numero fuissent elisi obtritique, et totus quoque peditatus fugam accelerasset, ni unus animosior, additis militibus manendi animum, feminea opera factum, ingenti voce clamitasset. Haec ideo huic epistolae illinere placuit, quo Te aliqua voluptate afficerem, simulque, ut ignaviae nomen, cum scribo contractius, deprecarer. Est item non minima voluptatum mearum portio, stomachum meum seu serium seu ludicrum in amicorum meorum aures exonerare, in quorum calendarium Te, eximiis animi dotibus ornatum, quam sanctissime retuli, ut nullis tempestatibus inde sis evellendus. Vale basilicae, praeclarissime Udalrice, et me *Paulo Bombasio*,[1] quem virum Tecum versari ais, omnium Italorum in literis principi (qui tamen et ipse, ut postea audiemus, *Zuinglii* fuit admirator) diligenter commenda. Saluta meis verbis quoque *Henricum Glareanum*, poetam, strenuissimum literarum instauratorem. Parisiis V. Calend. Maias. (27. Apr.)

Inscriptio: Eruditissimo viro D. *Ulrico Zuinglio* in *Eremo* D. Virginis apud Helvetos parocho, suo amico amatissimo.

IV.

GUILIELMUS NESENUS UDALRICO ZUINGLIO S.

Scripsi Tibi non admodum pridem literas latiores verius quam doctas, sed vereor ut ex fide Tibi sint redditae: videbatur enim tabellio, cui id dabam negotii, temulentior. Sed ut ut sit, non vacat in praesentiarum eandem rursus agere tragoediam. Illud unum ex Te peto, nec tamen pro meo veluti iure accipias velim, ut quoties ad nos commode Tibi fuerit oblata scribendi occasio, ne illam praeterlabi patiaris. Hoc namque fiet, ut *Udalrici* mei refrices mihi saepius memoriam, tametsi nunquam non oculis obversetur. Hic, qui ad Te has meas denuo perferet nugas, Magister est Academiae *Parrhisiensis*, Vir, quantum cernere datur, non usque quaque indoctus, nec, ut est in usu quibusdam huiusce generis hominibus, moribus illaudatis, petiitque ex me, simulatque inaudiverat, inter nos esse mutuae amicitiae commercium, ut non committerem, quin literis Te salutarem, ac iis ipsis insererem, siquid esset apud vos religionis commendatione praeclarum, ut illius sibi per Te fieret inspiciundi copia; hac siquidem potissimum gratia isthic vos adiit, quod Te, qua es humanitate, haud gravatim confido facturum. Et ipse in vicem referet Tibi bellum hisce diebus proximis in *Hollandia*

[1]) V. Ep. 34.

confectum, in quo reliquiae Lanciariorum, qui, ut auguror, in hoc ab *Helvetiis* servati sunt quo turpius perirent, ad unum universae deletae sunt. Vale, doctissime *Udalrice*, et si quando *Beato Rhenano* Germaniae nostrae decori unico scripseris, fac ut me illi quam diligentissime commendes. Parisiis 3 Non. Maii (5. Maii.)

Inscriptio: Doctissimo D. *Udalrico Zuinglio*, in *Eremo* D. Virginis apud Helvetios parocho, suo amico eximio. Meiſter Ulrich Zwinglyn, Kilchherr zu Eynſideln.

V.

IOACIMO VADIANO HULDERICUS *Ζύγγλιος* S. D. P.

Te recte quidem et saluhriter vivere ab omnibus audio, *Ioacime* doctissime, quorum posterius et de nobis rescisce! item, nihil interim de amicitia excidisse: maior enim est, quam ut chartis oporteat eam semper fulcire, quod et apud Te tam sanctum scio et intemeratum, quam apud me, scilicet, neutrum alterius posse oblivisci. Cetera, germani nostri [1] inopinata mors quantum aegritudinis animo attulerit, Deus O. M. novit, cui tu omne officium, id quod tuam humanitatem humanissimam decebat, impendisti. Insuper ultima epistola deberi aliqua significabas; verum summam reticuisti. Velim id quoque igitur significes: non enim etiam mortuus apud nos viluit, ut non eius causa, quicquid poterimus, faciamus. Locum mutavimus, non cupidinis aut cupiditatis moti stimulis, verum *Gallorum* technis; [2] et nunc *Eremi* sumus. *Valentinus*, [3] egregius adolescens, qui abs te prima rudimenta tam pure tamque probe potavit, *Papiae* aliquanto tempore, post *Basiliae*, nunc *Parrhisiis*, ubique tamen sub *Henrico Glareano* strenue latinicatur, graecatur, hebraicatur. *Henr. Glareanus* ille meus, tuus, imo noster, imo Helvetiorum, imo omnium, ut iam audisti, *Parrhisiis* quoque degit, vereque philosophum agit, qui etiam *Erasmo* teste (epistola quam ad nos *Glaronam* scripsit homo omnium doctorum doctissimus) non tam doctrina, quam vitae integritate clarus est. Quid cladis nobis attulerit tandem factio illa *Gallica*, dudum famae ventus ad vos perflavit; omnia tamen, nisi dudum scisse te non dubitarem, percenserem. Fuimus enim pars quoque rerum gestarum: calamitates enim multas vel tulimus vel ferre didicimus. Est *Viennae Huldericus Institor*, *Kraemer*, cuius genitor, homo minime malus et iustarum quoque divitiarum, id apud te precor obtineat, quod apud nos valet. Videlicet iam dictum Huldericum ad te arcessas, vitam perquiras, mores et disciplinam spectes, et si quid adulteri stolonis offendas, extirpes. Facies nobis rem gratissimam et parentibus eius tantam, ut nesciant, quibus viis rependant. Haec miscellanea, mi Ioacime, optimi consule! Scio tibi venustissima deberi, sed quae a nobis minime possunt praestari. Scio item, te tam

---

1) Iacobi. 2) Zuinglius earum partium fuit, qui Mediolano et Caesari post pugnam quoque ad Marignano fidem servatam volebant, ut Tigurini, Uranii, Suitenses, Basilienses, Scaphusiani. Galliae autem contigit, ut etiam Claronae maiorem partem pecunia sibi conciliaret. 3) Tschudius.

nostri admiratorem, ut si solum sint aliqua nostra, iam grata sint. Nuntii quoque festinatio nonnihil ad literarum inelegantiam attulit. Vale, et te mihi ex animo carum, ubi animo tuo nunquam exciderit, hoc quoque persuasum habe me laudum tuarum strenuum praeconem et buccinatorem. Ex *Eremo* divae Virginis 13. Iun. 1517.

Inscriptio: *Ioacimo Vadiano* Philosopho clarissimo.

VI.

ULRICO ZUINGLIO, PRAECEPTORI SUO CANDIDISSIMO VALENTINUS SCUDUS, GLAREANUS S. D.

Non sinunt tua in me collata beneficia, praeceptor festivissime, tui memoriam vel minimum temporis momentum nostris sese proripere praecordiis; adeo tenacibus hamis nobis infixa est. Quin studenti semper ades, abes autem nunquam, currenti calcar addens; otioso vero horribilis appares, quae in me contuleris ostentans, atque tempus oscitabundum terere increpans. Porro, quicquid agam (ut ultimum addam colophonem) praesto es, admonens, incitans atque compellens, ut quidnam acturus huc concesserim, meminerim, quae fugienda quaeve assectanda docens. At ne semper eadem oberrans chorda nauseam tibi concitem, quodnam potissimum, ut denuo (scripsimus autem haud longo interiecto temporis intervallo) aures tuas nostris ineptiis contunderemus, nos compulerit, paucis accipe. Novisti *Glareani* praeceptoris nostri in tradendis optimarum disciplinarum praeceptis fidissimi ingenium; ut quem amet, ei quam impense faveat, contra eundem, aut quemvis alium si oderit, ut non irae odiique sui (bona eius venia dixerim) metam sistat. Is parvulam quam ob rem concitus, *Praetori Scudo*,[1] quae forte non in rem erunt meam, scripsit.[2] Quae quidem si refellere, ut possent, conarer; forte non verbis meis fidem adhibitum foret. Tu meam sumas causam, summis te rogo atque obtestor precibus, cuius vel verbum saltem tantum ferre potuerit momenti, ac si ego vel quam maximam verborum effudissem farraginem. Hoc autem quid sit rei, ex ipso Praetore audies; nec tam opinor, morum illic rem aget, ac quod non praeceptis suis, quae pecuniolam aliquam a me erogabant, quod mihi sane importune videbatur, obediens fuerim. At ne diutius animum morer tuum, vale atque me solito amore prosequere! Ex *Lutetia Parrhisiorum* IV. Idus Iulias (12. Iul.) 1517.

VII.

SIGISMUNDUS ROETLIN[3] U. ZUINGLIO S.

Ne, vir optime, nominis mei quondam familiarium Tuorum albo conscripti, oblivisci daretur occasio, has (minutissimas licet) literulas

---

[1]) *Lud. Tschudi*, maior, Valentini patruus. [2]) Cf. Ep. Glareani ad Zuingl. 29. Aug. [3]) *Brigantinus*, Vicarius Lindaviae (vid. Epist. VII. 1519.) 1524 Pastor ibi et cum *Mich. Hug* et *Thoma Gassner* reformator huius urbis, adolescens obiit 1526. (*Fels* Hist. Reform. Lindaviae.)

praesentium latori Tibi praesentandas commisi. Vellem profecto, semel opportunitas sese offerret, ut *Glareanis* aedibus praesens, praesentem Te quoque possem et alloqui et videre. Sed praestabit forsan una dies, quod centum negarant. Caeterum, heros dilecte, si forsan lator harum Tua ope indiguerit, non deneges, iterum atque iterum rogito. Homo namque est et vita et moribus integer, doctrinae vero non vulgaris. Pro acquirendo igitur adiutore quodam officiolo promotiones elargiaris ipsi nimirum profuturas. Habebitis me vicissim ad vota quaevis paratum. Vale et *Sigismundi* tui quondam reminiscaris atque vale! Raptim ex *Lindow* 25 Iul. A. 1517.

Tuus M. *Sigismundus Roetlin*, *Brigantinus*, Vicarius in *Lindow*.

VIII.

SUO ZUINGLIO GLAREANUS S.

Scripsi haec, carissime *Ulricè*, medius vigilans, medius dormiens. Sero enim nuntius ad me venit; mane autem supra modum festinabat. Sunt admodum, quae te scire volui non multa, sed quae tibi voluptati erunt: tanta est tua erga me humanitas. Sanus sum, valeo, valui continuo, bonum iter fuit, bene acceptus a doctissimis viris *Lutetiae*, inter quos est *Budaeus*, *Copus*, *Faustus*[1] atque adeo *Faber Stapulensis*,[2] qui saepe iam domi meae fuit. Is supra modum me amat, totus integer et candidus mecum cantillat, ludit, disputat, ridet mecum stultum praecipue hunc mundum, vir humanissimus atque ita benignus, ut nonnunquam videatur, quamquam id revera minime facit, videatur tamen suae gravitatis oblitus. Sunt praeterea alii quam plurimi, qui summo studio me prosequuntur. Verum ego interim nihil publice legi, quippe qui videam mihi tum nasci Zoilos, quales habet nulla alia urbs et iactantiores et arrogantiores. Lego iuvenibus meis commentarios *Caesaris*. Ipse autem a quodam *Cretensi*[3] Homerum in Odyssea audio; illic nimirum mecum contendo, si forsan ruditatem meam vincere queam. Promittit *Demosthenis* orationes. Sed doctior est sua fide, quippe qui Cretensis. Crebras ad patriam scripsi epistolas, nullas dum recipio. *Petrus* et *Valentinus*[4] satis diligenter lectiones frequentant. Verum *Valentinus* necdum suis moribus finem imposuit. Disposuerat *Praetor Scudus* utrique et *Petro* et *Valentino* apud D. *Bastardum Sabaudiae*[5] quem vocant, virum et principem minime nothum, stipendium annuum.[6] Verum cum de certitudine addubitaret, a Senatu nostro pro *Valentino*

---

1) *Guilielmus Budaeus* (de Bude), iureconsultus ac philologus inclytus, *Guil. Copus*, medicus Francisci I., *Faustus Andrelinus*, poëta, omnes tres Parisiis professores. 2) *Iac. Faber Stapulensis* (ab Estaple) reformator eruditionis in Gallia, philologus praeclarus, professor Parisiis. 3) *Ioannes Lascaris*. 4) *Tschudii*. 5) *Nothus Renatus* (Bastard) *Sabaudiensis*, frater illegitimus matris Francisci I., regis Galliae, dux copiarum Gallicarum et internuntius de conducendis militibus apud Helvetios, civis Bernae. (Hott. H. Confoed. I. 7, 21 et a. l.) 6) Stipendia studiosorum quodammodo largitiones fuerunt, quibus nobiles civitatum confoederatarum fruerentur Paviae, Romae, Parisiis, Viennae.

Glareanae stipendium oravit. Iussit autem cum abirem Praetor, ut si stipendium a Bastardo acquireret, id ego ad arbitrium meum dividerem, ne in patria rumor esset, unum *Scudum Parrhisiis* duo habere stipendia, alios vero pueros etiam patricios et honesto quoque loco natos nihil obtinere. *Valentinus* utrumque stipendium accepit, atque cum ego ei verba Praetoris proponerem, nihil magis motus, quam si dura silex aut stet Marpesia cautes. Volui autem ut omnes quotquot e *Glareana* essent eius stipendii participes faceret, ipseque non solum non excluderetur, sed ultra scutum plus quam alii acciperet: sic omnes pueros beneficio affici, Praetoris verbis satis fieri, meum officium impleri, benevolentiam suam augeri. At is surdior aequoribus, nec me nec suos audiit, qua in re non tantum caussa mea quam sua doleo.[1] Tibialia in particulas atque emblemata secuit, incedit magnifice.[2] Ego quicquid per benevolentiam agere potui, egi benigniter. Quodsi naturam serpentis haberem, videlicet ut obesse magis quam prodesse omnibus malim, videret utique in quem confixerit. Salutavit et Te *Fridolinus* et *Elmerus* et *Zophius*.[3] Porro Abbati *Geroldseck*[4] scripsissem, si non dormissem medius. Plane is est, cui me prudentior vigilantiorque scribere debeat, sed tamen suam Magnificentiam salutabis nomine meo, meque illi plurimum commendes! Vale! *Parrhisiis* IV Cal. Sept. (29. Aug.) 1517.

Inscriptio: Viro ingenuarum artium magistro animarumque in Helvetiorum *Eremo* curatori vigilantissimo *Huldricho Zuinglio*, Domino sibi summopere colendo.

IX.

HULDRICO ZUINGLIO, INGENII DOTIBUS ET ERUDITIONIS LAUDE FLORENTISSIMO, GREBELII, FRATRES[5] IOANNES LEOPOLDUS ET CUNHARDUS.

Literas tuas observandissime *Zuingli!* ut minus expectavimus, a viro scilicet et tantae autoritatis et tam monstrabilis doctrinae inter Helvetios, sic desiderio immenso (pro me meoque amico loquor) accepimus. Atque non secus gaudemus, imo et serio triumphamus, ac si nobis praeclaras gemmas, ac si copiae cornu et lac gallinaceum misisses. Accipiant alii ab amicis divitum dona regum, dummodo chartaceas illas tuas opes, quas (ut omnia) faventibus Musis tractas, tuo *Conrado Zuinglius* mittere non desinas. Ego susque deque laturus, si me vel temeritatis sive stultitiae incuses, nunquam non ad te scribam, sic ut tuae literae mihi saepe reddantur. Ex quibus praeter Zuinglianae exquisitaeque nitorem elegantiae, fidumque novae amicitiae testimonium ad mansuetiorum literarum studia alacrius acriusque calcar habebimus. Vis, puto, fortunae meae tenorem aut novarum aliquid rerum audire.

---

1) Cfr. *Valentini Tschudi* Ep. ad Zn. 4. Id. Iul. 1517. 2) Dissecta multisque coloribus variegata tibialia, sua tum novitate insolentiora. 3) Omnes Glaronenses adolescentes litterarum studiosi apud Glareanum. 4) *Geroldseck*, non Abbas, sed administrator et vicarius Abbatis. 5) Vid. Opp. I. 475.

Vadianum habeo praeceptorem, virum omnibus titulis unice dignum, cui, en et hoc fateor, fratris loco diligor, ipse autem pientissimi patris vice mihi amatur, colitur, observaturque. In artibus liberalibus, quas septem vocant, nullam lauream, sed hoc meo suadente genio, aut tuli aut unquam feram. Ad mansuetas literas si hodie non desideo, totus olim desidebo. Stipendio *Maximiliani Caesaris*[1] maxime hac tempestate duobus enim annis adiutus ad praedicta literarum studia *Viennae* incubui, perinde quoque incubiturus. Et quamvis nonnullis commoditatibus hic magis quam alibi afficerer, mallem tamen inter *Glareani* mei atque tui discipulos Gallos scilicet nactus numerari. Hac primum ratione pellectus, quod primus quasi praeceptor meus, non sine summa honoris praefatione, non sine longa titulorum coronide nominandus fuerit, instruit fideliter atque omnes docti, boni verique Praeceptoris numeros explet. Hoc ego, ne aliquid obiicias, in *Vadiano*, non sua negligentia, non maligni natura ingenii praepedito, sed Medicinae Candidato scilicet tanquam inter Orci cancros haerente desidero. Ille ut variis intricetur negotiis, *Pomponium Melam* fructiferis suisque commentariis sub prelo Viennae et in literariis vallibus positum interpretatur. Novarum rerum hic nihil vidimus; tamen si novum est, *Lud. Coelii Rhodigini* etiamnunc viventis antiquarum lectionum libros anno 17°. ab *Aldi* socero *Venetiis* excusos. *Vimphelingii* illius scelesti crabronis soliloquiis[2] barbarissima numerum prope trigenarium excedentia a bibliopolis nostris emimus, quo Helvetiorum fama laederetur minus, atque omnia eminus. Unum habet D. I. *Vadianus*, alia alii. Mihi tamen aliquot supersunt. Si ergo *Wimphelingii* h. e. Helvetomastigis soliloquia cares, fac sciam. *Baptistae* quoque *Egnatii*[3] de victis a Gallorum rege Helvetiis Panegyricos et eiusdem de Imperatorum vitis librum habemus. *Plinii* historias nescio an hic an *Basileae* cum pulcherrimo doctissimi viri *Camertis* indice excudant. Molitur ille idem de pulchre dictis poëtarum et proverbiorum nominatam seriem edere. *Georgius Collimitius*[4] cum Vadiano suo aliquid Commentarii in *Secundum Plinium* de naturali historia parturiunt, quod *Italis* etiam magnum videbitur. Caesarem aliquamdiu expectavimus; non venit. Pestem hic debacchaturam aliqui praecinuerunt; in hanc usque diem vani vates. Modo excipiam, aliis morbis homines hic et frequenter laborare et interire. Pestem, modo me non enecet, ut hinc abeam, ut ad *Glareanum* veniam, libenter opperior. Sed ista missa facio. Quod non bene notis, quod indoctulis, quod denique imi subsellii homuncionibus scribere non dedignatus fueris, gratias agimus nullo unquam aevo extinguibiles, proque virili nostra referemus. Amicitiam nostram, quam humili eloquio Te inchoasse dicis, hoc est, meo iudicio plusquam erudito, tibi adiuratissimi obsecutores futuri, arctissime tenebimus. Nec hoc praetereundum, scribendi partes

---

1) Imperator adolescentes Patricios ex Helvetia stipendiis donabat *Viennae*, quemadmodum rex Galliae *Parisiis*, dux Mediolani *Papiae*, Papa *Romae*, ut eorum familias ipsis obligarent. 2) Soliloquium *Wimphelingii* pro pace Christianorum et pro Helvetiis ut resipiscant (in Museo Helv. V. Annus 1789. Vol. I.) 3) Veneti. 4) *Georgius Tanstetterus Collimitius*, mathematicus praecipuus, professor Viennae, singularis Vadiani amicus.

me ideo desumpsisse, quum *Ioh. Leopoldus* Logices studio prohibitus et Baccalaureatus lauream propediem suscepturus scribere non potuit. Vult tamen ut nomine suo saluteris, idem volente *Huldrico* tuo *Institore* et *Conrado Moser* qui Tuas huc attulit. Cum saepe scribes, quamvis alias amatus, tamen tunc maxime amabere et ego respondendo non impiger ero. Vale et ama Te tuo merito observantes. Etiam atque iterum vale inclytum Helvetiae decus! *Viennae Pannoniae* ex Lyceo nostro IV Non. Sept. (2. Sept.) 1517.

Grebelii tui *Iohannes Leopoldus* et *Cunhardus.*

X.

DOCTISSIMO ET OBSERVANTISSIMO SUO PRAECEPTORI ULRICO ZUINGLIO, VIRO PHILOSOPHO ET THEOLOGO NON VULGARI.

Opportune quidem, suis et horis, doctissime Zuingli, *Lactantium Firmianum* tuum, quem in *Thermis Paphiis* (sic ardes musas vel sacras) tecum habuisti, in usus meos per aliquot dies dari ad me repeto. Audio enim Te nescio quos egregios Codices *Basileae* in via ex *Aquisgrano* redeuntem comparasse, quorum lectione (ut tum solemus nova quasi devorare) occupatus,[1] ego nullam, dum mecum erit Lactantius, habeo requiem. Verum libens faveas doctissime, eundemque cum *Crispino* nostro ad me remitte, et togae et pallio splendorem et ornatum additurum: is enim in Latinis et Graecis Lactantio penitus est dissimilis. Quare, doctissime mi Zuingli, *Salandronii* tui, cui nec unquam eruditione defuisti, studium libro isto tuo adiuva! Ego enim corpore et animo in quibus possum, ut debeo, sum defuturus nunquam. M. *Franciscum*[2] podagra levatum, laetantem suscipito, eoque musice et genialiter fruere animo et corpore felix, mi doctissime praeceptor. D. *Lucam* et *Ulr. Studer*[3] nomine meo saluta! Bene vale! Si per otium licet, scribe librorum a te emptorum nomina! Commendo me tuis orationibus! 16. Sept. 1517.

Iacobus Salandronius[4] tuus.

XI.

RELIGIOSIS, PRUDENTIBUS, CONSPICUIS, SAPIENTIBUS SCULTETO ET SENATUI VITODURANO DOMINIS SUIS CLEMENTIBUS SALUTEM SUUMQUE ALACRE OBSEQUIUM HULDRICUS ZUINGLI.

Vestra Sapientia litteras meas aequis animis accipere dignetur, ut cunque fluxerint, non per temeritatem sed Vestri studio, Domini mei

---

1) Hoc loco paullulum quid deficit. 2) *Zinkius.* 3) *Eremi.* 4) *Iacobus Salandronius* (Salzmann), qui sese idem Aleandrum dicere solitus erat, ludimagister *Curiae* et suffragator reformationis.

Clementes ceterorumque Confoederatorum, quo ductus vehementer exopto, ut a nostratibus cathedrae publicae nostrae, qui doctrina et arte nihil inferiores peregrinis, at multo certe sunt fideliores, administrentur. Iam vero quum Vestra cathedra evangelizandi sive Praedicatura *M. Io. Leonis* obitu (cui Deus propitius esse velit) vacans omni cum sollicitudine demandari debeat, sed Sapientia Vestra rei certiorem me solemniter non fecerit, verum per meos tantummodo fautores quosdam privatim, qui (Deus gratias referat!) me apud sese habere expetiverant, eam cathedram vacare compererim, iique tanta cum industria me commendaverint, ut ex eo, quod homines fide digni retulerunt, universum fere bonae voluntatis consensum perceptum habeam: ego quidem summas gratias agens me Vobis proprium, sicuti habilis videar, tradiderim. Veruntamen hoc meum propositum[1] per fautores meos non peractum, quod iidem retractaverint, iis exprobrare nolite, sed mihi. Nam meam profecto mentem mutavi non per fastidium quoddam, sed improbatione necessariorum meorum coactus. Veruntamen Sapientia Vestra facile existimaverit, quantum Clementes Domini mei Claronae post meos necessarios apud me valeant, quibus meum coeptum displicuit.[2] Interim tanto sum studio erga Sapientiam Vestram praclaram, ut optimo velim Vos ministro instructum; stultum autem videtur de rebus anquirere, [illegible]unt ad manus. Nempe Magister *Ioannes Dingnauer*, honestus genere Tigurinus, Praefecti Kyburgensis cognatus et heres, septem liberalium artium magister admodum doctus, sapiens, castus, religiosus, quem Vestrae sapientiae commendare non dubitarem, si qua mihi auctoritas esset, quique Vobis etiam utilior foret quam ego. Cum hoc enim multus mihi intercedebat usus in universitate, et nunc ad decem annos capitulares eramus. Unde scio quid ei tribui queat, omnis probitas et honestas, ita ut eum praestare potius quam me ipsum ausim. Quamquam istud verbum meum fortasse nihil pensi habeatur: meam fidem certe porro, quemadmodum ad hunc diem, salvam servare et integram maxime curo. Quumque acceperim, Vos in eo esse, ut cathedram aperiatis ad specimina praedicandi, equidem oro, hunc virum audire velitis, bene gnarus, Vos postea neminem alium desideraturum esse, ut non animadvertam, hoc aliter habere et cantoratum, hominesque non leves allicere, sed viros graviores, ut si quis munus ambitu consecutus esset, repulsorum existeret indignatio. Vobis, Domini Clementes, Dilecti! has meas literas placeat in optimam partem accipere, considerare ac perpendere. Ego enim adhuc solitus eram vel hominibus inimicis augendae virtutis ac probitatis gratia bene dicere, id quod multis exemplis comprobatum cernere licet. Ceterum Vestrae me voluntati propensae commendatum habetote, cuius non obliviscar, dum in vivis ero. Deus protegat Vestram Sapientiam omni tempore. Dabam Tiguri die Veneris post Simonis ac Iudae anno 1517.

Huldricus Zuingli, Pastor Claronae, Minister Eremi, Vestrae Sapientiae obsequentissimus.

---

1) Hinc apparet, et Zuinglium voluisse praedicaturam suscipere Vitoduri, et Vitoduranos eum legere sibi praedicatorem. 2) Clarona Zuinglio Pastoris locum reservaverat ab ipso non abdicatum.

11.

Den frommen, fürsichtigen, eersamen, weisen Schultheifs und Rath zu Winterthur, seinen gnädigen Herren.

Sinen Grutz und willige Gehorsame. Fürsichtigen, Eersamen Wysen! Uewer Wysheit wolle min Schryben nit übel nemmen, wie selbes geflossen sie empfahen nit us Vermessenheit, sunder us grofsem Gunst, so ich zu Uech M. G. Hrn. und gemeinen Eidgenossen hab, dafs ich gern wölte, unsre Ständ[1] mit den unsren, die an Wysheit und Gunst den frömbden nütz minder, ja darzu vil trüwer sind, versehen würdind. So nun Uewer Stand des Evangelisirens oder Predicatur ufs Abfahrt M. Joh. Löwen (dem Gott genad) ledig, billich mit aller Wysheit versehen werden soll, und aber mir von Uewer Wysheit nit besunder Verstand[2] kund than, dann allein durch besunder mine Günstigen die mich (Gott dank Inen) gern bi Inen gehabt, solichs ledig syn bericht, und so vil gearbeitet dafs ich, us Red glaubhafter Lüten, einen vilnach gemeinen[3] guten willen verstanden hab, darumb ich mich mit hohem Dank Uech eigen, wo ich Uech fügen würde,[4] übergib. Doch dafs Ihr solich min fürnemmen durch mine günstigen gehandlet Inen (so die Sach abgestellt) nit uffrechnen zu falschem,[5] sonder mir wellind. Dann min Fürnemmen warlich nit us Verachtung geändret,[6] sonder us Mifsfallen miner Fründen.[6] Jedoch ermifst U. W. wol was mine G. H. von Glaris nach minen fründen an mir vermögend, denen min Fürnemmen nit gefallen hat.[7] Noch ist min will so gut gegen Uewer Eersam Wysheit, dafs ich sie wöllte zu dem allerbesten versehen syn; und spöttlich ist umschicken um ding, die einer by Im hat. Ist also Mstr. Joh. Dingnower ein eerlich geborner Zürcher, des Vogts von Kyburg erblicher Fründ, sieben freyer Künsten ein wohlgelehrter Meister, wys, züchtig, gotzfürchtig, trüw, an dem ich U. W. wol rathen dürfte, wo ich so gut[9] wäre; mit dem Ir auch bafs dann mit mir versorgt wärind. Dann ich by im vil wandels[10] uf der hohen Schul gehabt und jetzt by 10 Jaren Eins Capitels gewesen bin. Darum ich weifs, was im zu vertrouwen ist, all frommgheit und Eere, für den ich wol stan, bafs denn für mich selbs, dörffte. Wiewol solich min Schryben möchte spöttlich[11] geachtet werden, wölte ich doch minen Glauben[12] gern wie bisher unverpfandt behalten und unverfallen.[13] Auch vernimm ich uffthon syn ein Schul zu predigen; bitt ich Ir wollind disen Mann hören. Weifs wol, dafs Ir demnach keinem andern nachfragen werdend, hintangesetzt, dafs dis nit ist als ein Sängerei,[14] auch dafs es nit liecht[15] Lüt sonder hochgeachtet reitzt. Und mag nun einer die Gaab erlauffen, wurden die

---

[1]) Stellen, Pfarrstellen. [2]) Eröffnung. [3]) beinahe allgemein. [4]) dienlich sein. [5]) scil. als ob sie Euch hintergangen hätten. [6]) Verwandten. [7]) Glarus behielt Zuingli die Pfarrstelle offen; Zuingli hatte nicht resignirt. [8]) Zuingli hatte hiemit gewünscht, die Pfarrstelle zu Winterthur anzunehmen und man wünschte ihn zu erhalten. [9]) scil. angesehen. [10]) Umgang. [11]) gering. [12]) Ehrenwort. [13]) nicht verloren. [14]) wie eine Cantorstelle. [15]) geringe.

andern all zu Unwillen gereitzt. G. L. Hrn. dis min Schryben wellend Ir im besten annemmen, betrachten, ermessen! Dann ich bishar also Gewonheit hab,[1] joch denen, so widerwärt, um der Förderung wegen des frommen das Best zu tun, das sich an vil Orten bewysen soll. Hiermit befelch ich mich Uech, deren guten Willen ich nit vergessen will, diewyl ich leb. Gott walt mit Uew. Wysheit zu allen Zyten. Geben zu Zürich am Frytag nach Sim. und Judae im 1517 Jar.

Huldrich Zuingli Kilchherr zu Glaris, diener zu Einsidlen U. Wysheit allerwilligster.

XII.

VIRO HONESTO, PRAEDOCTO MAGISTRO HULDRICO ZUINGLIO, PASTORI EINSIDLENSI, DOMINO NOSTRO DILECTO.

Promtam nostram ad officia voluntatem vobis praefamur, Domine dilecte! Postquam reverendus, praedoctus Dominus Mag. *Io. Leo*, Praedicator praedicaturae huius loci, nuper decessit de vita: nos pro ea norma, quam huius praedicaturae dotatio habet, curam adhibuimus, ut eam rursus in virum eruditiorem, qui Doctor Iuris aut Magister VII liberalium artium esset, et quidem in eum, qui dignissimus inter petentes appareat, conferatur, ac praestituimus electioni diem Veneris post S. Martini proxime instantem. Praebendae autem annui reditus sunt ad 60 saccos (Muids) tritici, 10 (Maltres) avenae, 45 floreni praeter sacrificia et dona cum nitido domicilio et vineto contiguo. Iam igitur Vos amicissime rogatos volumus, ut isthoc rei nostra causa apud vos de cathedra palam faciatis. Quam operam grati rependemus. Die Ven. ante Omnium Sanctorum 1517.

Scultetus et Senatus Vitoduranus.

12.

Dem Eersamen wolgeleerten Herrn, Meister Uhrich Zwingli Pfarrer zu Einsidlen, unserm lieben Herrn.

Unser fründlich willig Dienst zuvor, Lieber Herr! Nachdem der würdig wolgeleert Herr Meister Joh. Löw, Predikator der Predikatur allhier zu verschinen Tagen Tods abgegangen, haben wir uf derselben Predikatur Dotation Ausweisung angesehen, dafs wir dieselbe wieder einem hochgelehrten Mann, der Lehrer der Rechte oder aber Meister der 7 freyen Künsten sei, welcher dann der tuglichste und gelehrteste unter den Bittenden erscheint, wieder leihen wollen, nämlich uf Frytag nach St. Martins-Tag nächstkommend. Und so aber der Pfrund jährliches Gült-Ertragen ist, nemlich bei den 60 Mütt Kernen, 10 Malter Haber, 45 Gulden, ohne die Opfer und die Presente

[1]) auch selbst.

sammt einer hübschen Hauswohnung mit einem Weingarten daran: so ist hierum an Euch unser gar fründlich Bitt, Ihr wollet uns zu gefallen solches bei Euch an der Kanzel öffentlich verkünden, damit es männiglich geoffenbart werde. Das wollen wir um Euch fründlich verdienen. Freytag vor Allerheiligen 1517.

Schultheiſs und Rath zu Winterthur.

MDXVIII.

I.

CUNHARDUS FONTEIUS[1] SUO HULDRICHO ZUINGLIO.

Salve amantissime mi Huldrice! Scribis increbuisse famam apud vos, immani nos laborare lue atque ob eam rem *Henr. Haessum* arcessiri iussisse filium. Est profecto is rumor non omnino falsus, neque tamen morbus usque adeo saevit, quemadmodum vobis fama retulit. Male habent quidem plures, non tamen admodum multi perierunt. Utcunque tamen est, consultius est mihi visum, mittere fratrem una cum *Cunhardo*, quem tamen diuitto invitus. Erat enim spes, si illi apud nos diutius manere contigisset, eum tuis votis responsurum. Qui si omnino tibi non satisfaciat, habet tamen vestigium aliquod, ut multo minori negotio erudiatur. Docui eum inflectere nomina citra inculcationem regularum, quod hae magis pueros obtundant, quam instruant. Non potuit tamen hoc a me fieri in dies, quod nimia lectionum multitudine essem obrutus. Sunt enim omnes mei pueri unius classis, et commodum inceperam omnes his rudimentis singulis diebus exercere, atque sperabam fore, ut brevi cum ceteris pueris evaderet exercitatus; tum supervenit nuntius is, qui eum mihi subtraxit. Audivit praeterea Terentium, quem saepe etiam interpretatus est et ita, ut mihi satisfaceret. Habuit etiam lectionem Virgilii et Copiae *Erasmi*, quae si forsitan non multum profuit, nec tamen nocuit. Praestiterit enim haec audire, quam interea otiosum sedere. Tu quicquid est boni consulas, ut soles. Aristotelem de animalibus hic non reperiri credo, nec *Ovidii metamorphoses*, sed expectandae sunt nundinae *Francofurdenses*. *Coelium*[2] et *Chrysostomum* a *Frobenio* impressos habere potero si modo velis. Mitto tibi nunc paraphrasin *Erasmi* in Epistolam Pauli ad Romanos. Impressit *Frobenius Luciani* dialogos ab Erasmo versos. Excudit nunc eius epistolas,[3] item *Suetonium* et nescio quos alios autores emendatos ab *Erasmo*. Excusae sunt etiam ab eo fabulae *Aesopi*, graece et latine in forma Enchiridii etc. Obiit mortem Doctor *Ioh. Wentz*[4]

---

[1]) V. ep. I. 1516. [2]) scil. Lactantium. [3]) Auctarium Epistolarum Erasmi, cum praefatione *Rhenani* XI Kal. 1518 scripta. Bas. apud Frobenium. [4]) *Io. Henr. Wenz*, Doctor Decretalium, qui hoc ipso die defunctus est. Taeniolae Bas. sepult. p. 117.

in festo conversionis Pauli (i. e. 25. Ian.) Laborat gravissime D. *Wolfg. Lachnerus*,[1] adeo ut in magno vitae discrimine versetur. Tu parce meis ineptiis, quandoquidem coactus celeri nuntii abitu ita scribere, ut ne ipse quidem sciam quid scripserim. Vale! Die Martis post Pauli.

Inscriptio: Eruditissimo *Huldrico Zuinglio* amico et Domino observantissimo.

II.

IOANNES LYECHTENBURGER[2]
HULDRICO ZUYNGLIO MOECENATI SUO S.

Quotiescunque mihi in mentem venit celeberrimae Eminentiae tuae, humanissime vir, qua et literis praestas et moribus, toties me ipsum satis mirari non possum, cum ob hoc, quod quum nihil omnino sim ad Te, tamen non dubitem, tibi temere adeo ineptiis meis ineptissimus obstrepere, tum ob id maxime quod me ipsum non satis meis aestimo virtutibus, utque *οὐκ ἔστι τῶν ὑπαρχόντων ἡμῶν μέμνημαι*. Nam si Latini Ciceronem velut numen quoddam suspexerunt ob scribendi dicendique *εὐδαιμονίαν*, atque adeo, ut plerique in dubium vocarint, an eius eloquentia maioris detrimenti causa fuerit, quam usus: quo ego infans, ac plane *μογίλαλος* Te numine adorem? quo inquam dignabor honore? Nempe in quo Veneres omnes, omnes Charites ex solido sitae sunt vivuntque ipsissimae, cuius cum rara doctrina humanitas contendit iuxta et integritas, cui denique qui non cupiat, in quem qui non ferveat, plane sit inhumanus. Quamobrem nisi tua me invitasset quam maxime celebrata *φιλανθρωπία*, quam et *Cunhardus* ille *Fonteius*, utrisque familiarissimus, toties praedicare non cessat, prorsus abstinuissem. Verum quid te velim, paucis accipe! *Leo*[3] ille, ille tui studiosissimus, heroica praecellentia virunculus et talis (aperto pectore dico), cui quicquid in bonum virum laudis dici potest, non tam adest, quam superest abunde, is inquam ultro me suo famulo dignatus est, neque illi obstrinxi, facturum quae ad eam rem attinent spero adprobe. Sed quod me *Administrator* ille Eremiticus[4] salute sua magnifica impartit, itidem et tu, non parvi facio, habeoque gratiam; simul et idem opto. Proinde quod me maiorem facis, quam sim, id profecto pro mediocritate mea nihili facio, et utinam tam vere, quam amice tale quid de me praedicares! Vocas me et latinae et graecae linguae doctissimum, quum belle teneas, nulli vel solam latinam phrasin (ut interim de graeca felicitate taceam) ex solido contigisse. Tanta siquidem tamque ardua res est eloquentia et abstrusa, ut adhuc nulli totam sese et absolutam ostenderit, testibus Fabio et Seneca. Oratoris enim est esse et eruditum, id est, eloquentem et doctum. Quod quidem quantum temporis, aetatis, industriae et operae requirat, ut id adipiscaris, ipse ingenue nosti, qui diu in hoc campo certaveris; vicisti autem feliciter. Hac tempestate *Erasmum* illum, illum *κοινοῦ τῶν πάντων ψήφου* doctissimum,

---

[1]) Expiravit 27. Ian. 1518. Unde colligere licet hanc epistolam 26. Ian. 1518 scriptam esse. [2]) Mortuus est Eremi circa 1519 (Vid. ep. 31. h. a.), quo hac in epistola vocatum iri cupiebat. [3]) *Leo Iudae*. [4]) *Gerolдseck*.

omnes veluti ἰσόθεον quendam veneramur ac suspicimus, quod has duas phrases feliciter calleat, atque sic calleat, ut qui ex pari possit vel cum ipsis vetustissimis certare, omnesque vel doctissimi illum tam magnum et felicem admirantur, ut dubites, an una atque altera aetas maiorem Erasmum vel similem latura sit. Quod si id a vero non abhorret, quomodo ergo licebit bono viro, hunc de literis tam bene meritum suo encomio fraudare! Tamen gratiam habeo animo tuo in me tam propensissimo, cui me meaque multis nominibus obstrictum aperta fronte fateor. Sed ut tandem colophonem addam, haec sunt, quae te volui. Tu, oro, in rem meam obstinatius agito! Ego, ubi per meam illam mediocritatem integrum fuerit, remetiar, vel cum fenore. Nam δεῖ τοὺς φιλοῦντας πίστιν, οὐ λόγους ἔχειν. Salve ac vale, et quod tam inconcinnis literis tecum ago, velim boni consulas, quandoquidem amicitia nostra non fortunae ludibriis exponitur, ut chartarum instauratione egeat, imo in tantis rerum omnium elementis esse debet, ut nec seiungi, ut nec abrici possit. Vale denuo καί με ἀγαπῶν διατέλει, et interim mecum literis tuis quam maxime esto. Ex *Basilea* sexta post diem Matthiae. [1] *Ioannes* ὁ σώτατος.

Inscriptio: Antiqua virtute et doctrina viro, *Huldr. Zuingli*, lat. linguae doctissimo, graecae non indocto, patrono primario.

III.

PAULUS BOMBASIUS [2] HULDRICO ZUINGLIO. S.

Inter plures ac varias occupationes vix pauxillum temporis potui suffurari, quo tuis dubiis, quantum ingenii ac doctrinae mediocritas mea valuit, responderem. Non ut te docerem, sed ingenue, ut mihi mos est, sententiam meam proferrem, laboravi, quod ut boni consulas, nequaquam mihi rogandus es, cum tua id humanitas ultro sit factura. De tuo Acolythatu faciam quod scribis, cum primum abbreviator noster aliquid otii habuerit. Vale. 2. Martii 1518.

IV.

ULRICO ZUINGLIO, DOGGIO, UTRIUSQUE LINGUAE DOCTISSIMO, PETRUS SCUDUS. S. D.

Valentinus [3] ἀγαθῇ τύχῃ ex Helvetiis rediit, doctissime *Zinli*! nec enim illi quicquam praeter sententiam accidit, vacuus tamen literis tuis, quarum potissimum gratia reditum eius efflagitabam. Verum id negligentiane an oblivione effectum sit (nam quidvis citius quam contemtum ominarer) non intelligo. Tametsi suspicari nonnihil libeat, id quod res ipsa forsitan est: saepe enim importunior quam par erat, maioribusque curis praepeditum, quam qui ad hasce nugas animum

---

[1]) Extremo Februario. 1518. [2]) Bombasius videtur, ut e literis Gebweileri ad Capitonem 17. Iul. 1520 existimare licet, scriba Cardinalis Schinneri, Legati Pontificis in Helvetia fuisse; de quo etiam in ep. Neseni ad Zu. n. 22: item Bayle Dict. [3]) *Tschudi.*

demittas, te litteris interpello. Quod si hac in re flagitium committo, tui candoris erit homini optima in te animi fide affecto id quidquid est condonare; quippe qui hactenus eius fuerim tum animi tum instituti, ut *Zinlio* optime de nobis merito, si quando per otium liceat, non scribere nefas existimarim. Proinde ne literarum tuarum deliciis in posterum me fraudes, cum a musis sacrorumque administratione feriatus fueris, oro. Unae enim illae sopitum pene excitant, totque febrium pestibus gravissime distortum reficiunt, denique stimulos et calcaria, quo alacrius sub rei literariae ducibus militem, subdunt. Accedit id praeterea, quod summi muneris loco duco, ut hominis eruditi atque adeo praecipui Helvetiae ornamenti amicitiam iactare liceat illarum testimonio, quo uno abunde felicem me arbitror. Nolim tamen quicquam meo nomine praeter solitum morem negligas, nec etiam tam perfricatae frontis homo sum, qui id rogitem, nedum exposcam. Verum ne diutius prolixiorum literarum odio aures tuas onerem, receptui canam. Vale Petri tui memor! Raptim. *Lutetiae*, 9. Apr. 1518.

V.

EPISTOLA DE MAGISTRIS NOSTRIS LOVANIENSIBUS, QUOT ET QUALES SINT, QUIBUS DEBEMUS MAGISTRALEM ILLAM DAMNATIONEM LUTHERIANAM.

G. N. N.[1] D. UDALRICO ZUINGLIO HELVETIO APUD TIGURINOS CONCIONATORI ERUDITISSIMO. S. D.

Pudor obstat, optime mi *Zinli*, quo minus tibi perscribam, quae non pudet hic designare quosdam Theologos, absque persona, tam stulta, ut nullus histrio, quantumvis impudens, ausit similia facere personatus. Huius fabulae praecipuas agunt partes *Io. Briardus Atensis*,[2]) homo vix bipedalis, sed idem fucatissimus simul et virulentissimus, denique *Galliculus*. Est enim ex illa hominum colluvie, ex *Germanis* simul et *Gallis* conflata, et ob hoc infensior est nostrae *Germaniae*, quae nunc praeter ceteras nationes feliciter amplectitur non modo bonas literas, verum etiam pristinam scribendi libertatem sibi usurpat.

Hic cum sit seniculus, et semper abundet pessimis humoribus, qui nunc pedes, nunc latera, aliquando etiam caput obsident; tamen medicum habet *Io. Winkel*, iuvenem egregie indoctum, sed sibi ob divitias ad insaniam usque placentem, praeterea nihilo minus lingua sycophantica, quam sit *Atensis* ipse, qui nihil est nisi venenum merum. Eum adhibet cum laborat mala pituita. Is hominem ex insano facit insaniorem. Sunt et praeter alios instigatores non paucos duo

---

1) i. e. *Guilielmus Nesenus*, *Nastadiensis*. 2) Cancellarius vicarius Lovaniensis rixabatur cum Erasmo de annotationibus eius ad N. T. sic tamen ut in pacem rediret (Hess, Vita Erasmi I, 289 — 291), ubi non adeo nequam apparet, ut hic a Neseno descriptus.

praecipui M. N. *Iac. Latomus*, [1] qui ex infima fece et collegiaticis pediculis ubi emersit ad notitiam reverendissimi *Cardinalis de Croy*, cuius optimam indolem suo morbo h. e. suis naeniis sophisticis, in quibus bonam partem vitae perdidit, inficere conatur, factus est intolerabilis arrogantia. Praeterea *Ruardus Encusanus*, homo miserabili balbutie et tamen maledicentissimus, ingenio forma, vultu, incessu, doctrinaque fratrali etiam, si non sit frater. Hi veluti Polypi transmutantur ad omnem habitum: cum *Atensi* aegroto aegrotant, cum insaniente insaniunt. Contemplatus sum omnes per otium diligenter; animi morbum ipsa corporis specie prae se ferunt. Aliorum nominibus prudens in praesentiarum parco, quanquam et illi veluti publico furore fanatici vociferantur acriter in optima quaeque, cum est opus. Sed omnium stolidissimus est ac maxime perfrictae frontis *Nicol. Edmundanus*, [2] dignus, qui ob insignem stoliditatem *Camelita* vocetur. Hunc ipsa natura plane genuerat ad monachatum sive fratralitatem. Nihil enim habet frontis, minus mentis, linguae et loquentiae plurimum, eloquentiae nihil omnino; et cum omnium stultissime et dicat et faciat vix tamen dici possit, quam sibi in omnibus placeat, ut mirum sit non verti in rosam, quicquid calcaverit ille. In dialectica parum feliciter versatus est ob plumbeum ingenium, sed tamen per gradus illos solennes haec bellua pervenit ad Magistrum nostratem. Atque ut interim tegeret stoliditatem asininae mentis, voluit videri textualis, cum illi non sit opus acumine ingenii. Ergo factus M. N. tanquam regnum assecutus, coepit de splendore vitae cogitare. Nec erat misero, unde vel famem sedaret. Nam antehac utcunque ex conviviis solennibus, ex pecuniola, quae a miseris scholasticis sordide abraditur, sustentarat ventrem. Vidit autem apud nullos stoliditatem et impudentiam esse feliciorem, quam apud monachos mendicantes titulo, re satrapas ac tyrannos, inter quos Praedicatores cumprimis placebant, quorum ordo semper habuit egregie seditiosos et ad omne facinus imperterritos. Quam quidem laudem adhuc ceteris invident, dum nobis suos *Alvaros*, *Thomas*, suos *Sylvestres*, [3] suos denique *Hochstratos*, [4] quasi formidabiles obtrudunt. Sed ex Scotista Thomistam fieri erat difficile. In Minoritis displicebat nuditas et vita non admodum delicata, in Augustinensibus paupertas absque hypocrisi. Videbat Carmelitas in his regionibus *ἀβελτέρους* pulcre regnare, maxime favore mulierum. Ergo Camelus Camelita factus est *Mechliniae*, quae civitas quia forma gignit insignes, Veneri sacra est. Nec ob aliud mulieres hic favent adeo his nebulonibus, quam quod vocentur *Fratres Dominae*. O felicem S. Virginem, quae tales tauros complectitur sub pallio suo. Hinc tamen colligas

---

[1]) Magister Noster *Iacobus Latomus* D. et Prof. Theologiae Lovanii quoque, ex amico adversarius Erasmi, defendebat Lovanienses Theologos adversum Erasmum, propugnabat pro Scholastica ac spernebat studium Classicorum et Philologiam. Ibid. 350 sqq. Bibl. Gesn. et Fris. [2]) *Nicolaus Edmundanus*, Carmelita, monachus ac Theologus Lovanii, infensus Erasmo, quem pro concione haereseos accusare solebat (ibid. 299. sqq.). Venaturam Haereticorum dum facit, *1522* a *Belgis* occisus est. Epist. 35. *1522*. [3]) Scholasticus. [4]) famosus hostis Reuchlini.

licebit, hanc belluam non religionis gratia factum Carmelitam, cum eodem anno, quo professus est Carmeliticam vitam, factus sit terminarius, ut vocant, *Lovaniensis*, ut pariter et ibi caseos et ova colligeret et a solennibus illis prandiis et honoribus, quibus assueverat, non abesset. Nusquam enim lautioribus conviviis mulctantur accepturi gradum, neque alibi Magistri nostri potant liberius, quam *Lovanii*. Deinde regnum isti videbatur, invitari per Bidellos, quos vocant, salutari Magister Noster, sedere sublimis in schola, ut crepitus et paedor pedum perveniat ad capita Baccalaureorum, ac Magistrorum non nostrorum. Haec homo mundo mortuus scilicet contemnere non potuit. Et vide hominis impudentiam, qui ipse fugit domum et religionem suam, ut reformet alia monasteria; alios includat, quum ipse non potest ferre claustrum domus suae. Sed tamen interea prospectum erat edaci ventri et bibaci gulae, atque etiam salaci peni. Nam nunc iucunde deliciatur, vel cum sacris virginibus, si desunt matronae. Et vide, quam homo strenuus non defuit professioni suae. Mox magna pecunia congesta ex interversis testamentis, ex impudenter praedicatis veniis, ex compositionibus, ex intempestivis adulationibus, quibus inter concionandum mulierum et maxime vetularum animos sibi devincit, ex hypocrisi ad quam se totum componit, nidum extruxit *Lovanii*, futurum monasterium Carmelitarum. Quasi parum sit huiusmodi mendicabulorum otiosorum, quibus mundus gravatur nimium. Nec his contentus cauponem agit: domi non paucos alit pueros, quos doceat nihil scire; scilicet pro grammatica praelegit illis Salomonis proverbia; et hunc quaestum, qui multos alit *Lovanii*, homo insatiabilis praeripit. Enarrat idem domi psalterium, in quo se novum praebet artificem. Nam psalmos, nec ab eodem, nec eodem tempore scriptos, ita obtortos connectit, velut linum lino connectens, quasi contextus sit continuus. Eas enarrationes condit suo more virulentis obtrectationibus, in oratores, in politiem dictionis, in Graecas literas, et literarum studiosos semper aliquid evomens, tali stipite dignum. Quodam die apud Vestales virgines: Quid est, inquit, poëtria? Nihil aliud quam sic loqui, ut loquuntur in lupanari. Hoc portentum et oderunt et rident etiam alii Theologi. Sed tamen postquam conspirassent in meliores literas, visum est illis utile, ut ad hanc agendam fabulam, hunc histrionem aut potius Cyclopen adhiberent, stupidum, impudentem, clamosum, pertinacem, furiosum. Nam animi furorem non solum verbis, sed et ipso vultu ipsoque incessu declarat: in summa, si cucullae adderentur auriculae cum tintinnabulis, nihil in eo desiderares. Hoc igitur morione sunt abusi in his partibus fabulae, quas putabant sibi indecoras fore. Tam stolide frequenter hic clamavit apud populum in linguas, in poëtriam (sic enim ille vocat poëticam, ex Catholiconte opinor), in N. Test. *Erasmi*, quod interim confitetur, se nunquam vidisse neque velle videre. Omnes suas conciones, quas ut in loco sacro sacras esse decet, infecit et conspurcavit huiusmodi sycophantiis, oblique perstringens etiam viros eximios et de bonis literis bene meritos. Et cum huiusmodi factis homo sibi videtur sani capitis, nec medicum adhibet nec poscit elleborum. Cum Lutherii opera prodirent, misere metuebat suo quaestui, memor quantam vim pecuniae

collegisset, et veniis apostolicis. Nondum legerat ullam pagellam, et ob ingenii stuporem frustra erat etiam lecturus, sed audierat inter pocula a combibonibus Theologis, inesse quae obsisterent illi quaestui. Illico prosiliit ad populum, et insanis clamoribus omnia commiscuit, nihil habens in ore nisi seductores, haereses et antichristos, clamabat periturum mundum nisi ipsius humeris fulciretur. Non sum is, mi *Zuingli*, qui *Lutherii* libros intelligam ob quaestiones aliquot remotiores, nec me causae illius misceo, cum ipse non egeat talibus patronis. Tamen adeo hebes non sum, quin huius stuporem admirer. Ex hoc uno cetera coniicito, quam hic asinus intelligat *Lutherii* dogmata! Plus centies clamavit apud populum *Lutherium* docere, non esse necesse confiteri peccata mortalia, nisi manifesta. *Lutherius* sensit manifesta nobis, i. e. quae iudicaremus esse mortalia, quod certe (ut ego puto) non est cuiusvis; ista bellua putat non esse manifesta, nisi quae designantur in foro. Quid facias quaeso huiusmodi bardis fratribus? Constanter etiam nunc vociferatur in *Lutherium* et tantum profecit, ut passim emant libros *Lutherii*, sibi persuadentes esse aliquid boni, quod huic Caesario tantopere displiceat. Et postea queruntur, esse qui emant *Lutherii* libros, cum ipsi non solum irritent emendi appetentiam suis adeo ineptis vociferationibus, verum etiam ecclesiae tranquillitatem in periculosum vocent dissidium. Putat hic monachus se valde sanctum, si die Mercurii non vescatur carnibus, sed ovis et piscibus sese expleat ad vomitum usque; et tam manifestis mendaciis, tam sceleratis calumniis famam boni viri proscindere, talibus sycophantiis inficere animos et aures auditorum non putat esse peccatum. Clamat *Latomus*, clamat *Edmundanus*, balbutit *Ruardus* in *Lutherium* haereticum, in indoctum, in ineptum, et tamen nemo illum commonet, nemo docet, nemo redarguit, cum ille doceri postulet, cum audiri cupiat et audire. Qualis sit *Lutherius* nescio, nisi quod libri, quas hactenus edidit, testantur eum esse in literis theologicis, non tam veteribus quam recentioribus, exercitatissimum; praeterea ingenium arguunt sanum, et pectus multis variisque dotibus vere christianis instructum. Hos vero novi tales, ut si non essent alii christiani, cum his, ita me Deus amet, Christianus esse nollem. Siquidem avaritiae addicti sunt et ambitioni. Nulli prosunt, nulli bene volunt nisi sibi ipsis, nocent plurimis et timeri volunt sub religionis praetextu. Neque enim hoc offendit istos in *Lutherio*, quod non satis molliter tractat Pontificis maiestatem, de qua et ipsi non admodum magnifice sentiunt; quod vellicat venias, quas nec ipsi probant, cum inter sese veris [1] agunt. Sed ideo his est haereticus *Lutherius*, quod *Thomam* despicit, quem praedicatores quintum Evangelistam videri volunt, quod incessit Magistros nostros, quorum autoritatem sacrosanctam haberi postulant, quod scholastica dogmata non habet prae oculis, quibus, ut nihil aliud dicam, debet mundus tot monachorum discrimina, tantum ceremoniarum, et christianam religionem, si non extinctam, certe misere afflictam infectamque, tot indoctos theologos et bonorum autorum neglectum, de quibus dogmatibus M. N. *Latomus*

[1]) veris scil. verbis.

promisit tertium librum; sed ubi videt, primos duos tanto risu doctorum omnium exceptos, consultius putat esse premere, quam tanto scholasticorum doctorum dedecore iterum prodire in proscenium. Hinc est, quod clamitant; hoc ulcus illis dolet, hinc illi tumultus insani. Malunt (opinor) obrui doctrinam Christi, quam aliquid decedere de maiestate duorum aut trium Magistrorum nostrorum. Certe Carmelitis et Praedicatoribus, quos tantum inversio vestium seiungit, minus indignor: ventri serviunt et ventris negotium agitur. Demiror magis cur his belluis alii subserviant. *Edmundensis* putat timeri stultissimam illam linguam suam (nam hoc subinde iactat e suggestu, quod *Huttenus* noster arcem impudentiae vocare solet), propterea quod boni nolunt adversus rabientem rabire. Nunc audi quaeso horum dementiam, audi! exspectant, ut *Lutherius* capiatur. Quid hoc aliud est, quam sitire humanum sanguinem? Quandoquidem docere non possunt, at tamen perdere volunt. Utrum hoc est carnifices agere an theologos? [1] Quanta indignatio posteritatis, si legerint *Lutherium* virum fuisse bonum et vitae ad miraculum usque inculpatae, acutum, eruditum, ingeniosum, bene christianum, praeterea *Germanum*. Et tamen quod primus in tanta theologorum perversitate, in tam detestabili Monachorum tyrannide, ausus fuerit libere monere, et Christum iam olim constitutiunculis humanis indigne foedatum, imo conculcatum, vindicare, oppressum non argumentis neque Scripturae Sanctae testimoniis, quibus innocentiam suam usque tuebatur invictus, sed arte et conspiratione nebulonum plane tyrannica. Quodsi quidam haberent tantum insaniae, quantum isti, brevi mundus totus sciret, quae probra, quae dedecora, quae flagitia, quae facinora lateant sub illis albis et nigris palliis. Qui faverent religioni, citius alerent ursos aut simias aut etiam viperas, quam multos istorum generum: nolo enim gravare omnes, quos tamen opinor esse perpaucos. Unde nobis haec prophana religio, unde haec impia pietas, unde indocta doctrina, unde spurcissimus iste coelibatus? Indigne fero, hanc urbem elegantem, hanc Academiam cum primis celebrem, et egregiis ingeniis abundantem, sic infici per hos paucos nebulones virulentos et indoctos. In ceteris literis non est omnino indoctus *Atensis*, sed ira huic prorsus dominatur. Quid autem iudicet iratus? Quid diiudicet inimicus? *Edmundanus* plane stolidior est, quam ut vel de re culinaria ferat iudicium, quod tamen affectat, et quidem sedulo, et ob hoc frater *Gula* a quibusdam vocatur, quod plus palato quam ingenio valeat. Et nunc ea damnat, quae nec legit nec intelligit. Si sapiunt bonarum literarum cultores, in hos omnes acuent suos calamos: indigni sunt, quibus parcatur, ferae sunt non homines. Proferantur horum mysteria, quandoquidem ipsi finem insaniendi nullum faciunt. Et audio esse in manibus quorundam volumen quoddam, cui titulus sit: „De memorabilibus Praedicatorum et Carmelitarum," cuius gustum nobis praebuit *Nicolaus*

---

[1]) Huiusmodi locus in Erasmi epistola ad Albertum, Archiepiscopum Moguntiensem, extat Cal. Nov. 1519. Dum Erasmus Lovanii degebat, saepe cum Noseno, credere licet, de his rebus contulit sermones. Hinc similia verba. (Amad. Wendt.)

Quadus in epistola quadam sua longe elegantissima. [1] Et Dii faxint ut ne torqueat nos expectatione longa. Si moveret eos negotium fidei, ut simulant, inquirerent in libros *Alvari*, in libros *Sylvestris*, in libros *Thomae de Vyo;* [2] sed de Praedicatorum erratis nullum verbum. Quantum equidem coniicio non tendunt in *Lutherium*, qui satis tutus erit contra horum tyrannidem, sed in omnes bonas literas, quas ipsi non didicerunt et piget discere, sed praetexunt splendidum titulum homines ad hypocrisin nati educatique. Quod si conatus eorum successerit, id quod superi prohibeant, videbis, quo sit evasura rabies sceleratorum. In hanc rem scio coniurasse quosdam, omnes insigniter scelerato, quorum nomina brevi ut arbitror cognoscet ac detestabitur mundus. Hos tyrannos retundere magis puto esse e re christianae religionis, quam profligare Turcas trucissimos, aut his etiam sceleratiores Iudaeos. Demiror lenitatem *Erasmi*, quod suo stilo felicissimo non saeviat in istos; sed ille, ut est pure christianus, abhorret ab omni dissidio, et interim studiis vere sacris sese consolatur, reversus ad Paraphrases in Paulum, quas hac hieme perficiet. Et ut ille in re quidem optima occupatus est, ita non convenit alios studiorum causam deserere. De his satis hactenus. Proximis tuis literis respondi superioribus nundinis. Hic quoniam et praeter spem et certus oblatus est nuntius, nolui te nescire, quid hic ageretur; et placuit stomachum meum apud te effundere. *Hutteni* postrema foetura [3] mire probatur doctis omnibus. Utinam ille vivat ultra Nestoris annos! ita semper vincit se ipsum felix illud et fecundum ingenium. *Carinus* noster [4] plenis (ut aiunt) velis ad utriusque linguae fastigium contendit; spes est fore, ut brevi *Germaniam* nostram, non modo *Helvetiam* ingenii sui opulentia sit illustraturus. Hic locus et tota fere *Brabantia* satis tuta est a peste, sed laboramus alia peste nocentiore, quam sit ista vulgaris. *Lovanii* apud Sycophantas M. N. et Fratres. Tu perge, eruditissime *Zuiagli*, purum Christum tuorum populorum animis inserere! Anno 1518. Mense Aprili.

VI.

ULDERICO ZINLIO DOCTISSIMO VIRO
VALENTINUS SCUDUS. S. D.

Literae tuae tum doctissimae, tum officii refertissimae ad nos perlatae sunt, Udalrice praeceptor carissime, carissimorumque amicissime, quibus quantum exhilarati fuerimus haud facile dixerim. Non amice enim tantum, verum pie quoque, Christi denique id etiam suffragio

---

1) Nequitia istorum monachorum his literis depicta est. (Gesn. Bibl.) 2) Adversarius Lutheri. 3) Probabiliter praefatio ad Vallam de donatione Constantini. 4) *Ludovicus Kiel* (latinizans *Carinus*) Lucernas sub Glareano et Erasmo litterarum studia quum coluisset, Doctor Philosophiae et Medicinae factus obiit Basileae medicus 17. Ian. 1569, annis fere 90 transactis. Stipendium tribus adolescentibus studiosis Basileae condidit. (*Goeldli*, Conr. Scheuber. 2, 126. 313.)

obtestans, nos ad literarum amorem, mutuam caritatem, ac erga praeceptorem gratitudinem instigas, ac eadem nobis tam eleganter, tamque sobrie praedicas, ut nihil ista tua epistola gravius sinceriusque expectandum sit. Auget et hoc nostrum tam ingens gaudium, quod nactum te scribis adeo doctum adeoque excellentem et *Erasmi* quoque calculo praestantissimum Graecarum literarum institutorem, [1] ad quarum tamen penetralia, si per ecclesiastica negotia liceret, quae meliorem otii partem adimunt, tuapte industria ob eximias ingenii dotes devenire, vel temporis brevi admodum curriculo, potuisses. Atque non parum autoritatis accedit, tali te usum magistro. Nec animo quidem meo inhibere potui, quominus (etsi non decem ultra dies, interea quod cum *Glareano* nostro tabellas ad te dedimus, intercesserunt) literis tuis cultissimis respondeam (si id respondere est, pro elegantissimis doctissimisque tuis barbaras et incomptas remittere nugas), nec ullus prohibet pudor, quin si post triduum etiam tabellio ad manus fuerit, epistolam unam super aliam, barbariem super barbariem, accumularem, cum tua certe humanitas, tuus propensus erga nos animus, illa nostra, licet auribus tuis nequaquam respondeant, at quod ab amico veniant tui studiosissimo, nunquam displicitura suadeant. Sed satis haec. Praeceptori, rogo, nostro, [2] et doctrina et morum integritate omnibus omnium iudicio anteferendo me, sicubi eum convenias, verbis absentive tabellis commendes. Ac huic has nostras literas, qua celeritate poteris, perferendas cures, ne eas reditus ipsius antevertat. Proinde amicis nostris nostram operam probes, et iisdem curam nostri sedulo mandes. *Petrus* [3] denuo, quod ipsum quoque scripsisse reor, a febre impetitur, lentius tamen, quam cum eum ceperat. De magisterio nostro quid sentias, rescribe! parebo. Vale, *Valentini* tui memor! — Varios passa est hic universitas tumultus. Rex ipsius privilegia demsit, atque cum Theologi appellatione se tutari vellent, appellationem non admisit. Porro cum studentes, quos vocant, armis caduceatores arcerent, armatis undique civibus vi tandem abrogavit. Eadem nuntius is qui tuas quoque huc adtulit literas referet. Ex *Lutetia* 6. Cal. Maias (27. April.) 1518.

Inscriptio: *Ulderico Zinlio*, integerimo viro literarumque cultori primario *Eremi*.

VII.

ERASMUS FABRITIUS, LITHOPOLITANUS PRESBYTER [4] ACUTISSIMI IUDICII VIRO ULDERICO ZINLIO S. D.

L. Sylla, cognomento felix, cum semel a civibus suis rogaretur, quod suae felicitatis maximum monumentum iudicaret: is cum Athena-

---

[1]) Probabiliter *Bombasius*. [2]) Glareano. [3]) *Tschudi*. [4]) *Erasmus Fabritius* (Schmid) a *Lithopoli ad Rhenum*, amicus Zuinglii, adiutor reformationis in sua patria. Zuinglius ipsi copiosam relationem de prima dispu-

rum urbem (perinde ut omnium doctrinarum parentem) abs se incendio servatam, tum Metelli Pii, integerrimi civis amicitiam esse respondit. Praeclara profecto, aureoque lapillo notanda sententia, in homine alioquin pessimo, truculento sanguinisque sitientissimo. Qui non parum tamen quibus amicis quis utatur interesse est arbitratus: nam, quam rem locupletior gratia uberioresve fructus comitentur, nec ipse video. Quid enim, mi Ulderice, in vita est commodius, quid iucundius, quid denique magis necessarium, ut Dii me bene ament, haud comperio. Eo igitur Empedoclem nostrum nequaquam abs re litem et amicitiam Naturae columnas asseruisse contenderim: quandoquidem hominum discordia nihil turpius, nihil pestilentius; atque eorundem *εὐφωνίᾳ* nihil pulchrius nihilve mage frugiferum. Unde si ita est, nobis quoque operae pretium visum fuit ulnis eam manibusque ambabus amplecti; ne vel Graecorum instar (qui egregie de virtute disputantes, digitulo vero neutiquam attingunt) censeamur. Adde, num vel eo quis videbitur insanior, qui, cum quod in alio damnat, ipse pronus irruit. Sed ne lenti unguentum addere videar, neve diutius paeniis nostris, subsellulariisque verbulis delicatissimas aures tuas demoror, quid affectem intellige. Mensibus iam aliquot elapsis, cum, ut saepe fit, *Lithopoli* otiosus aream circumeo, ad Bibliopolam forte, quid novorum operum venum poneret, scrutaturus appello. Is mox, ut secum verba fecissem, *Glareani* nostri *εἰσαγωγὴν* in condenda carmina obtulit. [1] Ego sane multa onustus laetitia aliquandiu libellulum (ut soleo eius lucubrationes nonnisi magna patriae nostrae congratulatione, amore quoque et studio sui nominis, amplecti ac exosculari) saepius manibus identidem retracto, speculque illam iam dudum conceptam dum longius moror, ardentiorem reddo. Apertis denique foliis, Elegias quasdam appendices offendens, magis corculum subsultat meum. Inde fit, cum easdem *Zinlii* cuiusdam (nomen profecto mihi tunc prorsus incognitum) splendore patrocinioque emanasse pellegerem, antigerio quam solicitus *Iohannem Taurenum*, [2] optimum congerronem meum, num virum nosceret, adeo. At iste, morbone vel gaudio correptus, diu constrictis faucibus titubans (validissimo sui in Te amoris indicio) tandem: Is, dicit, is est, de quo centies tecum commentor. Is est (NB.) quem solum extra omnem Helvetiorum aleam seposuimus; is est, ait, denique, qui primus apud suos bonas literas plantavit, quique singulari est et doctrinae et morum venustate insignis. Ego me hercule veritus, ne Cumanus asellus tibi viderer, quo argumento tecum amicitiam auspicarer, diu multumque du-

---

tatione Tigurina fecit. Archidiaconus Tiguri 1530 factus deinde Wirtembergicam ditionem Kirchenweyer in Alsatia reformavit, 1533 Tigurum in suum munus sese recepit, ubi etiam civitate donatus 1547 obiit. (Wirz. N. Helv. H. Eccl. I, 88. II, 235 sqq.)

1) Fuerunt opuscula de syllabarum quantitate, pedibus et carminum generibus ac de figuris; quibus appendicis loco Elegiae additae erant. Tiguri apud Froschoverum. 8. (Gesner). 2) *Io. Oechslin* (latinizans *Taurenus*, *Taureolus*), probabiliter idem, qui postea Diaconus cum Zuinglio Eremi ac deinde Pastor in arce apud Lithopolin fuit cuiusque prehensio per praefectum Thurgoviae 1521 tumultum Ittingensem excitavit.

bitavi, dum mihi Corinthum petere nimium arbitrabar. Impulsus demum *Ioannis* sincerissimi tuarum laudum buccinatoris suasu ansam praeripui. Sum enim non tam crassus durus homuncio, quin intelligam, affectuum morumque similitudinem, eandem vitae rationem, atque eadem studia nonnihil ad hoc conferre. Porro ut de moribus honestissimis, deque innocentissima vitae castimonia subticeam: interim de studiis tuis loquor, atque ea sic laudo, ut nec possim nec minus velim. Enitendum itaque erit, ut explosa tandem barbarie Helvetica pubes Latine discat loqui; quanquam et Graecari non minus necessum foret. Qua quidem in re *Glareanus* noster una tecum (ne dicam quanta cum laude; at certe magno fructu) plurimum laboris consumere videbitur, si vel ab incepto (uti vix crediderim) non destiteritis; vel continuis vigiliis vestris ad aemulationem provocare non horrescatis. Ago igitur iuventutis huiusce titulo grates Deo Opt. Maximo; deinde vobis; postremo seculo nostro, quo nasci contigerit, cuius ingeniis non modo veteres aequare, sed et superare possimus. O utinam umbrae vestrae accederem, quo purior indies vocaliorque redditus conceptum animo opus laudum ederem. Mirabere fortasse iam et quidem non immerito quale id fuerit. Suo tamen die experiere. Quod si vivendi tecum daretur occasio, dispeream, si quicquam melius optatiusque tota vita accidere queat. At fiet, si modo Dii fortunae non inviderint. Tu, opto, age iam quod amici sit ingenii. Ego quae meae partis sunt acturus sum non tam libenter, quam etiam exactissime. Vale terrae nostrae fulgur atque decus splendidissimum. Me quoque plurimum generoso Baroni *Geroldseck*, studiosorum hominum patrono, iterum atque iterum commendato, resque meas tum me ipsum obsequiis suis gratuitis pollicere audacter. [1] Iterum vale felix! *Lithopoli* 2. Id. Iun. (12. Iun.) 1518.

Ipsissimus ille *Erasmus*, homulus tuus deditissimus.

Inscriptio: Literatissimo omnigenarum disciplinarum professori *Ulderico Zinlio*, *Doggio*, amicorum amicissimo.

VIII.

ZINLIO SUO VALENTINUS SCUDUS. S. D.

Post *Glareani* nostri ad patriam reditum, *Zinli* doctissime, binas adhuc ad Te dedimus literas, unas cum, qui tuas huc detulerat, tabellione; alteras peregrino cuidam *Flandrensi*, qui suam nobis operam pollicebatur, perferendas tradidimus. Quarum nec dubium est primas ad Te pervenisse. De ceteris vero ignoramus, cum tabellio remotae procul a nobis patriae, et quod peregrinus sit, nihil certi animo nostro promittat. Quod non cum *Glareano* nostro rescripseris, causam quidem ex ipso accepimus, praepeditum quippe te, volentem utique, festino ad *Eremum* reditu, cum longiorem moram ipsa negaret necessitas; satis nobis tamen fuerit, eo quidem te fuisse futurumque adeo animo, ut ubique, si modo per nuntios temporisque occasionem (quod hactenus

---

[1]) Erasmus Eremi, quo venerat, aliquantisper commoratus est.

sedulo curasti) liceat, suavissimis tuis atque plane nectareis literis nos exhilarares. Opinionem tuam de nostro Magisterio haud absque ingenti gaudio accepi: magnopere enim dissuadere Te, ac nequaquam in hoc amicorum nostrorum probare consilium, nec quippiam inanibus his titellis viri auctoritati accedere. Quod quoniam a tali viro profectum, non possum non magnopere probare, atque ob id magis, quod in dies videam quibus in umbris iuventus Gallica deliteat, quibusve nugis, quam frigidis quamque scurrilibus iuvenilem animum imbuant, imo inficiant. Non enim venenum aeque nocivum atque praesentaneum, quam haec sophistica (loquaculam hanc ac cavillatoriam inquam) bestifera est; pestiferam dicere volui. Quin bestifera. Feras enim, bestias atque iis etiam immaniores eiusdem Mystas cerneres. Iudicium ipsis ademtum; sensus obstupati atque, quod aiunt, mucco obsiti. Ingenii acumen obtusum, nec quicquam in eis de homine perinde ut in Echo remansit praeter sonum inanem, quem ipsi tamen tam prodige, tamque effuse depromunt, ut nec decem mulierculae, quae natura ipsa impendio loquaciores, uni Sophistae adaequari queant. Longe hic alii sunt, quam Tu aut *Viennae*, aut *Basileae* unquam videris, qui si huc venirent, cum pueris denuo discere cogerentur. Non vel tantillum elabitur temporis, quo paulisper remissi aliis negotiis intenti sint. Totum matutinum his nugis addictum. Cum prandendum, cum coenandum, cum animi refocillandi gratia deambulandum, summum id Gymnasium est, summa cura. Quid multa? Integram dieculam in his consumunt. Credo etiam, cum orandum, eos cum Deo sophistice agere atque eum argumentis convincere conari. Quos haud absque magna argutia Praeceptorem nostrum olim Gymnosophistas appellitare memini, quod prorsus omnem exuerint sapientiam, atque ab ea nudi agant. Quam quidem ingeniosi in veris vocabulorum etymis perquirendis? Est hic in suburbanis Divi Germani Templum, in quo olim eos Isidem coluisse fama obtinuit. Sunt quidem certa adhuc antiquitatis vestigia. Huc cum aliquando recreandi animi gratia pervenissemus, aderat forte ibi Gallus quidam. Hic, cum casu quodam de Parrhisiis mentio incidisset, ita eius Etymon explicabat. Parisius (ut ipse nominabat) inde dictus, quod est *παρὰ καὶ ἴσιος*, hoc est, iuxta Isidem. Interpretationem hanc in Collegio credo quodam ab anxiis illis Philosophastris annotaverat. Utinam videres Theologos, qui, columna fidei, scilicet! tam pueriliter suis quaestionibus delirantes. Democritus certe in his, quam Momus esse malles. Magis enim ridendi quam reprehendendi, cum nullis rationibus persuaderi queant. Vah, quam miseris modis bonum fortem agunt! Hic eum cruci delegat; ille ad Minoem; alius ad Gemonias scalas. Nunc iudex statuitur, nunc causidicus; paulo post dux exercitus, atque etiam rex. Porro eum ex rege deinde lictori, ut vapulet, tradunt. Ita varia eius fortuna. Nec Plato vel tantillum ea prosperiore utitur, iisdem supplíciis addictus talibusque honoribus decoratus. At ipsi nunc dictis ita procacibus mutuo se impetunt, ut conflicturis interdum similes appareant. Elata nunc voce etiam ad ravim usque digladiantur ut, quandoque in assistentium strepitu explodantur, voces suas media in arena amissuri videantur. Copiosius rideres, si quaestiones ipsas adeo subtiles, adeo

denique magistrales cerneres. Diceres profecto (ut Proverbio dicam) τὶ ταῦτα πρὸς ἔρμην, aut quid haec ad Christum? At, quod stupidius, Hieronymum, Augustinum, Ecclesiaeque Doctores vigilantissimos ne hili quidem faciunt ac contemnunt. Verum quam apud eos acceptissimi magnique nominis sunt Ioh. Maioris, Altisiodorensis, Durandus, et quidam his etiam indoctiores; quos instar oraculi colunt: quorum quid aliud nomina, quam barbariem, opus inconditum, indoctum ac argumentosum, prima, quod aiunt, fronte promitterent. At nunc me recipio. Haec de studio *Parrhisiano*. Non tam, quod ea Te nescire existimem, quam quod adeo stupidissimos hos homines cum suis Gryphis atque insolubilibus captiunculis execror. Nec est quod adeo a Philosophia abhorream, quin eam ex animo discere cuperem, si occasio obiiceretur. Atqui talibus institutoribus nunquam utar, qui alba denigrent, plana exasperent, explicata involvant, vera invertant, dissoluta denique modis miris complicent, atque ex Philosophia μωροσοφίαν quandam commutent. Studebo tamen, etsi hos nunquam audiero, dum talibus praeceptoribus ut hactenus erudiri liceat, nec diffidas, quin ipse mihi in hoc nunquam deero. Vale, et quam semper de me spem habuisti, confidens speres! Ex Lutetia XI. Cal. Iul. (22. Iun.) 1518.

Inscriptio: *Uldérico Zinlio*, litterarum acerrimo vindici, Praeceptori carissimo. Eremi.

IX.

COORADUS GREBELIUS, HULDERICO ZUINGLIO, DUCANO,[1] AD S. MARIAM IN EREMO PAROCHO, VIRO DOCTISSIMO ET AMICO MEO SINGULARI. S.

Semel auspicatus es inter nos amicitiam certe non dissolubilem; sed cum longe a Te dissitus inter *Pannones* cum *Vadiano* Praeceptore meo, viro, paucis dico, clarissimo, agerem. Eam ego denuo commodiori argumento restauravero, iam apud *Tigurinos*, hoc est, meos degens. Veni enim cum praefato illo viro, totius Helvetiae lumine, ab Austriacis ad *Gallenses* usque profectus. Eiusque iussu (cur enim rogatu Praeceptoris tanti, tam docti, tam bene de me meriti dicerem) Pomponium Melam commentariis suis, ut ipse iudicabis, optimis illustratum ad Te una cum Epistolio mitti curavi.[2] Curavi praesertim, quod non tenuis gloriola mihi inde suboriri videretur, si tanti viri exemplar ad tantum virum, mea scilicet industria, mitteretur. Hac nimirum unica ansa literulae meae qualescunque (ut me doctos, tui inquam similes viros, amicitiaeque idoneos cultores unice observare animadverteres) dari debebant. *Vadianus* ille meus, non praeceptor, non vir undecunque doctissimus, sed iuratissimus amicus, venturum se ad nos pollicitus est; vellem itaque ut Tu quoque venires. Sic enim trium virorum, *Myconii*, *Zuinglii Vadianique* conspectu aliquamdiu pos-

---

1) pro *Toggio*. 2) „Extat eius praefatio in Pomponium Melam Parisiis excusum cum commentariis D. *Ioach. Vadiani*.“ (Gessneri Bibl.)

sem refici; non interim, ita me Deus amet, reges Divis adsimiles, immodico apparatu splendidulos, aut curaturus aut miraturus. Si negotiis tuis te suffurari poteris, nollem ex universa *Helvetia* ad *Tigurinos* alium ac *Zuinglium* venire. Verum si id ut facias tibi integrum non fuerit, fac saltem tuae ad me volent literae. Quas ego cum videbo, tanto excipiam gaudio, tamque crebris osculis dissuaviabor, ut tum demum literae *Zuinglianae* sed, ut solent, eruditissimae, *Grebelio* semper mitti velint. Haec ut venias, quod malim, aut saltem scribas, garrivi. Quid huc venerim quaeris? Vulneratus fui, verum iterum curatus. Hoc quidam amicus non amicus parenti meo, cum nondum huc venissem, retulit, mentitus me peius habere quam habuerim. Anxius ob id pater iussit me a *Vienna Vadiani* comitem illico redire. Redii ergo, sed non prius, quam me apud *Gallenses Vadiani* familia humanissime fovisset. Quid hic faciam, scire expetis. Expecto praeceptorem meum, ut eum, in patria sua, olimque apud *Viennenses* de me quam optime meritum, una cum Patre meo *Tigurinisque* omnibus modis quam honorificentissime recipiam; domum, cum veniet, paternam succedet, quod ipsius verbis, sic enim ad me scripsit, testabor: „Si Pater *Iacobus* modestiam iure iurando pollicebitur, hospes ero.“ Hospes namque ut esset, cuidam proprio nuntio ad eum datis literis oravi, et ut arbitror exoravi. Tune me infelicem dices? cuius domum vir inter Helvetios, citra invidiam dixerim, doctissimus, humanissimus integerrimusque intrabit. Et haec, quam par erat, diutius. Venturus veni properantissime, scripturus scribe non segnius! Utrovis mihi multum gratificaberis, priori tamen maxime. Nolim tibi sordidam nostram epistolam non sordere; modo animus meus erga te benevolentissimus vel tantillum placeat. Vale felicissime. Ex *Tiguro* pridie Kal. Aug. (31. Iul.) 1518.

Conr. Grebelius, amiculus tuus unice Te observans.

X.

IACOBUS ALEANDER [1] HULDRICO ZUINGLIO, PHILOSOPHO ET THEOLOGO, PAROCHO APUD HEREMUM B. VIRG. MARIAE DIGNISSIMO. S.

Doctissime Huldrice! Soleo ego nihil omnium tam invitus facere, quam illos commendare praesertim viro tam gravi et in dispiciendis hominum moribus Argo, quorum mores, vita et studium, experientia teste, a nostris est *δὶς διὰ πασῶν*. De praesentium vero latore, quid agam aliud, doctissime mi *Zuingli*, quam Harpocratem? Et tamen voluit commendari iterum atque iterum insusurrando, me quamplurimum apud Te posse, atque se certo certius scire, meas commendationes utilissimas fore, et Pandoram quandam futuras, qua facilius conditionem apud vos agendi impetraret. Rogatus rogo, quod quidem et tu facies, ita ut ne minimo quidem tua aut gravitas aut constantia tamen aberret. Ceterum sunt nobis *sortes* quaedam *Virgilianae Romae* in praeteritis

[1]) Idem, qui in Epist. 30 *Salandronium* se vocavit.

Christi natalitiis per quendam Atlantiadem et alios Peripateticos, vi exorcismorum Daemone Virgilii ad hoc compulso, conceptae et adnotatae. Si tibi non essent et optares legere, quamprimum scriberes ad te darem. Dii immortales! quas Harpyias, quos Pygmaliones *Helvetios* facit, quam multa de avaritia inculcat. Quam vere, nescio; dicere, ut scio, timeo. De aliis principibus ecclesiasticis et profanis neminem praeterit intactum. Dominus G. noster *Copus* [1] sua erga me benignitate exscribendas mihi dedit. Si patieris, ad te dabo exscriptas; scio Dom. tuo *Gro.* [2] rem gratissimam facies. *Crispinus Carra Romae* sine adhuc aliqua conditione ex propriis nummis agit. Vellem admoneres eum literis, si tibi visum fuerit, recta rediret ad patriam, sua cum suis disperderet, et non tam venali in urbe. Valeo ego cum omnibus meis et te valere animo et corpore exopto. Ineptias illas meas Vulcano committe, ne commendato in manus veniant! Ex *Curia Rhaetiarum* 31. Aug. 1518.

Iacobus tuus *Ἀλέανδρος*, *Curiae Rhaetiarum*, ludi literarii praefectus.

XI.

ANTHONIUS PUCCIUS SUBDECANUS ECCLESIAE FLORENTINAE, CAMERAE APOSTOLICAE CLERICUS, AD HELVETIOS MAGNAE LIGAE VETERIS, SUPERIORIS ALEMANNIAE CUM POTESTATE LEGATI DE LATERE NUNTIUS [3] DILECTO NOBIS IN CHRISTO ULDARICO ZUINGLIO, RECTORI PAROCHIALIS ECCLESIAE VILLAE GLARONENSIS CONSTANTIENSIS DIOECESIS, SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PAPAE, ET APOSTOLICAE SEDIS ACCOLITO CAPELLANO, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

Virtutibus clarens et meritis, sicut experientia et famae laudabilis testimonio commendatus illam in Domini Nostri Papae, et Apostolicae sedis conspectu gratiam meruisti, ut personam Tuam literarum scientia praeditam paterna benevolentia prosequentes, illam iuxta facultates nobis a praefato Domino nostro Papa concessas, specialis honoris titulo favorabiliter attollamus. Ut igitur in effectu percipias, quid suggerit nostrae mentis affectus, Te qui in artibus magister existis, praemissorum meritorum tuorum intuitu extollere, ac specialis honoris titulo ac praerogativa decorare volentes, Teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis

---

[1]) *Guil. Copus*, Basileensis, Prof. Medicinae Parisiis, Regi a corpore, interpretatus est aliquot opera Hippocratis et Galeni. (Athenae Rauricae.) [2]) Geroldseck. [3]) Postea episcopus Pistoiae egit aliquamdiu cum Helvetiis de foedere et copiis mercenariis Papae concedendis. Hunc perinde ac Schinnerum Cardinalem, et Constantiensem Episcopum sollicitavit Zuinglius, manum reformandae ecclesiae admoveant; sin secus, necessitatem ipsi obvenire opus pro sua virili conandi. (Wirz. Schuler Hist. Zuinglii adol.)

a iure vel ab homine quavis occasione vel causa satis, si quibus quomodolibet innodatus exsistis, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, Te, in Domini Nostri Papae et Apostolicae sedis *Accolitum Capellanum* autoritate Apostolica, nobis per sanctissimum in Christo Patrem et Dominum Nostrum, Dominum *Leonem*, divina providentia Papam, *Decimum* concessa, et qua fungimur, tenore praesentium recipimus, et aliorum Domini Nostri Papae et sedis huiusmodi Accolitorum Capellanorum numero et consortio favorabiliter aggregamus. Tibi nihilominus concedentes, ut omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, honoribus, exemptionibus, gratiis, libertatibus, immunitatibus et indultis, quibus alii Domini Nostri Papae et Sedis huiusmodi Accoliti Capellani utuntur, potiuntur et gaudent, et uti ac potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere libere et licite valeas. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Sic igitur de bono in melius studiis virtutum intendas, ut in praefati Domini Nostri Papae, et nostro conspectu ad maiora te semper constituas meritorum studiis digniorem, ipseque Dominus Noster Papa, et nos ad faciendam Tibi uberiorem gratiam et honorem merito arctius invitentur. In quorum fidem has praesentes fieri, nostrique sigilli concessimus et fecimus appensione communiri. Datum *Turegi*, Constantiensis Dioecesis, anno Incarnationis Domini Millesimo, Quingentesimo, Decimo octavo Kal. Septembris, (24. Aug.), Pontificatus Domini Nostri Papae Anno Sexto.

XII.

IOH. IACOBUS A. LILIIS [1] HULDRICO ZUINGLIO FELICITATEM!

Vix dici potest quanto me gaudio tuae ad me literae adfecerint, cum plurimis de causis, tum praecipue quod me tam benigne humaniterque (quae tua est facilitas) in fidem amicitiamque receperis, cuius iampridem me Candidatum, nomen tamen meum nemine producente atque commendante, non alia quam iusti cuiusdam pudoris causa, gnarus infantiae atque imbecillitatis meae profiteri non potui. Attamen cum in dies magis magisque splendore nominis tui ad te observandum suspiciundumque instigarer, accederetque huc, quod olim *Viennae* intima mihi cum fratre tuo, [2] cuius placide umbrae quiescant, adhuc in humanis agente amicitia fuisset, quique me etiamdum erga te affectum, nisi intempestiva morte interceptus, tibi insinuatum atque conciliatum perrexisset. His igitur rationibus impulsus statui quoquo modo rem

---

1) *A Liliis* (zur Gilgen), Lucernas, iam 1514 sub *Vadiano Viennae*, deinde sub *Glareano* tum *Parisiis* operam dabat studiis. Occubuit in praelio ad Bicocam 1522 (Wirz). 2) *Iac. Zuinglius.*

aggrediendam. At cum verecundia mea ad te literas dare non pateretur, *Xylotectum*[1] parariam subornavi, quem tibi familiarem esse non ignorabam, ut hanc meam in te observantiam te latere diutius non ferret. Functus igitur ille sedulo munere suo tantum, quantum ne voto quidem expeterem: ut scilicet prior ad me literas dares, effecit. Te vero pro benevolentia atque candore tuo non meis meritis, sive aliam quampiam ob causam sive respectum utilitatis sive eruditionis, propter quae plerumque iam amicitiae conciliantur, simulque gratia *Xylotecti* sic te praestitisse certus sum. Propterea danda mihi opera, ut istam tuam in me benignitatem omni opera, labore ac pietate rependam, ac ne ut scribendo, sic et amando atque colendo posteriorem feram. Sit itaque hoc certissimum atque auspicatissimum nostrae amicitiae fundamentum! Vivamus una animo, quoad corpore, quod vehementissime atque ut qui maxime desidero, per impetratam studio prius quietem concedatur. Interim ex animi mei sententia iuro omnes me et rerum atque temporum occasiones te demerendi atque studii et amoris in te probandi observaturum. Vale, meque, quo nec tui amantior quisquam est, ama! Ex *Parisiis* XI Cal. Nov. (21. Oct. 1518) tumultuarie.

Inscriptio: Clarissimo ac humanitatis atque honestatis exemplari *Huldrico Zuinglio* suo.

XIII.

ULRICO ZINLIO PETRUS SCUDUS S. D.

Accepi literas tuas iam dudum per tabellionem transmissas, doctissime *Zinli!* quas ubi primum intuerer, avide et complecti et legere cepi, nec legere tantum, verum etiam lectitare, idque cum quod a doctissimo, tum etiam *ἀπὸ τῶν ἐμῶν φιλτάτῳ* profectas sciebam. Inter cetera tamen unum id uberem quandam gaudiorum offudit copiam, boni scilicet te consuluisse pro tuo candore id, quod proximis literis effutieram potius, quam scripseram: nam iniquo te lecturum animo (quod Dii omen avertant) suspicabar. Felicius tamen omni spe accidit. Diis gratiae sint immortales. Quod enim scribis, invidentium aculeos te posse amoliri, ac iam ferme citra opem nostram abominatos, equidem gaudeo, ac velut ipse quoque ego amplissimam nactus fortunam exsilio: nam id exigunt, cum insignis haec eruditio tua, tum candidissimum quoque pectus illud invidia plane maius. Proinde Sycophantarum si quae sunt convitia, quibus quidem meliores incessere assueverunt, oro discutias, ac velut nihili virorum dispicito, qui sane nisi calumniari nil norunt, aut *εὐλογεῖν* si nossent, tamen nollent. Tanta profecto animi malignitate praediti, tam certe illis infensa est cum vitae integritas, tum fama quoque celebris, ac convitiorum expers. Verum de his satis, ne, quod Graeci aiunt, *νεανίζειν* videar, aut *τὸν φρονιμότατον*

---

1) *Io. Zimmermann* (graecissans *Xylotectus*), Canonicus Lucernae et Monasterii, adiutor studiorum recidivorum ac deinde reformationis, propterea Lucerna exagitatus Tigurum se contulit, inde Basileam, ubi 1526 pestilentia eum extinxit. (Wirz, Kirchhofer).

παρόντος ἐγὼ monere. Subinde persuasum Te tibi velim, eruditissime *Zinli*, ut quicquid calamus tibi noster exhibeat, non fucate, sed certe ex animo scriptum intelligas. Nec enim is sum, qui aliud pectore, aliud vultu prae me feram, quod utcunque κολακείαν sapit; id quod non hominis est ingenui, sed sophistarum hominum, profecto genus fraudibus et dolis natum. Quare precor ut si quandoque velut ἀγκυλομίτης quorundam calumniatorum invidentia delatus apud Te fuero, pro tua humanitate, ut es in omnes candidissimus, boni consulas hasce nugas, imo mendacia, quippe quae nugacissima. Ceterum iam pridem ex officina *Badiana Pauli Aemilii* opus historικῶν de *Francorum* gestis in lucem prodiit, splendidum sane, atque omnium iudicio absolutum, quodque oraculi instar *Gallis* est. Unum enim id praestat, quo pomposius opes suas et facta (ut sunt iactabundi) iactitent. Opus quidem ipsum minime invidiosum, ac prorsus absque dente ac calumniis; quippe quod gesta iam hinc a 300 fere annis contineat. *Ioachimum Vadianum*, hominem doctissimum atque *Helvetiae* nostrae praecipuum ornamentum, ex *Austria* tandem rediisse, mirum in modum gaudemus. Atque utinam is digna sese conditione aliqua apud Helvetiam continere posset, magisque patriam suam quam ceteras nationes amplecteretur, quod quidem se dignissimum foret. Speramus hunc obviis, quod aiunt, ulnis, a nostris unde quaque exceptum. Reliquum vero quod patrocinium apud parentes tam sedulo praestes, gaudeo sane, atque etiam enitar, ut aliquando parem remetiar gratiam. Hisce vale doctissime *Zinli!* Ex *Lutetia Parrhisiorum* 25 die Oct. A. C. 1518.

Petrus Scudus, tuus.

Inscriptio: *Petrus Scudus Ulrico Zinlio*, viro doctissimo nobisque inprimis caro. Eremi. An Meiſter Uolrich Zwingly gen Reiſelen. [1]

XIV.

MYCONIUS [2] ZUINGLIO. S.

Mirabaris iam pridem, quod inter nos non uteremur commercio literarum; miror nunc ego, quod interim nullas literas ad me dederis. De me nihil mirandum cum non scripserim: nam partim pudet, partim cohibent negotia, quae mihi quanta sint, Te praeterit haudquaquam. Quid igitur iam, inquis, te excitavit? Amor in Graecas literas. Peto itaque abs te, rationem edoceas, qua tu es usus in iis literis perdis-

---

1) Sic *Eremus* Helvetiorum adhuc vocatur in confiniis. 2) *Oswaldus Geisshäusler*, graecissans *Myconius*, Lucernas, natus 1488 literarum studiis vacaverat ab anno 1510 *Basileae*, in amicitiam *Glareani* et *Erasmi* venit ibique ludi magisterium adeptus est. 1516 ad scholam *Tiguri* Carolinam adscitus, ubi praecipua cum industria *Zuinglium* commendavit, ut plebanus crearetur. 1520 Lucernam profectus patriae cupiebat doctrinae lumen inferre, sed mox invidia ipsum tantopere vexavit, ut refugeret Turicum, ubi Magister 1523 scholae Abbatissanae factus et Praedicator, Oecolampadio demortuo 1531 primarius pastor Basileae vocatus 1552 ibi decessit. (*Kirchhofer*, vita Oswaldi Myconii. 1813. 8.)

cendis absque duce. Et doce ita, ut nihil omittas ab initio ad finem usque. Excusationem nullam accipio praeter occupationes, quae si forte maiores sunt, quam ut mihi morem gerere valeas, admittendae sunt; sin minus, nihil est quod te purget. Si obtemperabis, videbis olim quid Myconius facturus sit pro suo *Zinlio*. Ceterum sunt qui me adhortantibus verbis incitarunt, Tibi scribam de *Plebanatu Tigurino*, qui iam vacat. Tu tecum deliberare poteris, quid faciendum. Ipse enim procul dubio eius omnem rationem novisti. Quapropter ego neque suadeo neque dissuadeo. Scis, si foret in rem tuam, quanto gaudio accumularer, si daretur *Zuinglium* apud *Tigurum* conspici Paroecianum. Nihil est, mihi crede, quod magis de Te desiderem, quam ut in locum aliquem subveharis Te dignum. Vale et mihi obsequutor! *Tiguri* IV Kal. Nov. (28. Oct.) 1518.

Osw. Myconius, tuus.

Inscriptio: Doctissimo ac praeclarissimo viro D. *Ulrico Zinglio*, Plebano apud D. Virginem *Eremiticam*, vigilantissimo amico suo.

XV.

OSWALDO MYCONIO SUO ZINLIUS.

Licet posses, humanissime *Myconi!* acrius in nos invehi nihil unquam literarum ad te transmittentem, atque adeo iam una alteraque vice urbanissime a te invitatum, nisi tua isthaec suavitas certo sciret amicitiam tabulis cordis carneis tam alte insculptam, ut nulla vi aboleri, nulla arte deleri possit; maiorisque habes, in *Zinlii* tui pectusculo perpetuum tibi monimentum esse erectum, quam periturae chartae *χιλιάδας τῶν γραμμαδ' ἀμαθεστέρων* inscriptas. Sed haec satis. De Graecanicis literis dico, Alcinoo poma, aut quod pro verecundia tua cogor, a pumice aquam. Verum utcunque res habeat, ego proxima Mercurii die *Tiguri* prandebo, ubi coram commentabimur, quorum indiget usus. De Sacerdotio interea diligenter omnia perquirito, num Paroecianum opus sit confessiones audire, morbidos invisere, qui Paroeciano praesit Magistratus, quod emolumentum; atque posteaquam haec aliaque didiceris, non sine tuo consilio rem aut agam aut praeteribo. Tenes nunc caput et calcem, sat scio. Gratulare (quum ita hoc seculo oportet) D. *Felici Phryo* multa commendatione meoque nomine de inito primario *Tigurensium* sacerdotio, [1] quo nobis spes facta est, literas maximum habituras hoc patrono incrementum. Et ubi omnia optime consulueris, vale meum cor et mi anime! Ex *Eremo* Divae virginis. 1518.

XVI.

MYCONIO ZINLIUS S.

Percrebuerat apud nos fabula, *Laur. Fabulam* (id enim nominis habet, qui ex *Rhaetis Suevus* apud vos concionem habuit ad populum)

1) munere Praepositi. Octobr. die 25 quum Praepositus D. *Io. Manz* morte defunctus esset, *Felix Frey* successerat, M. Erhardus Battmann, plebanus, quem Frey possederat inter Canonicos locum obtinuerat; itaque officium Plebani vacabat. (Schuler, Hist. Zu. adol. pag. 371.)

cautis *Tigurinis* probatum; at illam literae Domini *Michaelis*, Cardinalis a Secretis [1] discusserunt, carissime Myconi! Nae, mecum dicebam: verum est, prophetam in patria honorem non habere. Atque adeo *Suevum Helvetio* praeferri? cui nec in ipsius quoque arena cedere animus est. Scio vulgi acclamationes et illud blandum: Euge, euge! Scio id etiam homini competere plane, fastuoso, atque ut unico dicam nomine *Fumo*. [2] Sic enim *Glareanus* ille noster hoc hominum genus adpellare solet; quod a *sue* nomen mutuatur. [3] Hunc apud te tutissimum amicum stomachum effudi. Ceterum tu partes nostras agito, cui (ut ingenue fatear) hoc sacerdotium magis arridere coepit, cum hunc hominem audivimus ad id aspirare, et quod alioqui eram aequo laturus animo, coepi habere iniuriae loco contra quidem Pauli institutum, qui contentiosos carnales esse statuit. Convenerat apud me, quod praedicarem Evangelistam Matthaeum ex integro, inauditum Germanis hominibus opus. Si hunc ergo *Suevum* acceperint expectent, quae ille ex hara producat. D. *H. Utingero* dic nostro nomine salutem, et commendato negotium et D. *Michaeli*, Cardinalis a secretis, salutem item, et quod libellum sim missurus cum literis, quam primum ad me venerint. Saluta *Luchsingerum*, [4] et consule rem optime, atque nostra in re age, ut confidimus de te. Epistolam item boni consule festinatam, et magis affectuose quam prudenter scriptam. Ex *Heremo* altera die Dec. 1518. Rescribito!

Inscriptio: Suo *Myconio*, dem Schulmeister zum großen Münster zu Zürich.

XVII.

ZUINGLIO SUO DOCTISSIMO ET AMICISSIMO MYCONIUS. S.

Gratae fuerunt mihi literae et eo gratiores, quod plane amicum indicant. Quibus ut breviter respondeam, haec accipe. Quantum intelligo, *Fabula* manebit fabula, quem Domini mei acceperunt 6 pueris esse patrem et nescio quot beneficiis irretitum. Quod ad me attinet, pro virili adnitor et ita quidem ut molestiae esse possim. Habes amicos hic, habes et Zoilos; hos tamen pauciores, illos multos et bonos; neminem tamen, qui tuam doctrinam non ad coelum ferat. Dicam liberius omnia. Sunt, apud quos ingenium tuum ad musicam promptum, nocet: hinc enim te dicunt voluptarium et mundanum, ut ipsi adpellant. [5]

---

[1]) D. *Michael Sander*. [2]) Est probrum, quo istiusmodi homines apud nos vulgo solent notari, *Hans Dampf*. [3]) Cavillationes Suevorum sic ab Helvetiis regerebantur. [4]) *Conradus Luchsinger*, *Glaronensis*, 1501 civitate impertitus Tiguri, postea in Senatum lectus, unus acerrimorum amicorum Zuinglii. [5]) Zuingli inde nomen ab adversariis habebat impositum Citharista et Evangelicus tibicen. Bernardus Wyss suis in Chronicis: [6] De nomine audivi, qui in Musicis, in cantu pariter atque in omnibus instrumentis sonoris — tam solers fuerit. Quicquid eiusmodi excogitatum adeo celeriter pollebat, vixdum manum admoverat — idemque literarum rerumque doctrina simul excellentissimus.

Dein ante actam vitam quidam vituperant, quod nimis fueris addictus his, qui voluptatibus studuerunt. Reprimo haec pro viribus, imo repressi, ut nihil tibi nocitura sint. Effeci enim principio, ut doctrina tua sit cognita Praefecto urbis *Röst*. [1] Illi places. Deinde autem rogatus a D. *Conrado*, qui quondam Plebanus hic tam asperum et durum concionatorem egit [2] (ut forte novisti), non de doctrina (ubi nihil deesse putavit) sed vita. Commendavi te non tam amice quam vere et hominem prorsus ad *Zinlium* attraxi. Est is ex illis unus, quibus negotium tale inquirendi datum est, nec minimus. Alter est, ut eos nominatim dicam, *Praepositus*; tertius, *Utingerus*. *Conradus* postquam vitam tuam a probitate, ab honestate atque castitate laudavi, abiit a me perquam laetus. Ita me Deus amet! Post dies treis ad me rediit in haec verba prorumpens: Commendasti mihi nuper *Zinlium* maxime a castitate, id quod inprimis placuit, sed modo apud me vir quidam fuit, qui retulit, eum hac tempestate in ius pacis [3] devenisse cum *Ammanno* [4] quodam, quod filiam eius vitiaverit. Tu si id ita est, mihi dicas, rogo. Rem mihi novam et incredibilem videri dixi ego, et ab obtrectatoribus mendacissime confictam. Tum is, se optare sic esse; tamen rogitavit, ut inquirerem veritatem. Mox adivi *Luchsingerum*, et cum magno stomacho effudi. Deinde ad tuum *Iacobum Ammannum*, [5] qui pridie eius diei, quo eum adii, apud te fuerat. Nemo de re quicquam scivit. Renunciavi haec *Conrado*, summe laetatus est, et totus tuus: aliter enim non sentio. Quid de *Praeposito* sit sperandum, tu ipse scis; quid item de *Utingero*. Haec scripsi, ut speres, non desperes. Nam postquam omnia sunt repressa, quae de te hoc modo confinguntur, quam laudem putas te deinde adepturum apud *Tigurinos*? De virgine stuprata responde, te in primis rogo. Non quod nesciam, non ita esse, sed ut audacter contradicere malevolis queam. Fui aliquoties apud Laicos, quorum consuetudo frequens est apud Canonicos; illi te praedicant futurum Evangelistam Tigurinum. Scio a quibusdam Canonicis idem dictum, sed clanculum. *Luchsinger* eo die, quo literas tuas accepi, male vulneratus dicitur. Tu spera! ego enim spero. Vale! raptim, ut ex scriptura notare potes. *Ex Tiguro* III. Nonas Decembr. (3. Dec.) 1518. *Myconius* tuus.

De Graecis, quod te admonui, ad me dato!

Inscriptio: Mstr. Ulrych Zwingli lütpriester zu Einsidlen in sin Hand.

XVIII.

HENRICO UTINGERO ZUINGLIUS S.

Scripsit ad nos amicorum nostrorum quidam doctissimus et amicissimus, [5] *Henrice* charissime! famam de nobis apud Tigurum dissipari,

---

[1]) *Marcus Roeust*, Consul. [2]) *Conradus Hofmann* concionabatur plebanus acerrime adversus mercenariam militiam apud exteros. [3]) Conventum placabile. [4]) h. l. dignitatis nomen. *Ammann* vocatur quem commune cuiusdam pagi principem habet. [5]) *Iacobus Ammann*, qui primum Parisiis, deinde Mediolani discendis literis et artibus operam dederat, ubi in Glareani notitiam venit; eiusdem et Zuinglii familiaris, postero tempore Professor Turici et Canonicus. [6]) *Myconius*. Ep. 17.

potentis cuiusdam apud nos filiam a me stupratam eamque rem (ut non est impar) plurimos offendere amicorum etiam. Cui non potui non respondere calumniae, ne Tu scilicet singularis amicus, sed nec alii, falsis rumoribus nostram vitam aversentur. Habenas stilo laxans liberius confidentiusque tecum agam. Principio igitur non Te lateat, abhinc ferme triennium, me in animo proposuisse, mulierem non tangere, quod Paulus bonum dixerit esse mulierem non tangere; id vero parum feliciter cessit. Nam dimidium inde annum, et semianno haud diutius, in proposito perstiti. Quippe neminem habens comitem huius instituti, scandalizantes vero non paucos, heu cecidi et factus sum canis ad vomitum, de quo Petrus apud 2. Petr. II, 22. En cum verecundia (Deus novit) magna haec ex pectoris specubus deprompsi apud eum scilicet, cum quo etiam coram minus quam cum ullo ferme mortalium confiteri vererer. Quod autem ad stuprum attinet, en nihil moror satisfactionem parare. Potentis aiunt filiam stupratam. Potentis esse filiam non inficiar: nam id genus hominum est potens, cui impune vel Imperatoris barbam attrectare licet, nempe tonsor. Filia est, nemo negat, nisi forte pater ipse, qui etiam eius coniugem, filiae matrem, mulierem fide probitateque conspicuam, adulterii saepe insimulavit, fortiter magis quam vere; sed et filiam istam, de qua sermo, abhinc prope biennium, ex alimonia sua exclusit, nihil vestium, nihil cibi impertiens. Verum quid ad me talis viri filia? Si virginem addant, hic nobis labor nascitur; verum facillime excutiendus, posteaquam nonnihil vitae nostrae rationem attigerimus. — Ea ratio nobis perpetuo fuit, nec alienum thorum conscendere, quod pallium Esaias dicat brevius quam ut duos viros contegere possit, nec virginem vitiare, quod Pauli doctrina religiosum abhorrui, sed nec Deo dicatam profanare, quod sacrilegii loco id vitii habeatur. Testes invoco cunctos, quibuscum vixi. Haec, inquam, dum adhuc loqueremur ut parvuli, sedulo observavimus etiam (1. Cor. XIII, 11.) parvuli. Nunc autem ad aetatem maturiorem ubi ventum est, putas, mi Henrice, (scio autem, Te non istius esse animi) adeo nos esse oblitos omnis aequi, omnis olim instituti, omnis innocentiae, denique veluti asinum iam gravescente aetate in Venerem propensiorem factum, ut quod olim vitaveramus, nunc nobis asciscamus malum? Non tam damnosam aleam ludit *Zuinglius*, qui etiam corporis sensuum cum dispendio nocturna versare manu, versare diurna non cessat Graecorum Latinorumque et Philosophos et Theologos, qui quidem pertinax labor aestus illos impudentes vel mitigat, si non extinguit. Adde, quod huius rei tantus nos semper tenuit pudor, ut etiam dum *Claronae* essemus, si quid peccabamus in hanc partem, tam illud committebamus occulte, ut etiam familiares vix rescirent.[1] Sed age rem ipsam nunc prorsus attingamus, sacra mota (quod dicitur) ancora, minime veriti opinionem vulgi, male ominatum existimantis, si liberius in foeminam inveharis. Fuit diurna virgo, nocturna mulier, nec non adeo diurna virgo, ut non universus populus non nesciret, passimque in eam id

1) „Si non caste, saltem caute.“ Myconius in vita Zuinglii. Conferantur supplicationes eius ad Episcopum et ad Confoederatos.

vulgi iactaret: quid obest capiti, quod etc. Haec enim unum et alterum experta virum tandem et me passa est; imo, ut vere dicam, vix in hoc traxit blanditiis plusquam blandis, nec, quod ad me spectat, ego ignoravi, eam devirginatam. Nam ille (occultius nunc loqui decet) quem tu insanum futurum iam vaticinatus es, eam stupravit, quae etiam in tonstrina laborem patris levavit, quae levitate apud antiquissimos quoque adeo infamis fuit, ut proverbium iactatum est: *in tonstrina*. Cum hoc igitur insano futuro saepe tonstrinam ingressos in nos oculos coniecit, actumque est ut iam uterum ex me ferat, si modo vel hoc certo sciri potest. Haec, inquam, apud nos summi et imi decantant, nulli tamen sunt, qui me stupri vel insimulent. Sed et tota gens puellae non nescit eam stupratam, priusquam ego huc migraverim, unde mihi nihil negotii facessitur. Est praeterea quendam ex inquilinis experta, quod non minus vulgatum est. At nec ipsa puella diffitetur. Virginem belli isti Zoili resarciunt, solum ut me, alienissimum ab hoc scelere, stupri reum constituant. At forsitan id accidit istis, quod illis, quibus glaucoma in oculis ab obiecto vehementiore adhuc sedet, ut omnia, quae vident, flava existiment, nimirum invidia coeci male, imo pessime iudicent pessimi *παρθενόμετροι* h. e. virginum mensores. Si apud vos puellis tot viros expertis, adhuc datur esse virgines, quae tandem dicetur aut nupta aut meretrix? Haec non modo stuprata, sed ferme spurcata, apud vos si dicatur virgo, quae nec ab amicis: — gratiam sane non parvam debebit, quod sibi ad ignoscendum damnum aut delictum tam faciles iudices invenerit: est enim nunc in urbe vestra partumque praestolatur; at mehercle nos nescimus ubi loci. Nos tandem statum in hanc sententiam explicuimus: non modo illam aut aliam, sed nullam, quoad viximus, virginem a nobis stupratam; quod autem haec ex nobis se ventrem ferre adfirmat non inficiamur; culpam apud Deum O. Max. dudum deprecati sumus. Id illi quoque aequi bonique consulere debebant, memores iustum septies in die cadere (Prov. XXIV, 16.) atque Petro imperatum septuagies septies ignoscere. Qui dum forte ingerent futurum, ut nos consuetudine teneamur, respondeas, nihil in hoc esse periculi; nihil tamen spondeo memor, quod circumdatus sim infirmitate. Nunquam autem aureis illis suis Venus vinxit catenis, ut Hephaestius ille male celer nos deprehenderit. Quod ad sacerdotium attinet, Deum testor ingenue, cederem, si viderem ad illud adspirare viros Theologos et non Mataeologos aut iuris obstreperos magis, quam iuris peritos. Proinde res nostrae bene habent et Dominus *Geroldseck* magnis nos pollicitationibus oneravit, quibus necdum respondimus; quare non opus habebis nostri gratia aliquibus importunari: nam si Christus per nos blasphemabitur, nihil movebimus. Nolumus hunc in periculum venire. En apertius loquimur (nam diu scribendo fatigati sumus): Si nostra haec calumnia constanter a Zoilis nostris dispergitur, profecto *Tigurini* omnes, dum me evangelizantem audirent, isthoc vitio ad malos cogitatus abducerentur, et sic Christus periclitaretur. Ideo consultius esse puto, rem recte expendas, num eius periculum alicubi in vobis versetur, atque Deo dein magis pareas quam hominibus. Quod si subinde Dominis placuerit, aliquid promissius de nobis respondebimus

haud ut rupta fidelia. Dictum fertur *Aeneae Sylvii*: non esse qui vigesimum annum excesșit, nec virginem tetigerit. — Quicunque videntur Tibi conveniendi convenias, si lubet: nos firmi stamus proposito. Myconium patere hanc nostram blaterationem verius quam satisfactionem legere, aut quos placuerit. Tibi scripsimus, tibi stamus et cadimus. Rem tamen omnem, quod ad meam suggestionem attinet, cela! Has alias literas, quibus scriptae sunt distribuito, precor, et nos etiam, si sinistre cesserit, solito amore prosequere, quod invicem nos quoque praestabimus. Vale meum decus et praesidium! 11. Non. Dec. (4. Dec.) 1518.

XIX.

BEATUS RHENANUS [1] ZUINGLIO SUO S.

Recte fecisti, vir optime, qui statim nos literis Tuis certiores reddideris, quidnam in re illa, quam Te diligentissime curaturum receperas, egisses. Nam scis, quam nobis curae sit ea res, et ut fit, cum animi pendetur, negotium infelicius successisse putassemus, nisi nobis eum scrupulum ademisses. *Ὁ μεν καρδινάλιος* [2] *ἔ μοι πάνυ πιστὸς εἶναι δοκεῖ· καὐτὸς γὰρ ἐκείνης τῆς κωμωδίας εἷς ἐστι, ἂν μὴ ἡ ἀτυχία αὐτῶ τὸν νῶν μετέβαλεν.* De *Lutherio* nihil dum comperti habemus. Risimus abunde veniarum institorem, [3] quem in literis Tuis graphice depinxisti. Dant belli ducibus literas pro perituris in bello. Quam sunt haec frivola et Pontificiis Legatis indigna. Quid non tandem excogitabitur, ut nummis nostris potiatur Italia? Nec vero risu haec digna puto, sed lachrimis potius. Nam nihil est, quod magis mihi doleat, quam quod video Christianum populum passim ceremoniis, nihil ad rem pertinentibus, onerari, imo meris naeniis. Et causam non aliam reperio, quam quod Sacerdotes per summularios istos et sophisticos Theologos decepti Ethnicam aut Iudaicam doctrinam docent. De vulgo Sacerdotum loquor. Neque enim me latet, Te Tuique similes purissimam Christi philosophiam ex ipsis fontibus populo proponere, non Scoticis aut Gabrielicis interpretationibus depravatam; sed ab Augustino, Ambrosio, Cypriano, Hieronymo, germane et sincere expositam. De-

---

1) *Beatus Rhenanus*, Schlettstadiensis, qui Parisiis dum literis operam dabat, amicitiam cum Erasmo contraxit perennem. Postea Basileam se contulit ac deinde in patriam. Admodum studiose Lutheri scripta per Helvetiam divulgavit. Qua Zuinglium amicitia complexus fuerit, epistolae eius testantur, Zuinglium ad reformationis opus arduum cohortantes. 2) *Matthaeus Schinner*, episcopus Sedunensis, Cardinalis, magna pars in bellis Italicis, ingenii dotibus excellens, literarum amicus virorumque cordatorum; hinc Zuinglio quoque favens, quoad suo serviebat emolumento, cui amicitiam pariter ac religionem et vitae honestatem posthabere solebat. Hoc non obstante egregiam declaravit indolem ac virtutem melioris naturae. Post pacem cum Gallis pactam 1516 a plerisque Confoederatis pro communi hosti existimatus Romae obiit anno 1522, postquam curiae quoque Romanae malam gratiam et abalienationem expertus esset. 3) *Bernhardinus Samson*, institor veniarum apud Helvetios.

blaterant illi nugas in eo loco stantes, ubi quicquid dicitur populus verissimum esse putat, de Pontificia potestate, de condonationibus, de purgatorio, de fictis Divorum miraculis, de restitutione, de contractibus, de votis, de poenis inferorum, de Antichristo. At vos pro concione dicentes universam Christi doctrinam breviter velut in tabella quadam depictam ostenditis: propterea missum in terras a Deo Christum, ut doceret nos voluntatem Patris sui, ut ostenderet mundum hunc, hoc est, divitias, honores, imperium, voluptates et hoc genus alia plane contemni debere, caelestem vero patriam toto pectore quaerendam; ut doceret nos pacem et concordiam ac pulchram rerum omnium communionem (nam nihil aliud est Christianismus), qualem olim Plato, magnis annumerandus Prophetis, utcunque in sua Republica somniasse visus est; ut adimeret nobis stultos terrenarum rerum affectus in patriam, in parentes, in cognatos, in sanitatem et in cetera bona, ut paupertatem et rerum huius vitae incommoda non esse mala declararet. Nam eius vita doctrina est, omnem humanam excellens. — Sed quo me scribendi rapit ardor, ut familiarem exorsus epistolam declamare velut mei oblitus occoeperim? Utinam tui similes multos haberet Helvetia! Sic tandem facile fieri posset, ut meliores mores nostrates induerent. Est certe populus utcunque corrigibilis, si modo talibus non destituatur, qui Christum docere et possint et velint. Bene vale. *Bas.* die D. Nicolai. 1518.

Inscriptio: Eximio viro Domino *Huldrico Zuinglio*, Sacrorum Antistiti ad D. Virginem *Eremicam*, amico incomparabili.

XX.

DOCTISSIMO VIRO DOMINO HULDRICO ZUINGLIO AMICO CHARISSIMO EREMI S. D.

Quid retribuam pro dono dato libello non satis scio: adeo mihi est charus, cum a Tua prodierit liberalitate, tum quod purus vel *Cardinalis* iudicio reputetur; at velim tibi propterea debere plurimum annitique pro viribus, ut olim acceptum referam. Interea gratias et ago et habeo, enixe ac etiam atque etiam rogando, ut ignoscas quod deposita ruboris macula illum abs te petierim. In causae est chalcographi pertinacia, qui tenacius, quam expedit, ne in lucem exeant, obsistit, ut forte tunc primum venui exponat, cum a tineis vel muribus corrosi fuerint. Cum facta pro infectis haberi nequeant, miror quod tantopere trepidet. An credat factum celari posse, quod ad *Gallos* et non ad nos deferantur libelli? Cumulat mea opinione sibi per hoc potius malevolentiam. Sed de his hactenus. Mihi satis superque est quod tua bonitate et liberalitate desideratum accepi libellum. Qui *Tigurinum* sacerdotium *Zuinglio* decernunt, quantum coniectura capere licet, autoritate et numero reliquos praecellunt. Bono sis animo! Fama unquam ab aemulis, ut reor, divulgata, etsi quid nauseae parturiverit, non tamen bonorum animos avertit. Spero quod pro voto succedent, Deo

bene iuvante, omnia. Res delata est ad 3 Idus [1] praesentes. Tunc nempe, ut fama est, ad electionem procedent Canonici. Bene vale, et me ut coepisti, ama. Reverendissimo [2] ea commendatissimus. Tuis verbis salutavi quos iussisti, qui omnes suis te salutationibus remunerant. Ex *Thurego* VII Idus Dec. (7. Dec.) 1518. Tuus M. Sanderus, I. U. D. Decanus Wratislav.

XXI.

LEONI IUDAE HULDERICUS ZINLIUS S.

Quam arcta mihi fuerit olim Tecum amicitia, Leuncule doctissime, haud praesentibus explicandum duxi, quum huius rei memoriam sciam Te pro Tua humanitate non minorem habere quam nos. Quo fit, ut cum tui perpetuam mentionem habeam, perpetuo quoque bene velim; atque adeo bene velim, ut cum Tibi quaedam accidisse non ex animi Tui sententia audirem, illico coeperim, quonam modo rebus Tuis consuleretur, cogitare. Quoniam vero ingenio naturave (licet extra natum) in Helvetios propensiorem novimus, eruditione interim haud vulgari, fide vero prope Catoniana: hinc est, ut, quae nos e re Tua futura existimavimus, speremus Tibi quoque probari. Nuper itaque *Tigurini* Pastorem nos sibi legerunt, *Eremi* (ubi aedicula Deiparae sacerrima, Germanis item omnibus celeberrima conspicitur) tunc caularum Christi curam habentem. Dominus autem *Theobaldus Geroldseckius*, Monasterii eius administrator, quo in nos est animo, iussit, ut ad Te arcessendum has scriberemus. [3] Est itaque, est oblata Tibi ansa, qua inter Helvetios te trahere, imo inter medios Suizeros sistere possis, conditione plusquam honesta. Nam Domini expensis ubi adveneris, nihil non exigi credas pro voto Tuo. In manu nostra non nihil situm est; agemus partes Tuas, sicut et hactenus hac in re egimus. Nam Te a literis commendavimus, quod arcanas istas et vere sacras digne colas, et sis ille simplex, prudens Leunculus, quem nos omni perspexerimus parte. Qua re D. Administratorem ita accendimus, ut Te prae cunctis mortalibus sibi vendicare cupiat. Proinde occasionem istam crinita arripito parte: etenim parte nequit calva posteriore capi. Populus, cui praefuturus eris, est simplex, quique Christum vel nobis praeitore libenter audiat annunciari, victus affluens, Dominus [4] mediocriter eruditus, literarum vero avidissimus et eruditorum ita amans, ut nullius rei magis. Ego praeterea non longius sex horarum itinere a Te abero, ne fors praesentiam nostram desideres. Movere (ut tandem finiam), mi amantissime *Leo*, his nostris temporariis quidem, verum ex animo

---

[1]) 11. Dec. [2]) Cardinali Schinnero. [3]) Geroldseckius comprobabat omnia, quae Zuinglius docuit et fecit, magni aestimabat eius doctrinam eumque amici optimi loco diligebat; nonnisi hominibus Zuinglio probatis sacra munera committebat. Ubi Suitenses reformationis fautores insectari coeperunt, fugit 1522 Tigurum; 1531 cum Zuinglio occubuit in praelio Capellensi. [4]) Abbas *Conradus de Rechberg*; sed potius Administrator cogitandus esse videtur.

scriptis, atque ut diximus Domini expensis ad nos transscendito! Nulla te (scio) capiet rei poenitudo; et ubi optime omnia consulueris, bene vale. Ex *Eremo* D. Virg. apud Helvetios, 16. Kal. Ian. 1519. (17. Dec. 1518.)

Inscriptio: *Leoni Iudae, S. Hippolyti* oppidi [1] pastori, amico singulari. An Herrn Löwen, Kirchherrn zu S. Pult. [2]

XXII.

REVERENDE, PERDOCTE, ADMODUM GRATIOSE DOMINE AC BONE AMICE!

Vestrae dignitati praefamur nostrum obsequium promtum, et quicquid iucundi honorifici, commodi pollebimus unquam! Quamquam una ex parte doleamus vestrum discessum a nostris in Eremo: ex altera tamen parte vicem vestram laetamur in omnibus, quae ad vestram utilitatem et honorem conferunt. Quumque in eo estis, ut in eum Vos transferatis locum, quem concreditum habetis, ubi, ut accepimus, vobis aliquot diaconis opus erit: Dominus *Henricus*, qui has vobis tradebat tabellas, Vobis ministrare studet. Hic nunc unum annum apud nos officio sacerdotali functus talem se gessit, ut quoniam commendatitias flagitavit, eum promovere sit aequum atque etiam lubitum. Nam licet eum apud nos habere malimus: attamen ministro probo probam opem praestemus oportet. Hinc candide et sollicite Vos oratos velimus, si modo diaconis non instructi sitis, ut eum excipiatis; sin autem hoc in praesens non liceat, quod quidem haud speramus, ut in proximum S. Ioannis diem aestivum annuatis. Hac in re Vestrae dignitati ita se praebere placeat, ut hic nostrae commendationis apud Vos gaudeat fructu; quod quidem a Vobis prorsus expectamus, ac semper ad gratiam referendam parati erimus. Datum ante Thomae (ante 21. Dec.) 1518.

Praetor ac Senatus Suitiae.

Inscriptio: Reverendo, perdocto *Huldrico Zuinglio*, nostro admodum gratioso Domino et bono amico.

22.

Eerwürdiger, wolgeleerter insonders günstiger Herr und guter Fründ.

Uewer Würdy syind unser fröndlich willig Dienst und was wir Liebs, Eeren und Guts vermögend zuvor allzyt. Wiewol wir zum Teil betrübt in üwerem Abscheiden von den Unsern zu Einsidlen, jedoch so haben wir dagegen Freud mit Uech in allem so Uech zu Nutz und Eeren dienet. Uud so Ir Uech jetz werdend müssen verändern an das Ort, dahin Ir geordnet sind, daselbs Ir, als wir verstand, etlich Helfer haben müssend: ist Herr Heinrich, Zeiger diss

[1]) In Alsatiam igitur reversus e Basilea, unde annotatio in Vol. I. pag. 437. corrigi debet. [2]) S. Theodori. Ep. 2.

Briefs, der so by Uech zu dienen begeert, der ouch ietz uf ein Jar by uns in priesterlichem Wandel und Wesen gedient und sich dermassen gehalten, dass wir, diwyl er sin begeert hat, zu fürdern schuldig und geneigt sind. Wie wol wir In by uns lieber haben wollten, so soll man doch eim getrüwen Diener trüwe Ergetzlichkeit bewysen. Darum ist unser fründlich ernstlich Bitt, so fern Ir Uech mit Helfern nit versechen, wellend disen als einen annemmen; ob aber das uf difsmal jedoch nit syn möcht, defs wir uns doch nit wend versechen, das Ir Im doch nächstkünftig S. Johanns tag im Summer wellend zusagen. Hierum welle sich Uewer Würdy bewysen, damit diser unser Fürbitt gegen Uech empfindt haben genossen. Dess wir uns gänzlich wend versechen und allzyt haben zu verdienen. Datum Samstags vor Thomä (vor dem 21. Dec.) 1518.

Landammann und Rat zu Schwytz.

Aufschrift: Dem Ehrwürdigen, wolgelehrten Ulrich Zwinglin unserm insunders günstigen Herrn und guten Fründ.

XXIII.

BEATUS RHENANUS ZUINGLIO SUO S. D.

Nudius tertius huc a *Bernensibus* missus est Bibliopola, qui multum hic *Lutheranorum* exemplarium coëmit et illo deportavit. Gaudeo mi *Zuingli* vehementer, quoties video mundum resipiscere, et abiectis mataeologorum somniis solidam consectari doctrinam. Idem a meis municipibus factum est. Quo magis miror *Thuregiensium* negligentiam, qui moniti per Te facere cessent, quod alii sua sponte capessunt. Sed haec est hominum natura: quod iubemur aut ab alio monemur, segnius obimus; quod nobis autoribus agimus, ad id alacriter procurrimus. Neque enim credere possum, Te illos aut non monuisse, aut rem non successisse apud eos, qui tibi in iudicando primas tribuunt. Bene vale! *Basileae* postridie natalis Dominici 1518.

Inscriptio: Eximio viro Domino *Huldrico Zuinglio*, peritissimo utriusque linguae, amico incomparabili.

MDXIX.

I.

D. ULDERICO ZINGLIO VALENTINUS SCUDUS S. D.

Proximis literis quid a Te petierim, nosti: ni forte, quod timeo, ad Te non pervenerint. Petii vero, ut coram amicis pro me intercederes, eosque exorares, quo aliquam pecuniolam, qua Graecos codices comparare possem, ad me quam primum mitterent, quod peractumne sit, ignoro. Id tamen non per Te stetisse mihi certe persuadeo. Quapropter enixius Te rogo, nisi forte, ut cupiebam, exegeris, ut sedulo

nostram hanc causam agas; ac crebro sicubi aut ipse *Glareanam* veneris, aut ille *Eremum*, Tutorem ob id urgeas. Sed quid ultro (quod dicitur) currentem impello, quem scio nihil unquam, quo prodesse queat, nostri causa omissurum? Nempe quod necessitas ita iubet, ut Tu quoque in omnibus, licet vigilantissimus, vigilantiorem visa necessitate te exhibeas. Scis quibuscum res agenda Tibi, illis certe, qui quidvis aliud, quam pecunias petentem, libentius audituri sint. Porro, quae ea sit necessitas, prioribus literis exposui. Quid ni necessitas appellanda sit? cum aut habeam pecunias necesse sit, aut Graecarum literarum studium, quod hactenus minoribus expensis a me fotum, nunc maiora quaedam expostulat, protinus derelinquendum. Quin etiam Hebraica lingua (cui nuper operam nostram primum locavimus) vixdum a limine salutata transeunda est. Profitetur eam *Augustinus Iustinianus*, Episcopus *Nebiensis*, vir linguarum peritia sane admirandus, Octapli auctor, si forte ipse quoque videris, quod Hebraicum, Graecum, Arabicum et Chaldaicum cum tribus latinis interpretationibus *Genuae* impressum circumfertur, qui biennio aut ultra Hebraice legendo nobiscum mansurus est, publico stipendio a *Gallorum* Rege ad id conductus. Is nunc legendi modum nobis exhibuit. Post natales vero, quos hic ad vigesimum ferme diem protendunt, *Wolfgangus Fabri* Institutionem exordietur. Misit etiam Grammatices compendium *Basileam*, quod a *Frobenio* excusum brevi habebimus. [1] Fidelis est docendo atque integer, in auditorum item vota obsequentissimus. Huius castra sequar, et ipsius auspiciis animose hac militia fungar. Quid Tibi autem de hac re videatur, scribe, et tuam quoque sententiam recense. Si probabis, instantius subsequar; sin aliter, signa relinquam. Vale nostri memor, intempestivisque nostris precibus parce, et si dignaris, obsecunda! Ex *Parrhisiis* IV Eidus Ian. (10. Ian.) 1519.

Inscriptio: D. *Ulderico Zinglio*, viro eruditissimo, amico nostro incomparabili.

Mr. Ulrich Zwinglin Pfarrer zu Einsidlen.

II.

GLAREANUS D. ULDERICO ZUINGLIO

VIRO PHILOSOPHO ET VERE THEOLOGO, AMICO NOSTRO EXIMIO TIGURI S.

Quod *Tiguri* eam fortunam [2] nactus es, suavissime Ulderice! primus nuntium mihi attulit *Osw. Elmerus* [3] non absque munere a me

---

[1]) Genuensis, Dominicanus, qui scripsit Psalterium octaplum, excusum Genuae 1516 fol. opusque simile omnia Biblia comprehensurum molliebatur. Pellicanus 1517 Romae eius consuetudine usus ab eoque literariis adiutus est opibus. (Gesn.) De *Wolfgango Fabri* nihil innotuit nobis nisi Psalterium Hebraicum cum institutiuncula in Hebr. linguam. 12. Bas. 1516. (Catal. Bibl. Tig.) [2]) Locum Plebani. [3]) *Glaronensis*, qui sub Glareano Parisiis literarum studia sectabatur.

relictus: aeque enim ea re gravatus sum, ac si mihi contigisset; nec minus ille gestiebat animo, quippe qui plane fateatur, Te hortatore, primum literas et amare et apprehendere coepisse. Omnes adeo quotquot ex *Helvetiis* adsunt iuvenes fremere et gaudere, praecipue vero *Tigurini*. Mirum vero, quantum etiam *Ioh Lilianus* ex *Lucerna*,[1] homo tibi in patria eius visus, de fortuna tua laetetur. Scripsisset is ad Te, nisi re vera obrutus in negotio quodam iuridico; plurimum tamen me rogavit, ut se Tibi commendarem, quod eo libentius feci, quod est iuvenis indolis optimae, erecti animi et ingenii versatilis ad omnia, morum praeterea compositissimorum, literas latinas bene doctus, Musices studiosissimus, per omne genus latinorum scriptorum vagatus, confabulationis felicissimae. Coepit nunc, prudentum hominum hortatu, etiam graecas discere literas, quas mordicus tenet. Est in eo iudicium discretum minimeque temerarium. Domi meae habitat. Ludit testudine, fistula, organo. Comes adsum ego, et nonnunquam extimulans hominem, quanquam nihil minus indiget stimulo. Spes est, hunc apud *Helvetios* eximium ornamentum fore literarum. Cum autem apud Te pluribus opus non est, praesertim quod scias, non quosvis a me laudari, pro tua in omnes studiosos benevolentia hunc satis commendatum puto. Ceterum *Val. Scudus* literas quasdam ad me attulit e *Mediolano* missas, in quibus identidem amici et consanguinei hortantur, ut fiat Magister, et neque ego dissuasi, quod *Parisiis* studioso facile magisterium venditur; aut si hoc nimium, pro pecunia donatur. Neque enim opus est, ut visitet quis nugas eorum, sed amicorum constat intercessione, quos ego aliquot in universitate habeo. Credo autem amicos eius inhiare, ut in locum tuum subrogetur,[2] quod factum probemne an reprehendam, vix mecum invenio. Eruditio et ingenium, si alicui adest, et *Valentino* maxime non abest. Sed scis quid vulgus apud nos spectat, unam suggestus facundiam, deinde inclinationem in vota eius. Quae duo quam non bene nunc habeat *Valentinus* scio; quam bene habiturus nescio, tametsi omnia bene speramus. Tu solus es, qui, quid huic negotio opus sit, scis et experientia didicisti. Nam etsi scio patriam Tui similem desiderare (et vere desiderare: nam nunquam inveniet), vereor tamen populi iudicium auram sequuturum. Quod nisi tua opera prospiciatur, non magnopere gratulandum mihi de fortuna Tua, sed potius cum patria flendum est, non quod Tibi non faveam, sed quod patriae miserear, atque adeo eius vicem doleam. Poterit tamen *Valentinus* probari. Quod si negotium minus processerit, inveniendа alia ratio. Quae apud te frustra tono: omnia enim tu melius intelligis.[3] Res mea bene habet. Conditio liberrima mihi ob-

---

[1]) *A Liliis* (Zur Gilgen), idem vero similiter, qui Epist. 1518. N. 12. *Ioh.* Iacobus vocatur. [2]) Parochatum Glaronae. [3]) „Anno 1518 die Solis ante S. Thomae Magister Huldricus Zuinglius praesto fuit coram Parochianis in curia iisque reddidit Praebendam et cunctos rogavit, ut *Valentinum Tschudy* facerent parochum. Tum eius in honorem et gratiam *Valentinum Tschudium* fecerunt." Ioh. Henr. Tschudii Chron. Glaronense, e Mscr. coaevi *Fridolini* Baeldii, qui Catholica mansit in confessione. Pag. 741. 737.

lata est. Nam ad publicam lectionem non adstringor et auctum est stipendium; quantum vero, his diebus experiar. Ita enim meo studio incumbere queo, et quae πρὸς τἀλφιτα sunt, satis bene accedunt. *Osaldo* meo, imo nostro *Myconio* quid promittam, nondum sat scio, quod ignoro quantum auxerint stipendium. Propediem tamen sciam.[1] Unum oro, ut hominem noscere coepisti, ita amore prosequere, imo ita defende! Dignus enim est te patrono. Amas siquidem ingenia minime fucata, et simplicitatem illam christianam; tum animum minime adulationibus obnoxium; quae in eo copiosissima vides. Sed quid opus est, eum Tibi commendare, quicum quotidie conversaris? Tota haec hiems in usu *Budaei* hominis eruditissimi et mihi familiarissimi consumta ferme est, nisi quod iam 4 fere hebdomadas aulicor inter homines levissimos. Adsunt *Angli*; connubium factum est inter Regum *Angliae* et *Franciae* pueros vagientes, videlicet ut a iquando belli materia non desit, cum interim vulgus concordiae causa haec fieri existimat. Lanceaṛum concursum vidimus, quem ingens excepit epulum sive pompa, et praeterea nihil. Reverendissimum D. *Cardinalem*[2] nomine meo plurimum salutabis, cui ego me maxime offero, et plane literis adgressus fuissem, si quid dignum eius auribus potuissem: nihil enim novi nobiscum est. Tu apud eum vice epistolae fungaris, obsecro. Ceterum scripseram D. Praeposito Tigurino aliisque Canonicis tribus D. *Niesly*, D. *Henr. Utinger*, M. *Felici Frigio*, *Iacobum Fabrum* SS. Martyrum historias e non vulgatis autoribus et hominibus doctis collecturum.[3] Quare ut divorum Martyrum apud *Tigurinos* historiam mitterent, oravi: ita enim futurum, ut Collegio inde honor maximus oreretur. Verum nescio literasne receperint ac argumentum historiae eius miserint: hactenus enim nihil recepi. Porro, cur tam anxius pro Collegio vestro sim, Tibi aliquando coram aperui: nam non absque instigatione aliquot Canonicorum civiumque complurium Canonicatum illic spero. Quanquam ex hac fortuna non pendeo, mirum tamen quam nunc *Tiguri* esse desidero, quod Te illic constituit tua industria; quippe qui duplicatam spem in me sentiam. Nam alios quidem quam amicos mihi putem nescio; Te re ipsa amicum sensi, minimeque blandientem. Quare est cur gestiam, cur sperem. Rescribe aliquando si poteris, quid spei mihi promittas, aut an sperare me cessare iubeas. Sequar enim consilium tuum; scis tamen, me hac spe non indignum. Porro alibi quoque desideror. Quanquam nunc animo mecum prospicio, quantum invidiae Tibi inter istos eruditio tua conflabit. Sed sis, ut hactenus, erecti animi, tanquam Hercules ἀλεξίκακος cum monstris depugnaturus. Vinces facile tum patientia, tum animi moderatione. Saluta interim nomine meo D. *Niesly*, D. *Henr. Utingerum*, D. *Christophorum*, medicum,[4] inprimis vero D. Praepositum. Vide quam longus sum, cum tamen maxime frigeam: hiems erat, locus gelidus, stilus aridus; mens quomodo non frigidissima esse poterat? Sed ignosce loquacitati! Vale! *Lutetiae* ad Idus Ian. (13. Ian.) 1519.

---

1) *Glareanus* cupiebat *Myconium* socium sibi Lutetiam traducere. 2) *Schinnerus*. 3) Gesnerus nihil de hoc scripto memorat. 4) Klauserus?

III.

NESENUS ZUINGLIO S.

Si unquam alias, nunc certe maxime optimi viri functus officio es, *Uldrice* charissime, cum *Valentinum* hunc nostrum, adolescentem ingenii amoenissimi, tua autoritate ornasti. [1] Crede mihi, mi Uldrice! dignus est fortuna quantumvis splendida, doctus est iuxta ac integer, amat literarum sacra ut qui maxime; in summa tuo fervore dignissimus. Spero confore, ut Helvetiam non minus quam *Glareanus* noster literis suis ornet, et Christum non ex lacunis, ut Theologorum assolet vulgus, sed ex fontibus, popularibus suis praedicet. In hoc disciplinarum orbem complectitur, nec tamen graecanicam refugit eruditionem (cuius rei, cum ad Te venerit, fac periculum, et invenies *Nesenum* nihil fuisse tibi mentitum), et omnino maiorem, quam vel ego meis literis vel ipse suo sermone exprimere posset. — Constantissime hic asserunt, regem Christianissimum in demortui *Maximiliani* [2] locum suffectum. Quae si vera sunt, actum est primo nobiscum, [3] deinde item vobiscum. Hic libet exclamare: Quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames? Sic libertatem a maioribus nostris, veluti per manus traditam, pecunia prodimus. Rogo quodnam ingenium adeo acutum *Germaniae* nostrae maculam hanc dispungere posset. Parum esset armis subactos fuisse; sed pecunia modo expugnatos imperii prodidisse maiestatem, quis est auribus adeo patientibus, ut hoc cum audierit non detestaretur. Sed expecto, quid Tu ad haec rescribas: nollem enim moerore confici, antequam moeroris causam quoque cognovero. — Episcopus *Roffensis*, *Anglus*, Marias *Fabri* funditus subvertit, adductis ex Evangelio sanctisque aliis scriptoribus sententiis autoritatibusque, quibus ut impiam *Fabri* de Magdalenis opinionem reiicit, et profecto, ut ego quoque quae sentio dicam, egregium se praestitit Episcopum, modo parcius usus fuisset convitiis. Liber adhuc sub prelo est; alioqui ad Te misissem. [4] Vale, carissime Ulrice! Si quando ad *Vadianum* patriae vestrae ornamentum praecipuum scripseris, rogo, si non impudens Tibi videor, mei admisceas mentionem: illius enim amicitiam summe ambio. *Oswaldo* [5] ludi literarii praesidi doctissimo multam ex me dicito salutem: siquidem adhuc memor sum, qua humanitate is me nuper cum istic agerem exceperit. Vale iterum et salve, Ulrice optime! *Parisiis.* 3 Cal. Febr. (30. Ian.) 1519.

Inscriptio: Doctissimo viro Udalrico Zuinglio, apud Tigurum Parocho summo, amico suo eximio. Zürich.

---

[1]) In Zuinglii locum Glaronae suffectus. [2]) Obiit 12. Ian. 1519. [3]) Germanis. [4]) *Io. Fischerus*, episcopus *Rochestriae*, doctrinae fautor, sed catholicae religionis et hierarchiae tenax, ideoque Cardinalis factus a Pontifice, ab rege autem Henrico VIII. supplicio capitis affectus. *Iacobus Faber Stapulensis* librum ediderat de tribus Magdalenis ac de unica Magdalena; Fischer contra de unica Magdalena. [5]) Myconio.

IV.

IOANNES FROBENIUS ZUINGLIO SUO S. D.

Quum libellum *C. Corn. Taciti* de moribus et situ Germaniae populorum typis nostris excudere coepissemus, commodum ex amicis nostris quidam [1] commentariolum nobis exhibuit, in quo paucis aperitur, quorum veterum populorum qui novi populi sedes hodie teneant. Equidem mihi sic videtur, eos, qui priscae illius antiquitatis scriptores duntaxat legunt, praeteritis iis, qui mediam antiquitatem scriptis suis complexi sunt, in multis rebus necessario labi. Nam quantas Tu rerum mutationes a morte Iulii Caesaris factas arbitraris? Ut concedere cogamur, non tam illius commentationem, qui certe et fide et stilo summam laudem mereatur, quam Spartiani, Vopisci, Trebellii Pollionis, Ammiani Marcellini, Eutropii Procopiique lectionem esse necessariam. Quod si rediret ex inferis hodie Caesar, nihil hic propemodum agnosceret. Adeo gens genti mixta est, populi partim penitus deleti, partim alias translati, et ut summatim dicam mutata omnia. Proinde eum commentariolum studiosis usui futurum Tibi volui dicare, qui norim Te hoc genus deliciis animum oblectare solere, quoties ex altioribus studiis obrepsit fastidium. Hanc eandem rem agunt, ut antiquitati lucem afferant, duo Helvetiorum decora, *Henricus Glareanus*, summus amicus noster, et *Ioachimus Vadianus*, praecipue in commentariis suis in Pomponium Melam, [2] quos doctis omnibus probari magnopere gaudeo. Bene vale.

V.

IOHANNES IACOBUS A LILIIS
D. HULDERICO ZUINGLIO SUO.

Certior factus nuper a *Glareano* poëta nostro, quem et suspicio atque amo, sacerdotium Te apud *Tigurinos* successoremque ex animi tui sententia consecutum, [3] prae gaudio vix me ipsum cepi. Gratulor itaque tibi, gratulor populo Tigurino invideoque pariter, quod iam tanta quadam spe lapsus, cum te, maioribus negotiis distractum, amiculis tanto tui studio flagrantibus minus vacare posse vereor. Gratulor tamen laetorque, quod Te laetari, Tibique gratum esse cognoverim. Ceterum ubinam gentium *Vadianus* praeceptor meus sit vel futurus erit, adeo scire vellem, ut qui vehementissime, ea causa, quod eum *Viennam* repetiisse, nescio quam ob rem, ferant? Quod ipsum ansam praebet suspicionis atque timoris, ne prisca inter sui similes i. e. lite-

---

[1]) *Beatus Rhenanus*. Cfr. B. Rhenani Rerum Germ. Libri III. Argent. 1610. 8. p. 375. castigationes in librum Taciti de Germania, ubi annus 1519 indicatur, itaque haec epistola uno anno inferius quam in MSC. Simler. collocatur. [2]) Anno 1518 primum editus a Vadiano Viennae. (Gesn.) [3]) *Valentinus Tschudi*, quem Zuinglius ut sibi successorem crearent, Glaronensibus commendaverat.

ratos, consuetudo magis stomachum eius sollicitet, quam patriae imperitae amor. Fac Tu, pro omni observantia atque pietate, qua Te prosequor, certior super hac re fiam. *Oswaldi Myconii* hominis prudentis et integri statum et conditionem omnem scire velim, cui et scripsissem, si prae occupatione licuisset. In quem si quid beneficii contuleris, mihi imputari facillime patiar. Novi quid ad Te scriberem, modo non tam superfluum quam stultum esset, cum *Valentinus*[1] noster coram de omnibus certiorem reddat, et ego alioqui hoc temporis impeditior. Ceterum ita velim de me concipias, si res ferat, omni me opera, studio et diligentia animum in Te meum probaturum. Vale humanitatis atque doctrinarum specimen, meque omnibus tuis amicis commendes, meisque verbis salutem dicas, maxime *Myconio* nostro. Ex *Parisiis*. Cal. Febr. (1519) Tumultuarie.

VI.

BEATUS RHENANUS H. ZUINGLIO SUO S. D.

Ex *Augusta Vindelicorum*[2] *Capitoni* nostro scripsit[3] *Ioh. Oeco-*

---

1) Tschudi. 2) *Wolfgangus Fabritius Capito* (*Köpflin*), filius senatoris Hagenoviae, nat. 1487, Basileae Theologiam didicit, tum Medicinam, deinde iterum Theologiam, tandem Iura, atque in omnibus tribus facultatibus Doctoris gradum est consecutus. Friburgi in Brisgovia docuit scholasticam Theologiam secundum Scotum. Hinc Episcopus Spirensis eum pastorem vocavit Bruchsalum. Heidelbergae in notitiam venit Oecolampadii, unde amicitia in supremum diem duravit. Senatus Basiliensis eum 1512 non semel ad primam ecclesiae cathedram vocavit, et Capito vicissim amicum suum Oecolampadium 1515 Episcopo Basiliensi commendavit, cui munus concionandi in ecclesia Cathedrali conferret. Basileae quoque iunxit amicitiam cum *Zuinglio*, *Pelicano*, aliis, atque illo iam tempore Evangelica scripta pro concione tractabat. 1520 commendatus ab *Hutteno* concionator aulicus et cancellarius Archiepiscopi Alberti *Moguntium* venit. Quum vero animadverteret, ibi reformationem non invaliturum esse, subiit locum Praepositi et Praedicatoris ad S. Thomae Argentorati, ubi ipse cum Bucero reformationis victoriam obtinuerunt eamque potenter disperserunt in Galliam finitimam. Quamquam reformationis admodum studiosus semper mitis et pacificus animo fuit, Lutherumque commonuit ut homines moderatius tractaret, Erasmum autem hortatus est, ut apertius veritati suffragaretur. Obiit 1541 pesti (Adami vita Cap.) Luthero nondum exorto iam de Papae iugo excutiendo contulit cum Zuinglio. Scripsit enim 1536 ad Bullingerum (Hott. H. E. VI, 207. 208.) „Antequam *Lutherus* in lucem emerserat, *Zuinglius* et ego inter nos communicavimus de Pontifice deiiciendo, etiam dum ille vitam degeret in *Eremitorio*. Nam utrique ex *Erasmi* consuetudine et lectione bonorum authorum qualecunque iudicium tum subolescebat.“ Atque pariter ocius cum Pelicano transsubstantiationis opinionem aspernari coepit. (Wirz) 3) *Io. Oecolampadius* (Hausschein) filius locupletum parentum 1482 *Winsbergae* natus, primum Iura didicit, deinde Theologiam Heidelbergae et quidem vehementi cum studio scholasticam, postea vero sub Reuchlino veteres linguas, praesertim Hebraicam. Aliquamdiu praedicator in patria deinde per Capitonis commendationem Basileae Doctoris Theologiae nomen impetravit atque *Erasmum* adiuvit in elaborandis adnotationibus ad N. T. Inde Augustam Vindelicorum

lampadius, *Lutherium* extra *Wittenbergam* pedem non movisse.[1] Scripsit pro hoc ad *Cardinalem S. Sixti Saxoniae* dux *Fridericus* literas deprecatorias.[2] *Frobenio* significari cures, chartaceisne tabulis libros suos concinnari velit *Sanderius*[3] et in quot volumina dividendus sit *Hieronymus*. Quod si ex singulis tomis singula volet habere volumina, concinnationis pretium ad 4 florenos et dimidiatum redibit. Tantum solvit *Puccius*. Non possunt ingentia volumina tenues asserculi sustentare nec chartaceae tabellae praegrandibus libris pares sunt. Novi iam pridem eius animum, cui compendium inscriptum est. Sed christianum mihi videtur *τὰς ἐχθροὺς διὰ τῶν εὐεργεσιῶν φίλους ποιεῖν*. At *τῷ σταυροφόρῳ* (crucigero) nē Pytho quidem ipsa persuaserit, ut a *Scoto* vel transversum unguem discedat. Audivit a nobis multa in hanc rem disputata, cum illi contubernio hic coniuncti essemus. *Osw. Myconium* salvere iubebis, et rogabis, ut *compendium verae Theologiae*[4] suis auditoribus, hoc quadragesimali tempore, vel alioqui festis diebus interpretetur. Nihil agere potest, quod vel Christo sit gratius, vel sophistarum nugis perniciosius. Curabimus *Paraclesin*[5] in hac item forma typis excudendam ut ante compendium legi possit, veluti adhortatio ad Christi philosophiam. Bene vale! *Bas.* 13. Febr. 1519.

VII.

URBANUS REGIUS[6] AD HUMANISSIMUM VIRUM UDALRICUM ZUINGLIUM, HONESTARUM ARTIUM MAGISTRUM, THEOLOGUM, DIVINI VERBI DECLAMATOREM TUREGI, D. ET FAUTOREM MEUM PRAECIPUUM S. D.

Facis tu quidem, vir humanissime, quod solent viri docti omnes, amas *Urbanum* atque de eo honorifice sentis ob nescio quam doctrinae

---

praedicator se contulit, postea in Monasterium Antiquum (*Altmünster*) immigravit. Duobus annis ibi transactis, quum monachos vitamque monachicam propius cognovisset, deseruit monasterium et Basileam reversus cathedram S. Theologiae obtinuit, simulque praedicatoris munus administrabat. Intima cum Zuinglio amicitia iunctus inde ab anno 1522 lente et assidue reformationi operam dabat Basileae. Cum eo disputationi Bernensi interfuit, cum eo item colloquio Marburgensi, et paucis post Zuinglii occasum hebdomadibus mortuus est 1531. (Adami, vitae, Sal. Hess, Wirz.)

[1]) Caietano postulante, ut Princeps Elector Lutherum sive Romam mittat sive releget. (Sleidanus 1518.) [2]) Thomas de Vio Caietanus, Legatus Papae in Germania, cui Lutherum coërcendum demandaverat. Fridericus Elector ad hunc scripserat 19. Nov. 1518. (Sleid.) [3]) Cardinali *Schinnero* a Secretis, saepe Eremi ac Tiguri commorans. [4]) et [5]) *Erasmi*. [6]) *Urbanus Regius* (*König*), a *Langenargen*, quod oppidulum imminet lacui Bodamico. E schola *Lindoviae* primum in universitatem Friburgi Brisgoviae profectus sub Zasio illo nobili doctrinae studia coluit, tum *Basileam* et *Ingolstadium*. Hic aedes operasque instruxit locandas adolescentibus literarum studiosis, at in aes alienum sese immersit. Quibus fortunis desperans auctorat sese ad militiam adversus Turcas; inde autem ipsum redemit *Io. Eckius*, famosus ille hostis

opinionem. Ita nempe *Sigismundus Rötli*, utriusque nostrum studiosissimus, nuper mihi *Lindoiae* retulit. [4] Ego vero a Moecenate meo *Ioh. Fabro* dudum acceperam, virum quemdam impendio doctum verbi divini declamatorem esse *Turegi*. Persuade itaque tibi, me eum esse, qui, etsi non eruditione, fide tamen in amicitia studiosa nemini sit cessurus. Amasti me prior, redamo te et diligenter curabo, ne uspiam in officiis humanitatis vincar; alioqui liben'.r et mea mihi gloria victum me fatebor. Quod si te alloqui ob locorum distantiam nequivero, efficiam tamen literis creberrimis, ut intelligas, tuum hunc amorem erga me haudquaquam fuisse sterilem. Scribit ad te Dominus meus *Ioh. Faber*, cui condonationes quaedam aut indulgentiae stomachum movent, quas Minorita nescio quis circumfert per *Helvetiam* in nummi aucupio non instrenuus. [2] Movet virum iustum, quod in una dispensatione pene decem errores deprehenduntur. Vale! *Constantiae* 2. Martii 1519.

VIII.

BEATUS RHENANUS ZINLIO SUO S. D.

Dedit tres libellos *Petrus Gebwilerius* doctori *Michaeli Sanderio*, videlicet exhortationem ad Principes *Germaniae*, ne consentiant ad decimae praestationem, quae sic incipit: „Si unquam *Germaniae* Principibus consilio, prudentia concordiaque etc.“ (eandem germanice), et orationem h. e. *Leodiensium* querelam. [3] Quos mihi interim describendos clanculum cures, dum hic, qui literas has tibi reddidit, D. Virginem *Eremiticam* visit. Non est multum scripturae. Germanicam orationem inprimis habere cupio. Libri D. *Michaelis* sunt elegantissime concinnati, quemadmodum *Gebwilerius* coram exponet, qui intra biduum iter inibit. Vector ille, de quo scripseras, nos rediens fefellit. Idem qui has tibi reddidit, civis et bibliopola *Parisiensis* a *Glareano* literas mihi attulit, in quibus scribit, magnopere *Germanis* minari *Gallum Elvetiorum* fiducia, quos putat sibi non defuturos. At nos

---

Lutheri et Zuinglii; imperator Maximilianus laurea donavit poëtica et rhetorica: hinc Regius professorem *Ingolstadii* agebat. Certamine inter Eckium et Lutherum oborto discessit, ut ne cum amico suo, cui beneficiis obligatus erat, in certamen veniret, atque Augustam profectus est, ubi praedicator quum reformationem adiuvaret Eckii inimicitiam subiit. Augusta exagitatus oberravit aliquamdiu per Tirolin rediitque domum et Constantiam, ubi per Fabrum abalienatus a Luthero Zuinglium convenit, qui iam audierat de eo. Hic suam de S. Coena et Peccato Originali doctrinam cum eo communicavit. Regius denno Augustam vocatus est. Postea rursus in Lutheri partes inclinavit. Ernestus, Dux Brunsvigensis, Regium denique *Luneburgum* traduxit, ubi 1541 obiit. (Adami vitae et Zasii Epp. p. 436.)

[1] Cf. Ep. 26. anni 1517. [2] *Bernardinus Samson*, veniarum institor in Helvetia, qui nullo permissu Episcopi Constantiensis in eius dioecesi venias offerebat mercandas. Episcopus interdixerat ei templa aperiri exhortatusque Zuinglium erat Faber, ut contra hunc mercatum concionaretur et ageret. (Wirz.) [3] Utraque scripta prima *Hutteno* adscribuntur. (Meiners et a.) De secundo vide animadversionem I. ad epist. 10.

speramus, illum frustratum iri. Non conferent auxilium ad eos subigendos, qui si sub iugum missi fuerint, ipsis quoque domitoribus, tyrannis imminebit et servitus. Non destituant se invicem Germani, si sapiunt; *Francum* ne admittant, sed prohibeant potius! Nam si hic vel exiguam aliquam provinciam occuparit, non antè desinet, quam quicquid ea vicinum complectitur, in suam redegerit potestatem. Vetus dicterium est: Melius est *Francum* amicum habere, quam vicinum, quod etiam graece fuit enuntiatum, nimirum ut apud Graecos natum, quo tempore *Syriam* et *Graeciae* partem *Gallicani* reges administrarunt, ut docent Chronica Abbatis Urspergensis: *Κρεῖττον τὸν φράγμον φίλον ἔχειν ἢ γείτονα*, aut similibus verbis: nam liber ad manum non erat. [2] Saluta D. *Osw. Myconium* et ceteros amicos. Bene vale, mi *Zuingli*, et eum qui has tibi reddidit ad me sine libellis illis tribus venire ne sinas! *Bas.* 8. Martii 1519.

Inscriptio: *Beatus Rhenanus* — eximio viro D. *Huldrico Zinglio* Parocho *Turegiensi*, amico singulari.

IX.

BEATUS RHENANUS ZINLIO SUO S. D.

Heri tandem, h. e. 12. Martii die, literas tuas accepi, in quibus de oratione illa, pro qua tibi per *Conradum* bibliopolam scripsi. Exemplum latinae non magnopere cupio, tametsi poterit et hoc prodesse. Nam habet forsân illud, quod meum non continet, aut aliter aut etiam melius; nec enim per omnia consentire puto, quando dedita autoris opera videtur facta depravatio. Verum tralationem in nostratem linguam tanto avidius expecto, quanto restitutioni plus opis est allatura, quam exemplum latinum. Scripsi *Sanderio*, tuae monitioni tandem obsecutus. Nihil autem ago totis literis, quam quod meum in illum testor animum. Bene vale, mi *Zinli! Bas.* 13. Mart. die 1519.

X.

BEATUS RHENANUS ZINLIO SUO S. D.

Libellum quem petieram accepi, sed querelam Sacerdotum *Leodiensium* oblitus fuisti simul mittere. Porrexerunt illi per suum nuntium schedam Principibus *Germaniae*, qui superiori aestate convenerant apud Augustam Vindelicorum, complectentem ea, quae *Bartolinus* in actis eius Conventus strictim memorat. Itaque curabis, ut ad me descriptam mittas. [3] A *Gallis Germaniae* nostrae male metuo; nam

---

[1]) Quomodo et Hispanicae partes et Gallicae certatim urserint Helvetios, ut pro Carolo Franciscove sua gravis momenti suffragia ferrent Imperatore creando, utque Confoederati Carolo faverint, vide Hott. Hist. Confoed. I, 6 sqq. Cfr. Neseni ep. ad Zu. 3. Cal. Febr. [2]) *Richardus Bartolinus Perusinus*, Capellanus *Matthaei Lang*, Cardinalis Goriziae, responsum Principum Germanorum in propositionem Legati Leonis X. Au-

si verum est quod vulgo fertur, et etiam a prudentibus credi coeptum est, *Montem* videlicet Peligardi regi Francorum obnoxium esse factum, ut hunc in horas putetur, velut pignori subiectum, occupaturus, quid nobis praeter extremam calamitatem imminere censes? Misit enim ingentem auri vim ad Ducem. Et quanquam in hoc studet, ut intestinis ipsa *Germania* seditionibus ac bellis divexetur, verisimile tamen non est gratis tam immensam missitare pecuniam. Fuit nudius tertius hic Archiepiscopus *Rheginus*, vel ut quidam volunt, *Arelatensis*, aut uterque fortassis, ut sint Episcopi, non tantum Episcopus; Ursinae gentis est et Pontificis necessarius, qui, nisi me fallit animi mei augurium, literas adfert ad Principes *Germaniae* pro *Gallo*.[2] Auget meam suspicionem, quod intra paucos dies hac re rediturum dixit. Heri venit apostolus (vulgo postam vocant) ex urbe, qui die Lunae proxime praeterito iter iniit. Cogita, quantum festinarit, qui intra 4 dies et dimidiatum huc advolarit. Hesterno vesperi naviculam conscendit totam noctem navigaturus, ut ad exortum solis huius diei perveniret *Argentoratum*. Nam illic suum se sperat Archiepiscopum deprehensurum. De hac re poteris R. D. Cardinalem admonere. Nam tametsi *Hispaniarum* Cath. Regi *Carolo* suffragia sua Principes Electores datis literis et in fidem sigillo munitis promiserunt, timendum tamen est, ne Pontificis fraude *Florentor* huius promissionis gratiam illis faciat, h. e. dispenset, ut vulgus barbare loquitur. *Huttenus Phalarismum* edidit contra Ducem *Wirtembergensem*, dialogum elegantissimum, item alterum dialogum quem *Febrim* inscripsit, in quo Cardinalem *S. Sixti*,[3] qui fuit ad Caesarem legatus, egregie depingit, qui in *Germaniam* venerat (sic enim *Huttenus* scribit) ut pecuniam colligeret in bellum contra *Turcas*, quam *Romanenses* isti consumerent etc. Edidit et alia quaedam ad *Leonem X.*, omnium mortalium audentissimus. *Erasmus Paraphrasin* scripsit in duas ad Corinthios epistolas. Scripsit ad me literas, quae libellum aequare possent, de *Lutherio* et aliis rebus. Epistolam *Martini Lutherii*, quam *Adelmanno* misit *Augustano*,[4] ut tibi gratificarer, descripsi: delectabit te virilis et constans hominis animus. Bene vale! *Bas.* 19. Mart. 1519.

---

gustae 1518 in lucem edidit. (Gesn.) In propositionem Legati Pontificii Legatus e collegio Sacerdotum Leodiensium coram responsum redditurus erat ore; Principes scriptum postulabant. Enarrabatur in eo summa nequitia Romanae Curiae et insimulabatur inscientissimos et improbissimos homines ubique praebendis ac dignitatibus eximiis augeri. (Simler. Collectio.)

[1]) *Robertus Ursini*, Archiepiscopus *Rhegii*. Leonis nomine cum Principe Electore et Archiepiscopo *Trevirensi*, *Richardo* agebat, ut ad *Franciscum I.* summa imperii Germanici deferretur. Frustra autem erant et largitiones et clandestina comminatio, aliam electionem a Pontifice non ratam habitum iri. (Sekendorf, Hist. Luth.) [2]) *Caietanum*. [3]) *Bernardus et Conradus Adelmann ab Adelmannsfelden*, Canonici *Augustae*, amici ut *Lutheri* sic *Oecolampadii*. (Vid. Hess, vita Oecol.)

XI.

CHRISTOPHORO CRASSO [1]

HULDRICUS ZUINGLIUS S.

Posset haec scheda, doctissime Christophore! Te in extasin abiicere, quod horrida, quod indocta, nisi *Zinlium* praeferret nomen, quod Tibi monachus quidam, *Vadiani* iam olim discipulus, meus vero germanus ingessit, is qui apud *Scotos* sepultus est, cuius ossa ne lapis urgeat precamur. [2] Nomen habes, mentionem vel umbratilem mei, qui Te per bonas disciplinas hortor, quarum Tu patronus nedum alumnus es, adolescentem hunc, praesentium latorem, *Georgium Bernardi*, nostra admonitione commendatum habeas, primoribus quidem annis vel fortuna vel conditione neglectum, quo aliqua inducatur ad rem grammaticam; eam volumus, quam Tu nos velle intelligis. Fovet eum D. *Geroldseggius*, patronus meus, *Eremi Helveticae* administrator, qui sibi factum imputabit, quicquid in hunc beneficii collocaveris. Advertes nihil minus ad mores eius. Inexercitus est, *φίλαντος*, *ἄγροιος*, verumtamen probus. Vale, et ubi omnia optimi consulueris, meque ob hanc dum bene sumus poti scriptam epistolam ne abiicias de ponte, in quem Te *πάλαι Vadiano* commendante statuimus. Ex *Tiguro* 23. Mart. 1519.

Inscriptio: *Christophoro Crasso*, amico singulari.

XII.

ZINLIO SUO GLAREANUS S.

Pauca scribam, carissime Udalrice! Scripseram enim pridem epistolam bene longam, qui longo tempore a te nullas accepi literas. Nam eas, quas militi isti, qui sub Decembrem ad nos venit, dedisti, sero recepimus. Et doluimus plane, quod homo ille et nos et vos decepisset. Iuvenibus enim nostris literae venerunt, pecuniae non venerunt; unde procul dubio convincimus, nebulonem cum pecunia abiisse. Sed miles erat. Quod probas meum in Te candorem, cogita modestiam illam tuam et humanitatem (nam doctrinam, more adulatorum, quid attinet hic commemorare?) longe maiora meruisse. Laudo te, digne laudo, et scis laudi isti abesse adulationem; quandoquidem nihil ambimus apud Te. Et erat quod ambiremus, amor videlicet. Sed illum sane scio in utroque parem. Probo nunc item, quod *Tigurum* concesseris: futu-

---

1) De quo Vadianus: Communiceps noster vir doctus simul et diligens, quoque meliorem neminem dixeris, is aliquando mihi discipulus, nunc laborum socius nihil prorsus in literarum studiis operae in *Viennensi* Lyceo intermittit. (Pomp. Mela Ed. Vad.) Crassus plura opera Viennae typis exscripta vulgavit, inter alia Epistolas CCCCXXXII Francisci Philelphi cum duabus philosophicis epistolis argumenti ethici et paraenesi ad adolescentem Nobilem *von Eck*, alumnum suum. (Goeldli: Conradus Scheuber) 2) *Iacobus Zuingli.*

rum enim auguror, ut fides Christi augmentum illic sit acceptura, Te duce, haud mediocre. Quod D. *Felix Fryg* praepositurum nactus sit, puto in rem meam esse. Is est primus, qui me ambire *Tigurinorum* amicitiam iussit.[1] Vir est, ni fallor, qui doctos amat, ipse etiam, ut ea aetas tulit, non vulgariter doctus. Musicen mire amat, quae res primum me illi familiarem fecit. Ceterum σὺ οὐκ ἀγνοεῖς, ὡς χρὴ τοιούτους ἄνδρας διαλαμβάνειν. Verum haec tecum cogita! ὡς ἀσφαλῶς ἅπαντα γράφω. Quid autem mihi apud te timendum, apud quem sunt omnia circumspectissima? Vale et mutuum ama! *Lutetiae* ad 8. Cal. Apr. (25. Mart.) 1519.

Adest *Ioh. Lascaris*, *Graecus*, mire eruditus, ad quem ego saepe commeo una cum *Ammanno* meo *Tigurino*, iuvene clarissimo. Laborat ille podagra; quare facilis est accessus. Vigiliis magnis nunc rursus graecor, ut videlicet socius tibi non desit aut congerro, si rursus in *Helvetios* concessero. Vale mi *Ulderice!*

Inscriptio: *Glareanus* D. *Udalrico Zinglio*, *Doggio*, viro integerrimo, latine graeceque docto, Philosopho et Theologo, amico nostro eximio.

XIII.

BEATUS RHENANUS ZINGLIO SUO S. D.

Retulit mihi nudius tertius *Romam* proficiscens Comes *a Nova Aquila*,[2] vir doctissimus, treis esse *Moguntiae* Pontificis legatos, *Cardinalem* videlicet *S. Xysti*, Archiepiscopum *de Ursinis*, et Protonotarium quendam, qui strenue laborent pedibus ac manibus omnes ut *Carolus* posthabeatur. Minati sunt his laqueum palam *Hispanici* Regis legati, domini *Nic. Zieglerius*, *Armenshofer* et ceteri, si deprehenderint rem. At hi negarunt, se electionem *Caroli* impedire velle, sed tantum operam dare, ut iura Ecclesiae Romanae conserventur. Erant mane *Trevirensem*[3] apud *Confluentes* salutaturi, et in hoc naves conduxerant. Verum legatorum *Hispaniensium* opera factum est, ut naves omnes fuerint detentae velut Principe iubente. Conquesti fuere *Cardinali Moguntino*;[4] at hic iussu suo factum negavit. Videbis mirabilem eventum, imo miserabilem, quantum ad istos, utcunque res ceciderit. De hac re monebis D. *Sedunensem*. Miror Te nihil scribere de *Sanderii* libris. Concinnati sunt et in arculam ligneam compositi, sed deest vector. Vestrum erat e vestratibus aliquem rogare, qui frumenta quadrigis hinc deportant, ut omnem istam sarcinulam secum istuc adveheret. Timet interim *Matthias* Bibliopola, ne D. *Sanderius* alio se conferat hic relictis libris. Bene vale! *Bas.* die Ambrosii (4. Apr.) 1519.

---

1) Glareanus appetebat munus Tiguri. 2) *Hermannus*, *Comes a Nuenar*, patronus literarum bonarum, amicus *Reuchlini*, *Hutteni* et *Erasmi*, historicus et botanicus scriptor. Complures epistolarum eius extant inter epistolas Reuchlini congestas. 3) Archiepiscopus et Elector Trevirensis *Richardus* caput fuit partium Gallicarum in comitiis. 4) Albertus Brandenburgensis.

XIV.

BEATUS RHENANUS ZINLIO SUO S. D.

Gratissimae mihi fuerunt literae Tuae, quemadmodum erant humanitatis plenissimae; sed non paulo gratius fuit, quod ore nobis retulit *Simon* noster, pergere Te videlicet in asserendo Christianismo, quem partim impietas manifesta, partim fallax superstitio non istic modo, sed ubivis gentium, indignis modis conspurcarunt. Et quanquam, ut non caret aemulatione virtus, obstrepant quidam, tamen a proposito tuo, quod instanter urges, adhuc nemo te retrahere potuit. In qua re constantiam tuam admirari subit, quà nobis apostolici illius seculi virum repraesentas. Obganniunt quidam, rident, minantur, petulanter incessunt; at tu vere christiana patientia suffers omnia. Sic agendum est, mi *Zuingli*, quemadmodum facis: connivendum, inquam, ad multa, ei qui velit malos Christo lucri facere. Beneficiis ad se traxit Iudaeos Servator noster, non convitiis. Gratum quoque fuit audire, D. *Conradum Fabrum Küsnachtensem*, Commendatorem ut vocant, abs te donato libello [1] penitus inflammatum, ut purioribus istis literis ex animo favere coeperit. Laudo consilium tuum, quod tam feliciter tibi successit. Animabit hic alios ad bona studia, aut certe non praefracte prohibebit. *Fonteium* monui, ut chartam quae defuit ad Te mitteret. Ait tamen pridem eandem se misisse. Libros *Sanderii* puto dudum istuc delatos. Nam sacrificus Domini *Cardinalis* [2] illos vectori cuidam vestrati commisit. Habebis mox positiones *Martini Lutheri*, quas contra novos et veteres errores *Lipsiae* [3] defensurus est, una cum Epistola, qua *Eccium* sic depingit, ut nullus pictor potuerit melius. Allati sunt multi novi libelli, de quibus longum esset scribere. Commenda me D. M. *Sanderio!* Bene vale, mi *Zinli! Bas.* 7. Maii 1519.

XV.

GLAREANUS ZUINGLIO S.

Vix unquam plura habebam, quae scriberem, carissime Zuingli! cum tamen brevem hic videas chartulam si numeres lineas, longam tamen, si perturbationes hic nostras ex *Iacobo* nostro *Ammanno* noscas. Primus eram qui in patriam festinasset, si iuvenum curam excussissem. Varii afferuntur tumultus et ex *Germania* et ex *Helvetiis*, ut certe nullo modo diutius mihi manendum putem. [4] Abest cum *Copus*, tum *Budaeus*. *Ioh. a Lilio*, *Lucernas*, quem Tibi olim effinxi cumque *Ammanno* tibi unice commendaram, nunc in patriam concessit. Oro hominem noscere velis. Porro *Ammannum* Tibi commendare non est opus, quem et quotidiana consuetudo Tibi commendabit, et non medio-

---

1) Scriptum *Lutheri*. Rhenani praecipua industria posita fuit in scriptis Lutheri per Helvetiam dispergendis. (Hott. H. Eccl. III, 49.) 2) *Sedunensis*, *Schinner*. 3) Disputatio Lipsiensis a 4 — 13. Iul. 4) Hoc pertinet ad motus, quos electio imperatoris excitabat.

cris eruditio. Longo tempore nullas accipio literas, quae res me movit ut crederem itinera obsepta. Ita enim citius obrepit suspicio male habentibus, et certe magnam rerum mutationem futuram auguror, si committentur *Franciscus* et *Carolus*. Invitatus sum ternis nunc literis ab *Erasmo*, ut ad *Levacos* [1] concederem, i. e. oppidum in *Nervitis* aut *Ambiaritis*, ubi nunc ipse versatur. Verum iuvenes relinquere non audeo. Et certe *Parisiis* absque capitis periculo vix habitamus. Cuius causam omnem ex *Anmanno* nostro percipies. [2] Fortassis, si res non componatur, in Iulio me *Tiguri* videbis. Minatus sum pensori tuo per aliquot dies, si opus erit, adducturus fortassis et *Gryllum* aliquem. Cum foenore tamen Tecum habitabo, quantum quantum id fuerit, quamvis prae impotentia vix mihi quae scribo constant. Scripsi item his diebus, consilio *Fabri Stapulensis* et codicibus aliquot adiutus, Divorum *Felicis* et *Regulae* historiam, humili stylo, ut a mediocriter doctis intelligi quiret. Ceterum cavi, ut maxime Christo conformia adiicerem, resecarem quae vel inepta vel suspecta. Mirum vero ingenium eius historiae scriptoribus, quod praeter barbariem, qua negotium maxime obscurarunt, etiam supra modum ineptierunt. Sed non prodibit in lucem, nisi Tibi placuisse intelligam. [3] Adferet *Ammannus* exemplar. Dici non potest quam desidero res patriae noscere, literas tuas legere. De R. D. *Cardinali* [4] audio quae libentissime, eum in *Sedunis* receptum pristinaeque dignitati restitutum. Eum virum amo, cui Tu me commendes velim. Mitto Tibi de pronuntiatione Graecae linguae, quod iudicium meum aliquot doctis viris placuit, et quidam exscribere dignati sunt, at vix a me efflagitarunt. [5] Molior autem ea in re nescio quid, ad minimum quae secula nostra et literas Graecas adiuvare queant. Vale unicum decus meum, et negotium meum! Age, ut unice Tibi confido! *Lutetiae* ad Idus Maias (15 Mai.) 1519.

Inscriptio: *Glareanus* D. *Udalrico Zinglio*, viro et Philosopho et Theologo, amico nostro summo. *Tiguri* in *Helvetiis*.

XVI.

GLAREANUS ULDRICO ZINGLIO ECCLESIAE TIGURINAE PAROCHO, VIRO ERUDITISSIMO IUXTAQUE INTEGERRIMO S.

Scripsi nuper copiose, quaecunque in buccam veniebant, carissime Uldrice! quadam muliere auferente specilla in *Helvetios*; nunc igitur

---

1) *Lovanium.* 2) Ea causa sine dubio fuit gravis commendatio, quae tum maxime *Parisiis* innotuerat, Helvetiorum confoederatorum ad Comitia Germanici imperii, ut *Carolum* eligerent imperatorem, 3. April. 1519 scripta (Hott. Hist. Confoed.) 3) *Glareanus* hoc scriptum cum epistola misit ad *Felicem Frey*, Praepositum, (Hott. Hist. Eccl. T. VIII. pag. 1061 sq.) Propter eam qua tum erat Lutetiae conditionem munus affectasse videtur apud Tigurinos. 4) *Schinner* episcopus *Sedunensis*. 5) *Erasmus* pronuntiationem de ipso dictam Graeci sermonis a Glareano fertur accepisse. (I. R. *Wettstein*, Orationes de linguae Graecae pronuntiatione. Or. V.)

pauca quasi subternotabo. Constans fama in *Francia* est, *Germanorum* proceres titulosum hoc imperium *Franco* vendidisse: neque enim soli *Helvetii* pecuniam amant, quamquam et hi amant; tum *Francum* minitari gentibus iugum et servitutem, quippe qui resistentem neminem habeat. Vereor ne *Germanos* probe noscat. Ab *Agrippina* motus orietur, opinor, et *Ferdinandus* illi invisus propter suspectam *Caroli* fratris potentiam. Omnino rerum quaedam non parva mutatio animo meo obversatur, quam utinam praesagirem! Nam quam tutum mihi sit in Galliis, non video. Omnino ultra annum hic non manebo, quamquam omnia mecum bene habent. Te rogo mihi rescribito! Desidero enim responsum de rebus plurimis, quas nupera epistola scripseram. Nuntius hic certus est et mihi multum familiaris. Vale et *Osaldum* nomine nostro salutabis. Nam et te *Osaldus* salutat, tu *Myconium*, te *Elmerus*. Atque utinam fortuna me a spe mea non deiecisset! sensisset *Osaldus* non amicum modo sed etiam Maecenatem. Sed hoc *Zophio τῷ ἀγεροώχῳ* debeo. Vale mi *Uldrice!* tibi persuade nihil aeque mihi in votis esse, quam ut sim tibi carissimus. *Lutetiae* V. Cal. (vero similiter 21. Maii) 1519.

XVII.

BEATUS RHENANUS ZUINGLIO SUO S. D.

Est mihi magnae curae de iis rebus nonnunquam cogitare, quae *Helvetiis* queant esse vel ornamento vel usui. Itaque quando regionis huius non ultimum decus *Ioachimus Vadianus* elegantissimos in *Melam* commentarios elucubravit,[1] in quibus patriam communem pulchre celebrat, ut habet amoenissimo ingenio parem stylum, et id librorum huc *Adamus* Bibliopola[2] nuper attulit: non potui Te rem hanc celare, nimirum, quo iuberes Melam opera *Fonteii* nostri cum novo Calendario Mathematici illius *Tubingensis Stofflerini*,[3] ni fallor, apte concinnari, et alios istic hortareris, puta D. *Myconium*, Secretarium oppidi vestri, *Frygium*,[4] et quicunque Cosmographiae studiis capiun-

---

1) *Pomponii Melae, Hispani* libri de situ orbis tres, adiectis *Ioachimi Vadiani Helvetii* in eosdem scholiis etc. Viennae Austriae. Oct. MDXVII. In extremo: Maio MDXVIII. Aucta et emendata editio *Basileae* MDXXII (Mirum quod Gesnerum haec editio fugit) et Parisiis MDXXX. *Andreas Eccius*, discipulus Vadiani, ei nuntiat, hoc suum opus apud Hispanos in academiis ac privatim lectitari. (Felß, monimentum reformatorum Helvetiorum. Pag. 194. 195) 2) *Adamus Petri*, unus celeberrimorum Typographorum ac Bibliopolarum Basiliensium, qui Lutheri versionem. N. T. eiusque libellulorum magnam vim primus in Germania australi typis mandavit, exemplariaque dono dedit omnibus monasteriis Basiliensibus. (Wirz, Kirchhofer et Rhenanus literis ad Zuinglium proximis) 3) *Ioannes Stoeffler*, *Iustinga* oriundus, nat. 1452, Prof. Mathematices Tubingae 1516, Rector 1522, clarissimus Mathematicorum et Mechanicorum sui temporis. Scripsit Tabulas Astronomicas, Ephemerides, Calendarium Romanum, Commentarium in Sphaeram Procli atque praecepta dedit de Calendario emendando. (*Boek*, Hist. Univ. Tubingensis. Pag. 45, 46.) 4) De *Frygio* (Frey) vid. Nota Vol. I. 466.

tur, imo Helvetiorum laudibus favent, ut huiusmodi sibi commentarios a *Pannoniis* usque advectos emant. Nam dolet mihi hic eos ab asinis negligi. Adolescenti isti, qui has Tibi reddidit, si qua prodesse potes, ut libellos suos facilius vendat et pecuniolam aliquam reportet, rogo tuam operam aut commendationem non deneges. Saluta *Myconium*, *Sanderium* et *Frygium*. Bene vale! *Bas.* 21. Maii 1519.

Inscriptio: *Beatus Rhenanus* eximio viro M. *Huldrico Zuinglio*, Parocho *Thuricensi*.

XVIII.

BEATUS RHENANUS ZUINGLIO SUO S. D.

Literae tuae alioquin mihi gratissimae, gratiores vel hoc nomine fuerunt, quod constantiam animi tui in docendo Christo declararint. Equidem laudandus es, qui rem optimam ac saluberrimam prudenter coeperis; magis laudandus, quod coeptam constanter prosequaris, ne tantillum quidem mutatus ab his, quibus dolet christianam renasci pietatem et puram Christi doctrinam populo tradi. Quod si magnifacit eos vulgus, qui in acie viriliter perstiterint, annon Te virum dicamus, qui in proposito docendae pietatis tam constanter perseveras? Sed accipe pulchrum consilium, quod rei, quam nunc agis, valde conferet, et adversariis tuis plurimum nocebit. *Adamus Petreius* Typographus (nosse Te puto hominem) aliquot *Lutherii* novos libellos Germanice scriptos typis suis expressurus, expositionem videlicet Dominicae precationis luculentam et plane Lutherianam; praeterea Germanicam Theologiam,[1] ad quam collata quamlibet subtilis illa *Scoti* Theologia crassa erit et hebes; et huius generis alios aliquot libellos: quos si Tu pro concione publice commendaris populo, hoc est emendos suaseris,[2] crede mihi, negotium quod instituisti, plane et ex animi sententia Tibi succedet. Si puerum huc miseris (nam meretur haec res hunc sumtum et diligentiam) dabit *Adamus* illi quantum voles libellorum. Hoc fiat intra mensem, sed moneris a nobis: qui hic prostabant in *Misniis* excusi, non venditi sunt sed ab emptoribus rapti. Horum desiderio et prophani et ecclesiastici aeque tenentur. Inscripsit Tibi *Frobenius* nostrum in Taciti Germaniam commentariolum.[3] Mitto Tibi dono positiones *Lutherii* contra *Eccium* et Germaniae precationem. *Myconio* gratiam habeo de missis literis. Rescribam, cum erit plus otii. Haec me dictante minister excepit. Bene vale! *Bas.* 24. Mai 1519.

Tuus *Beatus Rhenanus*, *Selestadiensis*. De *Pomponio Mela* *Fonteium* monebis. Monebis item alios parochos, ut *Lutherii* libellos, de quibus scripsimus, plebi commendare suo tempore meminerint.

Inscriptio: *Beatus Rhenanus* eximio viro *Huldrico Zuinglio*, Parocho *Tigurino*, amico incomparabili. *Turegii*.

---

[1]) Sine dubio *Tauleri*. [2]) Hoc *Zuinglius* omnino fecit. (*Myconii* vita Zw.) [3]) Vid. Epist. IV. 1519.

XIX.

GLAREANUS ZUINGLIO.

In *Osaldi Myconii* literis prorsus constitueram nunc non scribendum, quod te toties obtundo verius quam recreem, quumque nuper cum *Ammanno* nostro copiosas dedi literas. Verum casus aliquis coëgit meis alioqui studiis tantillum temporis suffurari, ut hac de re certiorem te facerem, quae animum non tam meum atque *Petri* nostri *Scudi* affecit. Scripsit pater illius,[1] ut ex eo intellexi, epistolam satis iracundam, quod in epistolio quodam ad Te dato infra[2] . . . . . eaque epistola per Te Reverendo Domino *Sedunensi* ostensa . . . . . pater filii, ne si *Franci* maledicentem fovissent, tandem . . . . . vertant, eoque malo se ulciscerentur. Nihil itaque peto, (quam ut iuv)enem apud patrem purges, si poteris; poteris si voles, (qua in re gr)atissimum mihi feceris. Nam ego praeter auditum nihil scio . . . . . ego bene, et te valere plurimum opto; quamquam audio nescio, (quas contentione)s esse Tibi cum monachis, hominibus, a quibus plus quam ab aspidum (veneno caven)dum est. Obesse possunt, prodesse paucis volunt . . . . . inversi . . . . . satius illudi possunt, quam qui cautissime ab illis cavet. Habent ubique (fautores), quibus ex fonte indulgentiarum omnia indulgent, atque plus quam . . . . . Verum nolo tibi consulere, ne in eo quod rerum administratione(m adtinet sus) Minervam docere videatur. Scis quare haec scribo: timeo Tibi . . . . . as, quid agendum, quid cavendum potissimum; sed quod nemo satis ea . . . . . p(r)aepostere religiosos. Quod si quid gravius accidisset Tibi, tanquam (mihi ipsi accidi)sset doliturus sum. Salutat Te *Faber Stapulensis* apud quem (de te non tam) sedulo quam vere praedicavi. Iam vale, et me ut soles ama! (Gratias) ago *Iac. Ammanno* nostro; verum de itinere eius varia afferuntur . . . . . (vehem)enter illi timeam, ne quid, quod nolit, accidat. Tu iuvenem Tibi (maxime commendatum ha)be, optima indole, optimis moribus. Rursus vale! *Lutetiae* 7. Id. Iun. (7. Iun.) 1519.

Literas quae *Glareanam* sunt mittendae procura pro diligentia solita! Quanto celerius atque citius, tanto gratius.

XX.

IOHANNES FABER, VICARIUS CONSTANTIENSIS, ULDRICO ZUINGLIO S. D.

Iam pridem nostrae amicitiae candor effecerat, ut libere quae velles ad me perscriberes; at Tu diffidenter nimium et subtimide amici officio fungeris. Quid istac purgatione opus apud amicum? Fingebant prisci illi amicum, aperto tum corde tum capite, ne uspiam conderetur, quod

---

1) Ludovicus Tschudi, senior, eques, militiae patriae praefectus. 2) Hac in epistola plures evanuere voces, a Simlero partim suis redintegratae coniecturis, quas nos uncinis damus inclusas.

simplicitati ingenuae obstreperet. Nos itidem perfricta iam dudum fronte mutuis certemus literis! Quod meae erga Te benevolentiae gratiam habes, facis peramice, nec ullam aliam mihi gratiam referas! Satis enim rependit qui redamat. Equidem in animo magis quam ullis extrariis indiciis veram arbitror amicitiam consistere. Quid ad fratrem indulgentiarium coelipotentem [1] attinet, meus mihi genius praesagiit hunc eventum: neque enim tam frigidus circa praecordia sanguis obstitit, ut tam portentosas venias a sede apostolica nunquam profectas crederem. Quid aliud eiusmodi veniarum licitatores effrontes agunt, quam ut ecclesia passim vel a Christianis irrideatur? Illam vero S. Pontificis responsionem mirum in modum extollo. Saepe unum Principis verbum multos interemit. Quid haec quatuor Papae nostri verba effecerint, [2] cupio scire. Potest nonnihil urgeri molestarique veritas; succumbere non potest, cum sit fortissima. De amicitia nostra nihil est quod haereas. Auspicato enim coepta durabit aeternum; siquidem coepta virum fortem deseruisse pudet.

Urbanus [3] meus te corpore atque animo salvum cupit. Nolim te *Gallum* cristas immodice erigentem timere, ut qui non ambigam, magnos *Germanorum* animos eo esse robore eaque fide, ut facile perfidos male Christiani conatus sint impedituri. Obnitetur valida *Helvetiorum* manus, nostris nequaquam dormientibus. [4] Vale! *Constantiae*. 7. Iun. 1519.

Inscriptio: Ad venerandum virum D. *Uldricum Zingelium*, Philosophum et Theologum, a saeris concionibus *Turegi*.

XXI.

VALENTINUS SCUDUS ZINGLIO SUO S. D.

Binas post adventum meum *Parrhisios* ad Te dedi literas, *Zingli* doctissime, quibus quicquid erat, quod tuis auribus dignum aestimaremus, Tibi offudi, adeo ut diu dubitaverim si in praesentiarum literas

---

[1]) Indulgentiarum institor *Samson*. [2]) Confoederati tum propter indulgentias venales, tum propter Schinnerum Cardinalem, legationem Romam miserant hunc commendaturi, expostulaturi de illis. Per *Fr. Ioh. Bapt. de Puppio*, S. Iubilaei commissarium, Leo X. ad Bernardinum Samsonem scripsit: „Conquesti sunt Magnifici Domini XIII Cantonum *Elvetiorum* apud Summum Pontificem de tua Paternitate, te in promulgatione Indulgentiarum in quosdam errores, quos longum esset istis inserere, incidisse. Ob quam causam Sua Sanctitas quam plurimum admirata mihi vivae vocis oraculo iniunxit, ut tibi Suo nomine praeciperem, ut voluntati praefatorum Dominorum *Elvetiorum per omnia Te coaptes*, atque si te cum eis usque ad consummationem tuae commissionis manere decreverint, moram trahas; si autem in *Italiam* reverti, nullo pacto eisdem obsistas. Quin voluntas Sanctissimi Domini nostri haec est, ut illis Dominis, Suae Sanctitatis dilectissimis filiis in his, quae ad spiritualem consolationem conducunt, penitus morem geras. Praesentes literas ostendet Vestra Paternitas Magnificis Dominis *Elvetiorum*." — Ex Conventu Ara Coeli 1. Maii 1519. [3]) *Regius*. [4]) Zuinglius id consilii dederat, ut ne immiscerentur electioni Imperatoris mediosque se gerere mallent inter praepotentes.

ad Te daturus essem, non certe scribendi molestia; quanquam id mihi gravissimum videatur onus, tum praecipue quando cum eiusmodi viris, ut tu es, tum doctrina cum auctoritate admirandis mihi literis agendum sit; sed quod verebar, ne auribus tuis molestiam pareret eadem cantilena saepius repetita. At pervicit tandem partim tua humanitas ad talia connivendi etiam promptissima, partim timor, ne pigritiae nota perstringerer, quod scribentibus aliis solus ego cessarim, ut aliquid saltem tumultuarium ad Te scriberem. Nam qui rumores per *Franciam* ferantur, non dubito, quin alii ad Te literis commiserint. Ceterum *Nesenus* non ita multo ante apud *Erasmum* fuit, qui apologias quasdam illius ad nos pertulit, alteram in quendam M. nostrum *Atensem*; contra M. nostrum *Latomum* alteram, quas nisi ad vos dudum allatas credidissem, ad Te mitterem. Proinde tertiam quoque parare idem retulit in quendam Theologum *Anglum*, illicque eum, quicquid virium sit, effundere.[1] Sed haec forte Tibi non nova recenseo. Si quid sit, quod me quoque scire refert, rogo literis certum facias. Vale, et me ut soles ama! Ex *Lutetia* 5. Id. Iun. (9. Iun.) 1519.

XXII.

PETRUS SCUDUS ULDERICO ZUINGLIO UTRIUSQUE LINGUAE DOCTISSIMO, VIRO INTEGERRIMO TIGURI S.

Decreveram prorsus obticescere, multoque quam hactenus parcius scribere, ac plane Timonis illius Lucianici exemplo solitaria pallescere vita, utpote qui non nisi extrema rei familiaris iactura mortalium deprecari consortia edoctus sit. Quod si complures illius aemulos hic orbis aleret, dexterius sane ac felicius res nostrae caderent, neque tot negotiorum procellis iactaremur, quibus in dies magis ac magis involvimur, et quod multo gravissimum, evolvi non licet. Sed haec alias, cum opportunius etiam tempus suppeditabit, per literas commentabimur. Cogit iam nonnihil id quod molestissime animum discruciat, ut vel importune ipsisque Latiis invisis musis scribam, quibuscum iamdudum induciae aguntur: toti enim illis ablegatis in *Homeri* Rhapsodiis ac festivissimis *Luciani* salibus versamur. Proinde literas quasdam ad Te meas integerrimo Antistiti D. *Cardinali Sedunensi* oblatas accepi, in quibus *Francorum* fastum atque adeo Christianissimi istius *Galliarum* regis insolentiam totis scommatum plaustris invectus esse dicor, cuius rei nescio quo perfido ac nimium officioso delatore *Glareani* mei certiores facti sunt. Nec sat erat malevolo isti rem eam miris exacerbatam mendaciis, hoc est, e musca elephantum produxisse, nisi et capitalia prope ob id imminere pericula persuasisset. Illi facile

---

1) Ad *Ioannem Briardum Atensem* pro encomio matrimonii; Apologia reiiciens quorundam suspiciones ac rumores, natos ex dialogo figurato, qui *Iacobo Latomo* S. Theol. Licentiato inscribitur; Apologiae tres ad notationes *Eduardi Lei* (Vid. Hess et Catal. lucubrationum Erasmi.)

inducti, utpote morum ac rerum *Francicarum* inscii, literas indignationum plenas ad nos dederunt, quibus sedulo commonuere atque etiam obtestati sunt, ut circumspectius posthac huiusmodi negotia tractem, planeque ab hoc tragoediarum genere stylum coerceam, nisi vitam ipsam, qua nil suavius, nil divinius Dii immortales homini communicare poterunt, periclitaturus. *Francos* enim id ipsum, ut primum rescierint, haudquaquam inultum passuros timent, qua ex formidine dudum eos per literas exemi: haud enim multo ab iis alienos esse docui, qui coelum ruiturum verentur. Verum utcunque res habet, non mediocres inde curae accesserunt, quas inprimis ipse, iam in literis emeritus, studio obesse nosti. Tuum erit, mi Zinli, parenti negotium pro tuo erga studiosos omnes candore explicare, ipsamque facti famam eo usque productam tua, qua clares, auctoritate lenire. Eo siquidem nomine haud exiguum literato labori subsidium adhibueris, ac tristitiam illius discuties. Reliqui nil superest quod scribam, quam ut Tui erga me similis esse pergas. Vale, *Scudi* Tui memor! Raptim e *Lutetia* d. 16 Iunii 1519.

Petrus Scudus, tuus.

XXIII.

BEATUS RHENANUS ZINGLIO SUO S. D.

Si hic *Lucius*, qui literas has tibi reddidit, satis prudentiae et dexteritatis satis habere videbitur, illi velim autor sit, ut *Lutherianos* libellos, inprimis expositionem Dominicae precationis, pro laicis editam, oppidatim, municipatim, vicatim, imo domesticatim per *Elvetios* circumferat. Quae res proposito nostro mirum in modum conducet, et simul illum iuvabit. Neque video, cur non maximam tibi gratiam sit debiturus, si tua potissimum adhortatione fuerit ex errone factus bibliopola. Porro quanto pluribus notus est, tanto facilius emptores invenerit. Et quis ei, cui fuerat alioqui nummulum donaturus, pro tam eximio libro ursinum [1] dare gravabitur? Sed cavendum erit, ne quicquam aliorum librorum simul venditandum accipiat, praesertim nunc. Nam plus de *Lutherianis* vendet, emptore quasi coacto, cum hos solos habebit, a quibus nihil sit quod illum avocet, ut fit in magna venalium librorum multitudine. Quod si non putatis satis idoneum ad hanc rem *Lucium*, circumspice de alio aliquo, quem deinde literis tuis amicis ubique commendabis et ecclesiasticis et profanis. Interim nacti sumus germanicam *Lutherii* interpretationem in 7 Psalmos, quos vocant, poenitentiales, et sanctam et eruditam. *Aristophanem* cum commentariis aestimat *Andreas Cratander* [2] florenis 5½. Si pretium arridet, scribe, et concinnabitur. Hoc ultimo loco tacere non possum, amicum mihi esse in *Sucvis*, nempe *Ravensburgi*, [3] qui tametsi curio-

1) Sestertium, duo cum dimidio asses. 2) *Andreas Cratander*, unus locupletissimorum typographorum et bibliopolarum Basiliensium, qui praecipue Graecos classicos in lucem edere iisque corrigendis homines doctos conducere solitus erat. 3) *Hummelberg*.

sissimus librorum, multos iampridem editos *Erasmi* libellos nondum viderit, et hoc socordia bibliopolarum. Quia multi libri venderentur, si forent, qui hos circumferrent et emptoribus insinuarent. Unde dolet mihi studiosorum infelicitas, quod cum non desint, qui vilissima quaeque distrahant ac minima, puta aciculas, et hoc genus alia, libraria tamen negotiatio a tam paucis suscipiatur et his plerumque parum ad hanc rem aptis. Saluta nomine meo D. *Casparem Frygium* et *O. Myconium*. Bene vale! *Bas.* festo die τῆς ὑπαντήσεως τῆς Θεοτόκου (2. Iul.) 1519.

XXIV.

SIMON STUMPHUS, BEDICENUS,[1]

M. ULDRICO ZINLIO S. D.

Extat venalis apud *Andr. Cratandrum Aristophanes* cum commentario qui indicatur fl. 5 et 6 assibus. Quod si visum est eum in tuam bibliothecam reponi, rescribito! Praeterea libellos *M. Lutherii* de oratione Dominica fac ubique locorum, tum apud indoctum vulgus, tum apud sacrificos, maxime ruri circumferantur. Nam apud *Tigurinos* Te praecone omnes empturos confido, essetque operae pretium aliquem subornari, qui nihil praeterea aliud tum oppidatim, tum ostiatim circumferret, quo res tam saluti necessaria ubivis gentium innotesceret. Sed quid ego sua sponte currenti addo calcaria? Tu igitur, quod semper facis, perge feliciter in asserendo vero christianismo. Nihil enim, *Lactantio* teste, imo Christo autore, tam praeclarum hominique conveniens potest esse, quam erudire homines ad iustitiam. *Myconio* nostro et D. *Ioh. Steiner* plurimam salutem meo nomine ascribito. Bene vale! Basileae ex aedibus nostris ipso die Visitationis (2. Iul.) 1519.

XXV.

FONTEIO ZINGLIUS S.

Accepimus Testamentum, Plinium, Kalendarium. Pro *Matthiae* collaboratoribus auctarium dabis, quantum Tibi videbitur nos decere. Nam pecuniam mittimus Francica scuta 7, quibus Aristophanem compares; atque si ligatus sit cum isto Hephaestione mittas! Tu vero infra 8 dies cura ut ligetur: nam tunc bibliopola alter descendet, cui vehendum imponas. Ratio *Frobenii*, hominis patris loco nobis cari, ideo credo non errare potest, quod is nimium nobis fidit, minime facturus sat scio, si resciat quam angusta sit nobis res familiaris. Nam ego non scio bene domum habere. Dono mitto pileolum ex nundinis nostris ut vel aliqua aliquid tibi parte gratum faciam. Quod pecuniae residuum fuerit, in illum usum expendito, quem res maxime postulet. Aristo-

1) De quo Vol. I. 529.

phanis Platum averem alicubi haberi latinum. Si hoc modo habes atque haberi potest, fac habeam ego. Vale et omnia boni consule! Salutant te pueri, quos ego maxime vellem apud vos esse *Basileae*, si pestis aliqua pestem strangulasset. [1] Ex *Tiguro* VI. Non. Iul. (2. Iul.) 1519.

Inscriptio: An Meister *Cunrad Brunner zu Basel zum Saessel.*

XXVI.

IACOBUS AMMANNUS D. HULDRCO ZINGLIO

VIRO UTRIUSQUE LINGUAE PERITO, TIGURINAE ECCLESIAE PAROCHO, AMICO SUO UNICE COLENDO S. D.

Quantae autoritatis tuae literae apud *Beatum Rhenanum* fuerint, quibus me illi commendasti, non facile dixerim; libens tamen cottidie experior. Nunquam enim domum eius accedo, quin epigrammata aliquot Graeca mihi enarret, interpretetur aliquid, moneat, doceat. Demum illud vere dicere possum, quod Gnatho ille Terentianus militi assentans dixerat: Nunquam accedo, quin ab eo abeam doctior. Id totum felicitatis Tibi uni debeo, cui e diverso convenit, ut me totum, quantus quantus sum, libens semper debeam. Enitar quoad potero, ut Te istiusmodi commendationis nunquam poeniteat. In hoc plane christianum agnosco animum, qui nullis demeritus beneficiis ultro sese hominum usibus impendat. Ceterum quid aliud nunc scribam, habeo nihil. Istud enim arbitratus sum mei esse officii, ut me huiusce beneficii haud immemorem literis ostenderem. Quantum ad libros cöemendos attinet, istud negotii adeo diligenter curat *Conr. Fonteius*, ut nemini quicquam reliquum faciat. Is nunc de *Aristophane* emendo laborat. Pater noster *Lutheri*, quod sic vocant, Te habere intellexi: alioqui huic nuntio ferendum dedissem. Nihil aliud *Lutheri* extat, quod Te non putem vidisse praeter sermonem quendam succinctum de statu matrimonii Germanice conscriptum. Ubi *Argentinae* excusus fuerit, illico ad vos mittam. Huius modo exemplum apud *Beatum* vidimus. Tu si quid aliud desideras, fac ut sciam. Efficiam libens, quidquid potero, maxime vero si quid soli mihi mandaveris. Vereor enim, ne ab aliis quoque hoc officio inscius praevertar. Pestis nondum plane hic desiit. Maximum ab aquis periculum proximis diebus passi sumus. *Glareanum* nihil mihi hactenus rescripsisse dudum mirabar. Ceterum amicorum quorundam literis edoctus iam mirari desino. Iratum enim esse mihi significarunt. Verum quid causae sit, intra triduum ex amicis, uti spero, sciam. Incredibile est dictu, quam id doleam, mi *Zuingli*, praesertim cum a me nulla, cuius quidem mihi sim conscius, contumelia sit affectus — — — — salutem converti non poterit; feram forti et quo debeo christiano animo. Tibi si quid forte de me scripsisset, fac ne me celes. *Beatum Rhenanum*, virum vere beatum, brevi abiturum [2] dolemus. Quod restat, me Tibi intime commendo. Tu me vicissim

1) Basilea Tigurum anfugerant pestim. 2) Schlettstadium.

Vadiano commenda, ubi ad vos venerit, et istud rude epistolium pro ingenii Tui candore boni consule. Vale felicissime mi *Zuingli* atque me, id quod facis, ama! *Basileae* 16. Cal. Aug. (17. Iul.) 1549.

XXVII.

DOMINO HULDRICO ZUINGLIO

PRAECEPTORI ET GENITORI SUO CARISSIMO HERUS[1] S. D.

Postquam, praeceptor carissime, aedes tuas te non praesente reliqui, [2] uti adiutoribus commisisti, si morbus interim aliquis te absente irrumperet, ut nos paterna limina petere procurarent, iussui morem gesserunt. Sed Tu me invitissime aedes tuas deseruisse scias, in quibus virtutes duntaxat, boni mores bonaeque artes versantur. Merito igitur de peste nunc conqueror, quae ut te linquerem, qui me bonis literis ornasti, compulit. Spero, quando omnia se denuo recte verterint, te mihi non minora beneficia ostensurum, quam ostenderis antea. Is enim sum, qui ex fonte tuo saepenumero cupivi et adhuc cupio haurire liquorem. At ne etiam beneficiorum istorum ingratus videar, quibus me, cum tecum essem, affecisti, pro quibus quoque mihi gratiarum actiones dicere non licet, etiam si mihi sint linguae centum sint oraque centum, Ferrea vox, ut Virgilius ait, aut potius Ciceroniana eloquentia. Ceterum nunc me *Lucarnum* petiturum certum habe ad genitorem, qui nunc in locum *Henrici* subvenit. Rogo igitur ac obtestor ut D. *Georgio* dicas, patrono meo, quo vestimenta mea, quamprimum licuerit, procuret. *Fridolinus Baeldius* se cum frumentis advecturum pollicitus est; velim ideo te ea illi dare. Mecum enim vehere ad *Lucarnum* oportet; nulla mihi vestis est praeter unicam. Et nummos istos, quos mihi mutuo dedisti, ut emerem ea quibus carerem, tibi adveniente genitore omnino reddam, videlicet ad festum S. Verenae. Vale et adiutores salutato, *Casparum*, famulam tuam praesertim, quae, me discedente, caput meum flosculis cinxit. Vale denuo, praeceptor, genitor suavissime! Genitorem te quidem egisse fateor; te, dum vixero, loco genitoris colam. Salutat Te M. *Ioannes*, *Cervinus*, *Taurus*, D. *Bartholomaeus*, D. *Gregorius*, *Oswaldus Elmerus*, *Fridolinus Hirudaeus*, *Conradus Hassus*, *Melchior Galatinus*; [4] at ego Te millies saluto.

---

[1]) De quo I, 246. [2]) Zuinglius hoc anno aquis Fabariensibus valetudinem curavit. [3]) *Henricus Herus*, 1518 praefectus Locarno, obiit, antequam provincia defunctus esset, ac *Bernardus Herus* vices gessit usque 1520. [4]) M. *Iohannes* (*Schindler*), pastor Schwandensis; *Cervinus*, Caplanus Claronae; *Taurus* sive *Taureolus*, verosimiliter alius quis Caplanus ibidem; D. *Bartholomaeus*, de quo non liquet; fortasse Zuinglii patruus Weseni; D. *Gregorius* (Binzli), probabiliter Caplanus adhuc Weseni. Reliqui adolescentes, qui sub *Glareano* Basileae et Lutetiae bonas literas didicerant.

XXVIII.

IUSTUS SCHMID, URANIAE CIVITATI A TABULIS PUBLICIS, VENERANDO, PRAECLARO ET PENDOCTO DOMINO ET MAGISTRO S. SCRIPTURAE, HULDERICO ZUINGLIO, PLEBANO ALTI MONASTERII TIGURI, MEO INPRIMIS GRATIOSO, DILECTO DOMINO

Mea submissus promta studia officiaque defero, summopere docte, celeber, venerande Domine! Gratias ago vobis quam maximas pro multa opera et labore ac diligentia eximia, quam aliquot annis abhinc Basileae in me insumsistis, grata cum mente, si modo queam, hoc vestrae sapientiae rependere spondens. Domine magister sapiens, fidelis, redeo ad fontem, unde mihi recreatio rigavit in aestu pueritiae meae, auxilium consiliumque expetens. Est enim mihi fraterculus octo annorum, quem mihi pater dilectus fidelis reliquit consolandum, moribus non adeo incompositis et ingenio satis felici, ita ut existimem, si non desit cultura, eum in studiis ac literis aliquid profecturum esse; id quod maximae mihi voluptati foret ac supremae beati parentis mei voluntati responderet. Quapropter nullarum impensarum me poenitebit, ac Vestra benignitate omnino confisus responsum per hunc tabellionem expecto, laetam spem animo fovens, Vos hac in re futuros esse communes. Nam prorsus optamus, ut puerum apud Vos teneatis, nisi forte hoc nimium esset; sin hoc minus liceret, ut quo Vestrum consilium prospexerit loco disciplinam et artem discere posset. Hac igitur in causa Vos ita vos praebere velitis, ut prorsus expecto.

Scribebam die Veneris post Laurentii (post 10. Aug.) 1519. Uraniae.

Vester famulus paratissimus, Iustus Schmid,
Uraniae a tabulis publicis.

28.

Jost Schmid, Landschryber zu Uri,

dem eerwürdigen, hochverrümten und wolgeleerten Herrn und Meister der h. Gschrift, M. Ulrich Zwingli, Lütpriester der hohen Stift zu Zürich, minem insunders günstigen lieben Herrn

Min underthänig, bereit, gutwillig dienst, hochgeleerter, berümter, eerwürdiger, wyser Herr. Ich dank üch uf das allerhöchst der grofsen Mü und Arbeit und des ernstlichen Flyfs, vor etlichen Jaren mit mir in Schulen zu Basel gebrucht, mich erbietend in Dankbarkeit das, ob ich kann, umb üwer Wysheit zu beschuldigen. Wyser getrüwer Herr Meister, ich keer zu dem Brunnen, da mir Ergetzlichkeit entsprungen ist in der Hitz miner Kindheit, üch anrufend um Hilf und Rat. Ich hab einen jungen Bruder von acht Jaren; den hat mir min l. getrüwer Vater selig zu letzen [1] gelassen, nit gar eines unzünlichen

[1]) trösten.

Wandels, genug subtil des Hirns, in gstalt mich bedünkt, dafs ob man Flyfs an jn wollt legen, etwas Studierens halben us jm wurd werden; das min höchst Begierd wär, ouch mines genannten l. Vaters selgen letzten Wille gewesen; darum mich kein Kosten wurd beduren. Darum ich von üch, zu dem ich mich aller Lieb versich, by Trager difs Briefs antwurt erwart in guter Hoffnung, Ir werdet üch hierin demütigen.[1] Denn min gänzlich Hoffnung und Will wär, jn by üwerer Person zu halten; wo das nit zu vil geanmutet wär; wo aber das nit syn mocht, dafs doch er nach üwerem Rat versorgt wurde, damit er Zucht und Kunst lernen möcht. Hierin wellend üch bewysen, als ich mich defs zu üch gänzlichen versich. Datum uf Frytag nach Laurentii (nach dem 10. August) 1519 zu Ure.

Uwer williger Diener, Jost Schmid,
Landschryber zu Ure.

XXIX.

IACOBUS AMMANNUS ZUINGLIO.

Ne plura nunc scribam, carissime *Zuingli*, tabellionis festinatio prohibet; id tamen unum Te nescire nolumus, famam hic esse constantissimam eamque, quum *Gallorum* Regis literis olim, tum nuper conductis in id negotium aedibus, confirmatam, Collegium Graecorum adolescentulorum, a Pontifice *Romae* primum institutum, paucis admodum diebus, stante pace, regiis sumtibus *Mediolanum* translatum iri. Huic Academiae princeps praefectus est *Ioh. Lascaris*, Constantinopolitanus, graecae linguae scientissimus.[2] Alia paucula fortasse adhuc erant, quae scriberem, sed ut dixi nuntii festinatione intercludor. Te a me scias amari plurimum idque tuo merito. Verbis meis salutem dices *Conrado Grebelio* et *Bindero*, ludimagistro. Vale et da operam ut valeas. Raptim. *Mediolani* 11. Sept. 1519.

XXX.

IACOBUS NEPOS[3] DOMINO ULDRICO ZUINGLIO

A SACRIS CONCIONIBUS, AMICO SINCERISSIMO S. P. D.

Non est, humanissime Domine! quod me tuis elegantissimis literis, quibus nihil mihi gratius contingere posset, lacessas. Praeter id enim, quod mihi ingenium non est, insuper et otium non habeo. Id solum de me polliceri ausim: si me homuncionem in tuam amicitiam admittas, quod nondum petere ausus fui, praesertim Tibi ignotus (quamquam de tua humanitate nusquam diffiderem), non indiligentem fore, meque pro virili daturum operam, ne cui veterum amicorum in amicitia cedam. Vale et me amare incipe, a me iam dudum amatus! Prela me avocant.

---

1) herablassend erweisen. 2) V. ep. 9. 1517. 3) *Iacobus Nepos* (Näf?) corrector apud Frobenium scholam quoque propriam Basileae aperuerat, in qua praesertim ad Graecas literas instituebat.

Lutherianum opusculum de potestate Papae in manibus est, quod absolutum statim ad Te perferetur. Iterum vale, integerrime Domine. Ex officina *Io. Frobenii*. X. Cal. Oct. 1519.

Iacobus Nepos, Tibi deditissimus.

XXXI.

CONRADUS FONTEIUS ZUINGLIO SUMMO AMICO S.

Plurimum gaudeo, Te inter tot iactus telorum versantem illaesum hactenus atque incolumem evasisse. Nequit tamen solidum hoc esse meum gaudium, cum vita tua, quam in magno discrimine esse video, non desinat me habere sollicitum; quanquam hic quoque adeo non tutum sit degere, ut hoc uno nomine in maiori periculo sis, quod in dies te novo exponas, dum invisis aegrotos. [1] Quod ita boni consulere oportet, ut tamen memineris, etiam Tibi vitae tuae rationem habendam. Et de his hactenus. Quos accepisti libros tuo nomine inscriptos, mandavit *Frobenius* iam profecturus in nundinas Tibi dono mitti. Reliquorum comparandorum onus reiecimus in humeros D. *Ioh. Wattenschue*, bibliopolae. De his quid actum sit, reddemus Te certiorem, quamprimum redierit. De *Luciano*, quem superesse *Capitoni* scribis, nihil modo scribere licet, quod aliquot septimanis non fuerit apud nos; sed ubi redierit, quod speramus brevi futurum, experiar omnem rem. Mei *Amerbachii* [2] Te salutant, item et *Iacobus Nepos*, quo homine nihil vidi humanius aut facilius. Die Iovis post Matthaei 1519.

XXXII.

CONRADUS FONTEIUS SUO ZUINGLIO S. D.

Vide, mi *Zuingli*, quam bonarum literarum studiosis male faverit fortuna, ut quae praeter homines, acerrimos illorum hostes, (si modo homines sint) etiam immittat bella atque adeo pestem, quae si non in vitam, saltem in studia illorum grassentur. His inquam acceptum feras, quod iam secundo frustraris tua spe. Prius enim fama et metu belli, nunc vero pestis, deterriti nemo bibliopolarum *Italicorum*, aut qui *Italicos* libros advexerit, nundinis interfuit. [3] Ego tamen ne omnino nihil expectares, emi *Aristophanis* comoedias hic *Basileae*. De *Luciano* autem, quem *Capitoni* superesse scripseras, tantum abest, ut quicquam speres, ut ipse mihi *Capito* fassus sit, se empturum etiam nimio, si uspiam reperiret venalem; sed cum forte fortuna eiuscemodi

---

1) Sub finem Septembris pestilentia Zuinglium quoque invasit. 2) *Io. Amerbachius*, Rütlinga oriundus, unus de celeberrimis typographis ac bibliopolis Basileae. Tres ei fuerunt filii *Basilius*, *Bonifacius*, *Bruno*, qui patris negotia continuarunt, magni nominis in orbe literario, atque ob studia adeo sua contributi. Singulari autem amicitia Erasmus et Zasius addicti erant huic familiae. (Epist. Zasii. Athenae Rauricae.) 3) Ex eo quod de pestilentia quidem loquitur, sed nihil de correpto Zuinglio, apparet, hanc epistolam mox post XXXI sub finem Sept. scriptam esse.

negotii mentionem facerem apud nostrum *Brunonem Amerbachium*, hic submonuit me, quo Tibi scriberem, uti explorares e Magistro *Leone Iudaeo*, num sit et adhuc apud vos *Tiguri* aut *Heremi* hic, quo usus est Mag. *Io. Liechtenburgius*, qui *Heremi* periit. Quod si extat, fac ut emas.

XXXIII.

HULDRICO ZUINGLIO SUUS ANDREAS ZUINGLIUS [1] S. P. D.

Quonam in statu res tuae sint positae, cupio reddas me certiorem, germane carissime! Nam nescimus qui valeas, cum nihil scripsisti. Dicebas enim, cum abieram, quod Abbas [2] brevi accepturus esset literas a Te; sed video non actum esse. Quid in mora fuerit, me latet. [3] Abbas vero videtur mihi acriter ferre (meo quidem iudicio), quod eum non crebrius viseris tuis literis, atque quod eum praeterivisti cum fueras in *Pfäfers*. Scias etiam pestem apud nos regnare. Obierunt enim iam 7 vel 8. Nos autem adhuc omnes incolumes sumus, quousque Deus vult. *Nicolao* vero germano nostro etiam obiit servus suus; attamen non in aedibus suis. Abbas et germani nostri Te plurimum salvere iusserunt; abbas autem iussit, ut ei scribas quam primum potueris per occupationes tuas. Ego Te oro atque supplico ut habeas me Tibi semper commendatum. Vale ac boni consule. Salutabis mihi adiutores ac totam tuam familiam. [4] Datum die Jovis ante festum S. Galli 1519.

Tuus *Andreas Zuinglius*.

Inscriptio: Ulrich Zwingli, Pfarrer zu Zürich, zum Großen Münster.

XXXIV.

HULDRICO ZUINGLIO SUO ANDREAS ZUINGLIUS S. D. P.

Inspectis tuis literis incredibilis quidam aestus laetitiae pectus meum subiit, germane carissime, in quibus concepi, te in dies magis convalere. [5] Quid enim mihi iucundius auditu tua valetudine? qui tam bene meritus sis de me, ita ut haud possim Tibi *ἴσον ἴσῳ ἐπιφέρειν*. Nihilominus nunquam non paratus ero Tibi inservire pro viribus, manibus pedibusque. Atque vivum non videbit *Andream*, qui videbit oblitum tui. Scribis quoque, ut semper conferam aliqua Graeca Latinis, ne forte abeant in oblivione, quae didicerim haud parvo sudore. Tamen scis, ut opinor, nullos nobiscum habitare, qui pili pendant Graecas literas, [6] excepto ludimagistro, quem tot res distrahunt, ut nihil fuerit

---

[1]) Vid. epist. proxima et VIII. 1520. [2]) *Christianus*, Abbas ad S. Ioannis. (Simml.) [3]) Zuinglius decumbebat peste laborans. [4]) Ostenditur argumento, hanc epistolam e patria, *Wildhaus*, datam esse. [5]) Hinc epistolam ineunte Novembri exaratam esse intelligitur. [6]) Hoc *scholam*, quae Claronae fuit, respicere tantum videtur: nam eo tempore complures ibi reperiebantur,

otii. Adhortaris etiam, ne posthac adeam eiusmodi belluas. Adhortationem tuam non possum non probare, quod me ita germanice adhortatus es, ne plus adeam belluas equinas. Ita certe faciam, et cum meo periculo atque damno sapiam, ut proverbium ait: *Ἀλιενὸς πληγεὶς νόον οἶσει.* De libellis,[1] de quibus scripsisti, habeas manifestum, quod omnes receperim et *Elneri* et meos, deditque ipse mihi ipsi pecunias. Scias, me nunc vere convaluisse, nec non cupio, qua Tu sis valetudine reddas me certiorem. Vale! Ludimagister et *Hirudaeus Elmerius*que Te plurimum salvere iusserunt, nec non *soror nostra.*[2] Vale iterum atque iterum ac aequo animo suscipias oro, atque me semper pone in eorum numero, qui sunt tui amantissimi. Ex *Glareana*[3] Ao. 1519.

Salutabis mihi adiutores et famulam! Fac etiam mihi diligentissime salutes mea causa *Myconium*, praeceptorem meum, atque illum *Luchsingerum*. Tuus *Andreas Zuinglius*.

Inscriptio: Dem Leutprieſter. Zürich zum Großen Münſter.

XXXV.

CASPAR HEDIO,[4] EGREGIA DOCTRINA,

EGREGIIS MORIBUS VIRO HULDRICO ZUINGLIO TURICENSIUM PASTORI APOSTOLICO S. D.

Salve in Christo! Nusquam enim nisi apud Salutem querenda salus. Non sum veritus, ornatissime vir, tametsi *ἀνθρωπίσκος ἐκ τριόδου* meas ad Te dare literas, quando tuus ille candor, tua humanitas omnia solet boni consulere, quae ab amico pectore et sincero proficiscuntur. Cuiusmodi haec mea esse equidem scio et Tu nihil ambigis. Iam diu mihi hoc est in votis, ut inter amicos tuos vel postremo loco numerer. Tu ergo voto meo honesto quidem non graveris annuere. Quod si amicum esse me non pateris, patere ut sim *ἢ σκιὰ φίλε*. Ita me incescavit sermo quidam tuus, elegans ille, doctus, gravis, copiosus, penetrans et evangelicus et plane talis, qui veterum Theologorum referebat *ἐνέργειαν*, quem habebas in locum de paralytico apud Lucam Cap. V. in templo Divae Virginis apud Heremitas ante sesquiannum (luculentum interim

---

qui Basileae et Parisiis Graeca quoque addidicerant, ut *Hirudaeus* et *Elmerus*, a quibus Zuinglium frater salutat.

[1]) Sine dubio Lutherani. [2]) Vid. epist. I. 1513. [3]) Quo verosimiliter a peste profugerat. [4]) *Caspar Hedio*, sub finem seculi XV. Etlingae in marchionatu Badensi natus, *Friburgi Brisgoviae* bonis artibus eruditus et Basileae, ibidem vicarius aliquamdiu praedicaturam ad S. Theodori administravit; deinde ad templum Cathedrale Moguntiacum concionator vocatus est *Capitone* Cancellario. Quum vero severitatem eius non paterentur ibi homines: Argentoratum abiit, ubi cum Capitone et Bucero pro reformatione infatigabilem exercuit laborem. Mitis animo ad historica potius quam theologica studia inclinatus, et omnino practicis magis idoneus quam theoreticis rebus. Quam amicus Zuinglio fuerit, epistolae plures declarant. Obiit 1552. (Wirz, Adami.)

testimonium prō ordinis sive temporis praerogativa) in feriis Pentecostes. Is inquam sermo ita me inflammavit, ut inciperem *Zuinglium* arctissime complecti, suspicere et admirari. Et volebam tum te affari, verum superstitiosa quaedam in me pusillanimitas deterruit. Arbitrabar, id quod est, incivile, si rudibus verbis absolutissimo ori obstreperem. Sicque abequitavi non sine molestia, quam tamen ipse mihi pepereram. Interim te nec vidi nec audivi, nisi quod nominis tui famam indies celebriorem, partim ex literis ad *Capitonem* datis (cui mecum *τὰ πάντα κοινά*), partim ex familiari colloquio amicorum, quos hic habes sincerissimos, agnovi.

Moesti fuimus propter Te, quem letalis illa aegritudo corripuerat. Quis enim non doleat, publicam patriae salutem, tubam Evangelii, magnanimum veritatis buccinatorem languere, intercidere, idque in aetate florentissima, et ut ita dicam herbescente? Anxii fuimus aliquamdiu et dubii de salute tua, qui eras inter incudem et malleum, et ecce *Rodolphus Clivanus*,[1] adolescens elegantissimis moribus et pari eruditione, ceu Deus ex improviso apparens, iubet nos bene sperare. Nemo est hic bonorum virorum, qui Tibi non optet ut valeas. De corpore loquor; non enim ignoramus te animo valere. Quamquam interim respectum age corporis, quo possis diutissime prodesse tuis, studioso cuique ac denique Christo, quem egregie inculcas, non sine magna praemii summa, quae Te manet in coelis. Camarina necdum apud nos desiccata est. Una hebdomade pestis *Brunonem Amerbachium* et suavissimum tuum *Conradum Fonteium*, utrumque mihi carum, extinxit. Video id verum esse quod dicitur: *ὃν τε θεοὶ φιλέουσι, νεαηίσκος τελευτᾷ*. Mirabiliter acres et illustres ingenio *ὀχύμοροι*; telluris inutile pondus diutissime vivit. Sed ita Deo est placitum, et verissimum censeo illud Euripidis: Mortem communiter omnibus aequam a dilecto homine neque Dii depellere possunt. Vale in Christo! Et si mea opera tibi opus, impera! Basileae 1519. Leonhardi. (6. Nov.)

Caspar Hedio, Vicarius apud div. *Theodorum*, *ὁ σός*.

Decrevi in Adventu turbae meae Evangelium Matthaei praedicare. Quare rogo per charitatem Christi ad me scribas, quonam ordine Tu

---

[1]) *Rodolfus Clivanus*, qui postea dicebatur *Collinus* (*am Bühl*), natus 1499 *Gundoldingae* in agro *Lucernate*; primum in scholam *Monasterii* venit: nam Lucernae nihil erat, quod a ludimagistris prorsus inscientibus doceretur. *Xylotectus* (*Zimmermann*) autem ei tradidit Latina, ita ut Virgiliana carmina maximam partem memoriter teneret; hic adolescentulum amplexus paterno amore 1514 Basileam Glareano commendavit. Qui quum Lutetiam proficisceretur: ad Vadianum sese Collinus contulit Viennam; mox autem reversus 1519 Turici fuit; cum *Iacobo Ammanno* Mediolani deinde doctrinae operam dedit. Aliquamdiu scholam monasterii S. Urbani administravit; in haereseos vero suspicionem incidit, quod scripta graeca apud ipsum inventa essent, sacrumque per odium loco pulsus civitatem a Tigurinis facile impetravit novamque artium bonarum cathedram atque etiam alia negotia publica graviora, ex. c. legationem ad Venetos 1529, ei concrediderunt. Par doctrinae modestia in ipso infuit. Vitam, quam miles, restiarius, professor egerat, ipse lepide narravit. (Miscell. Tig. T. I.)

illud exposueris.[1] Necessaria mihi est imitatio, et libenter Te tuaeque farinae viros sequar.

XXXVI.

HIERONYMUS ARTOLBIUS, RHAETUS,[2] ULRICO ZINGLIO, THEOLOGO, BONARUM LITERARUM CANDIDATO S. D.

Heu quantum luctus, fatis *Zinglium* concessisse, importunus ille rumor, suo vehementi impetu divulgavit! At tanto plus rursus gaudiorum, quo vita nobis tua morte carior, quae hercle et carissima est et perpetuo manebit, e diris te mortis faucibus feliciter creptum, negotiator quidam *Tigurinus*, etsi absque literis, gratus tamen ac felix tanti gaudii nuncius nobis attulit. Tuae vero prosperae valetudini, humanissime vir, exacte congratulari modo non licet, quandoquidem Te pari nobiscum teneri dolore *Brunonis Amerbachii*, *Conradi* nostri *Fonteii*, virorum excellentissima eruditione atque doctrina mortem ob immaturam, persuasum facile habemus. Qui postquam uterque triduum laborassent, paulo plus tamen *Conradus* et post *Brunonem* quoque fato functus est. Ne igitur nostram mireris impudentiam, doctissime *Zingli!* qui nullis unquam a Te acceptis literis ad tantum scribere virum non dubitaverim! Facit enim arctissima, quae inter Te atque doctissimos illos fuit viros, amicitia, ut confricata iam fronte omnem plane deterserim pudorem, atque prior hoc denuntians malum Tibi quoque meam proderem insciticm. Tu ergo boni aequique consulito! Vale! Datae 3. Idus Nov. (11. Nov.) 1519.

XXXVII.

ZASIUS[3] ZUINGLIO S. P. D.

Iucundissimae mihi Tuae fuere literae, eximie vir! ut quae argumentum praebeant non solum absolutae Tuae eruditionis; sed etiam

---

1) Zuinglius concionandi munus Tiguri a commentatione Matthaei auspicatus erat. 2) *Hieronymus Artolbius*, quem eundem *Artolphum* vocabant, *Curia* oriundus, sub finem seculi XV literas coluit Basileae inde ab anno 1509 ac medicinae arti se dedidit. Professor extitit rectorque universitatis et 1511 pesti confectus est. 3) *Huldricus Zasius*, *Constantiensis*, nat. 1461 degebat usque ad annum 1491 notarius curiae episcopalis Constantiae; 1491 Friburgi Brisgoviae publicis tabulis oppidi conficiendis admotus; deinde ludimagister factus. Circa 1499, quum tricesimum septimum annum ageret, iura demum cum studiis humanioribus in universitate discere coepit. Post duos annos doctor ac brevi professor iuris utriusque extitit. Lata magnaque eius gloria fuit, per quam inter summos iureconsultos sui aevi censebatur, ac pro tutore doctrinae efflorescentis existimabatur. Reformatoribus quoque Luthero et Zuinglio favebat initio, sic tamen, ut Papa et Hierarchia nihil detrimenti caperet; annis autem ingravescentibus magnorumque motuum conspectu, quos reformatio excitavit, abalienabatur. Cum Erasmo amicitiam colebat usque ad mortem. Numerosa sunt eius scripta generis forensis. Obiit 1535. (Rieggeri vita Zasii.)

cia, nescia loco concedere, quid non perniciei adferat? *Eccium* [1] subvertere pergunt *Witembergenses*, etiam ubi bene sentit, et sese paulo minus confodiunt. Quantae securitatis est humilem esse, non alta sentire, pertinacius non obniti, cedere potius, ubi vincere posses, quam ad victoriam niti cum interitu? Super quem requiescet Spiritus Domini, nisi super humilem et quietum? Utinam sit probus quispiam, qui *Lutherum* commoveat, ne ita excurrat, sed modestiam, quam ubique tantisper laudat, teneat; auro suo scoriam non misceat! Tunc eum Heliam, et si quid amplius sit, nominabimus. Vale, et *Vadiano*, *Frygiis*, [2] *Myconio*, aliisque, si qui sint qui literarum studia pure et erudite sequantur, salutem dicere memineris! *Iohanni Frygio* [3] scribere non potui, viro optimo et mihi amicissimo: luctus enim et moeror, obitu dilectissimae meae uxoris et insuper nepotis mei, infantis virtute et doctrina suspiciendi, me obvertunt, ut vix mihi constem. Defervebit tamen, ut confido, Deo adiuvante, doloris vehementia. Vale, amicorum selecte amice! Ex *Fryburgo*. Idibus Nov. (13. Nov.) 1519.

Tuus *Huldricus Zasius* LL. D. et Ord. *Frib.*

Inscriptio: D. *Huldrico Zuinglio*, Theologiae et meliorum literarum sectatori probatissimo, pastori *Thuricensi*, meo singulari amico.

---

[1]) *Ioannes Meyer*, cognomine *Eccius*, tempore *Zuinglii* et *Vadiani* studiis operam dedit *Viennae*. Ei quoque arridebat lux oriens; scholasticos contemnebat ridebatque legendas sanctorum. (Helv. Museum VI 492.) Post 1516 cum Vadiano epistolas communicavit atque carmen eius editurus erat; necquidquam autem Erasmum adsectabatur, qui aspernans eum nomine *militaris Theologi* vere signabat. (Hess vita Erasmi I. 340 sqq.) Lutheri primum utebatur amicitia, quumque eius positiones iam impugnasset, optabat per *Scheuerlum* Norimbergae, amicum communem, redire in gratiam, nec vero Lutherus recusabat. Sed per ingenium utriusque convenire non licuit. Lutherus de Eccio: „Insignis vereque ingeniosae eruditionis et eruditi ingenii homo, et quod magis urit, antea mihi magna recentique amicitia coniunctus;" at rursus: „Concedo in literis humanis et scholasticis varie et copiose eruditum, sed S. Literarum inanem esse disputatorem." (*Gerdes* hist. Ref. I, 208 et *Seckendorf* hist. Luth.) *Romae* tandem Eccius blanditiis gloriae et pecuniae escis corruptus capitalem reformationis hostem se praestare coepit, unde bullam Lutheri condemnatricem deportavit in Germaniam. Hinc professor Theologiae et cancellarius vicarius universitatis *Ingolstadii*, doctissimus diu reformationis adversarius, postquam primas vehementissimas pugnas cum *Luthero* edidisset, in *Zuinglium* sese convertit acerbissimis cum opprobris, ac disputationis *Badensis* 1526 occasionem creavit, catholicis partibus ignoscentibus, quod Helvetiorum hostis *Romae* gentem convitiatus esset, pro qua iniuria vapulaverat (Zuingli ad Eccium 31. Iul. 1523). Ab Helvetiis reformatoribus contra Germanos rursus conversus contentionibus infinitis consumsit vitam cupiditatibus variis turbulentam. Mortuus est 1543, annos 51 natus. [2]) et [3]) Praepositus *Felix* et civitati a publicis tabulis *Caspar*, *Frygii*. *Ioannes Frygius* fortasse pastor ille Staufbergae, a quo *Samson* veniarum licitator tam fortiter est depulsus.

XXXVIII.

HEDIO EVANGELICO SACERDOTI

ULDRICO ZUINGLIO TIGURENSIUM PASTORI, OBSERVANDISSIMO MEO S. D.

Amas, Tu mi charissime *Zuingli*, πολυφιλίαν, ἀλλὰ τῶν βεβαίων, qui me nihil de Te meritum, sed paulisper mediocribus literis salutantem, tam arctissime complecteris, ut non inter amicos gregarios, quod genus nemo non habet, sed inter praecipuos adoptavisti. Nam in *Brunonis* et *Fonteii* locum videris surrogare, summos certe apud Te, dum viverent, aestimatione. Ego nisi omnes gratiae adversentur, admitar, ut Tibi sincerus amicus sim, illis adsimilis, perpetuus etiam, et amicitia nostra, quae non facultatibus, voluptate ac caducis rebus conciliata est, sed virtute, ἔσται ἀθάνατος καὶ βεβαιωτάτη ἐν Χριστῷ. Quod si non possim, quae illi potuerunt, agnoseo equidem meam tenuitatem, sive ingenium spectes sive fortunas. Officiis tamen animi propensissimi non deero, facturus quicquid amicitiae christianae leges praeceperint. Modo tu me amico et fratre liberaliter et frequenter utere! Habeo Tibi uberes gratias, quod non es gravatus ad me scribere rationem declamandi Evangelii secundum Matthaeum. Ferme iisdem commentariis uterque nostrum utitur. Nec puto aliquid eum latere, qui hosce diligenter evolvat. Origenis ut multa desideramus, ita hoc maxime desiderandum est, ut ea aliquando in manus nostras veniant exemplaria, e quibus emendatissimus emitti possit, liber sic pius, sic primus, ut nullus cum illo committi possit. Videor mihi ingenue hoc posse dici de Origene, quod Afranius de Terentio affirmat, neminem illi similem esse. Assidue privatim et publice precor, ut Dominus Deus spiritum alicuius boni viri excitet, qui Origeni pristinum splendorem restituat. *Bruno Amerbachi* [1], sacrosanctae memoriae praeceptor, mihi semel retulit, quod annotasset in schedula, ubinam locorum graeca exemplaria Origenis haberentur, subinde latina vetustissima. *Erasmus*, ut est omnipotentis ingenii, posset non modo interpretem agere, verum et Paraphrasten, si modo vellet; atque utinam velit olim! [1] *Bulgario* [2] male caremus, qui esset utilissimus Evangelium annuntiaturo. Scripsit, ut ipse nosti, doctissimos Commentarios in IV Evangelia, quibus frequenter utitur *Capito*, quoties illi incumbit declamare. Ego qui semigraeculus sum, hunc intelligere nequeo sine magistro, quandoquidem scriptura est antiquissima, καὶ λαχονικῶς scripta, et quae parum exercitato facillime imponat. Eiusdem Commentarii in Psalmos hic habentur, sub nomine Athanasii, quos *Wolfg. Capito* fortassis hac hieme est restituturus in communem studiosorum utilitatem. Dialogum [3] *Myconii* legi. Placet argumentum, quod scite admodum et venuste tractavit. *Capito*

---

[1]) Hoc re vera fecit *Erasmus*. *Origenes* ultimus fuit scriptorum, quos typis exscribendos curavit duobus voluminibus fol. 1536 apud Frobenium. (Gesn.) [2]) *Theophylactus* Archiepiscopus Bulgariae. [3]) *Philirenum*. Vid. Epp. sqq.

obequitans *Selestadium* tulit secum lecturus in via. Curabimus quando redierit, ut eleganter excudatur. *Officina Frobeniana* ut iam est occupatissima, si imprimere non potuerit, *Andreae Cratandro* committemus.[4] Ceterum quod mandaveras de adeundo R. *Cardinali*[5] et Praeposito tuo,[6] exemtum est cautumque per antistitem *Basiliensem*[7] et Senatores, nequis *Basileae* huius sordidi fratris nugamenta imprimat.[8] Equidem comitatus *Praepositum* accessi. D. *Reverendus* statim visis nobis annuit tuis votis. Amat Te *Cardinalis* et sinceriter amat multis nominibus, in hoc maxime, quod Evangelicus es, quod audes auriculas teneras mordaci radere vero. Nominavit Te in praesentiarum non sine magnifico laudis praeconio. Inquit inter confabulandum: Monachus ille iniquo animo fert, quod concionator noster Doctores Scholasticos *spinas* vocat. Hinc illae tragoediae, hic tumultus. Tu optime vir quieto animo vive nihil veritus impudentem Monachum, vel ut vocas fratrem. Eruditissimi quique *ἐργοδιῶκται* erunt satis strenui. Flagellum paravit, ut vulgo dicitur, quo vapularet. Agnoscent posteri imprudentiam nebulonis huius. Pingetur suis coloribus cruenta bestia. Scio pictorem exquisitissimum. Vale in Domino et *Gasparem*, quantus quantus est, tuum putato. *Basileae* XI. Cal. Dec. (21. Nov.) 1519.

Capito curabit, ne *Argentinensium* prela venenis Monachi inficiantur.

XXXIX.

BILIBALDUS PIRKHEIMERUS[6]

SUMMAE PRAESTANTIAE VIRO HULDRICO ZUINGLIO TUREGORUM CONCIONATORI, AMICO SUO AMANDO S. P.

Fuere mihi literae tuae, *Zuinglie* optime! admodum gratae, non solum quia ex illis te nostri memorem esse videbam; sed etiam quod

---

1) In lucem non prodiit. 2) *Schinnerus*. 3) Frygius. 4) Episcopus Christophorus ab Utenheim, amicus doctrinae, avide lectitabat Lutheri scripta; ac reformationi perrexisset favere, si nullis turbis et salva hierarchia potuisset obtineri. 5) Scriptum Monachi concionibus constabat contra Zuinglii doctrinam ac propugnabat pro simulacris. (Wirz p. 173, 174.) 6) *Wilibaldus Birkheimer*, Patricius Norimbergensis, natus Eichstadii 1470, iura et literas Graecas in Italia perdidicit. Praefectus militiae patriae bello cum Helvetiis interfuit eiusque historiam iudicii praesertim aequitate insignem scripsit. Maximilianus in aulam adscivit; non diu tamen Birkheimerus ibi moratus in patriam rediit, doctrinae studiis vacaturus. (Glutz p. 121.) Pari amicitia cum Erasmo coniunctus ac Luthero frustra quidem conatus est discidium eorum cavere. In controversia sacramentaria tantopere Lutherum sectabatur, ut omnem pristinam amicitiam et existimationem Zuinglii, Oecolampadii aliorumque oblivioni daret modumque affectibus nullum teneret. Sic vir ceterum generosus et ingenio et animo inhonestissimam sui partem prodidit. Qua de causa cum sive suo, *Alberto Dürero*, pictore nobilissimo, contentionem habuit, iratusque ei aliquando: Non, inquit, pingi ista possunt; Dürerus contra: At ista, quae tu adfers, nec dici quidem nec animo concipi possunt. (Hospiniani Hist. sacram. 45, b.) Obiit 1530.

te antea convaluisse, quam aegrotasse perciperem. Igitur, etsi ob adversam tuam indoluerim valetudinem, longe tamen magis ob sanitatem tibi restitutam gaudeo, optoque ut illa sit diuturna et longaeva. Quid enim attinet te virum doctum et rerum humanarum apprime peritum hortari, ut fortiter quicquid Deus iusserit feras? quum propria tua prudentia adversa cuncta tolerare calleas? Potius itaque Deo gratias agamus, qui percutit et sanat, occidit et rursum vivificat, et qui paulo minus tuam a sepulchro reduxit animam: cuius nomen sit benedictum. De Zoilis nostris nulla nobis cura: quid enim aliud agerent, quam quod assidue agere non desinunt? quonam illorum honore, imo utilitate, ipsi viderint. Verti diebus superioribus Luciani fugitivos, quibus Epistolam ad *Neuenaro* comitem adiunxi, quam si legeres, forsitan rideres. Misissem tibi libellum, si ab impressoribus absolutus fuisset. Videbis illum, Deo dante, aliquando cum sex orationibus Gregorii Nazianzeni, quae nunc imprimuntur, a me versis. [1] *Capnia* noster [2] heri ad me literas dedit. Profectus est vir bonus ob patriae suae calamitates *Ingolstadium*, [3] ut et periculum fugeret et invidiam pariter declinaret. Adversarii illi sui libenter ei notam inussissent; sed nihil valet contra innocentiam malitia. *Albertus* [4] non tam meus, sed et tuus te salutat. *Beatus Rhenanus* nihil rescripsit, quamvis illum tua diligentia literas meas accepisse reor. Bene vale mi *Zuingli*, et me ut facis ama, idque pariter a me expecta! Nurenbergae nono Cal. (24. Nov.) 1519.

XL.

MYCONIO SUO ZUINGLIUS SALUTEM.

Meminisse vis, *Myconi*, huius diei, qua divulsi sumus, [5] vel Deo sic volente, ut uterque illic laboret, ubi eius opus est maxime, vel iniquitate fortunae. Ego non modo meminisse volo, sed tui iacturam in

---

1) *Greg. Nazianzeni* libellum de officio episcopi latinum fecit. Eiusdem orationes XXX vertit, a Frobenio et Hervagio excusas Basileae. (Gesn. Bibl. a Frisio aucta.) 2) *Ioannes Capnio* (Reuchlin), natus Pforzheimii 1450, quem Erasmus appellavit Phoenicem Germaniae. Basileae, Parisiis atque in Italia magnos thesauros doctrinae collegit. Wesselius praesertim notitia linguae Hebraicae virum impertiit, cuius studium apud Germanos eius opera emicuit. In consilium aulicum Capnionem adlegerunt principes Wirtembergensis et Palatinus, ac professor est factus Tübingae et Heidelbergae. Omnes lucis amantes societatem eius appetebant; omnes, quorum elementum tenebrae erant, ad invidiam eius et criminationem coniurabant, inprimis monachi. Romae ipsi quaestionem haereseos paraturi erant; verum Erasmi commendatio effecit, ut Leo pontifex et Imperator Capnionem tutarentur. Tenebrionum illorum malitiam *Epistolae* obscurorum virorum flagellarunt. Obiit 1521. 3) Hoc tempore *Huldricus* dux *Wirtembergae* e sua terra exturbatus erat, quam exercitus Suevorum confoederatus occupatam tenebat. Propterea Reuchlinus defugerat. Vix autem unum annum Ingolstadii moratus 1520 Tübingam rediit. 4) *Albertus Dürerus*, nobilis pictor et chalcographus. 5) Quum Myconius ad scholae administrationem Lucernam profectus est.

diem sentire cogor. Nam res meae, te abeunte, non sunt minus accisae, quam si exercitui in procinctu stanti altera alarum abstergatur. Nunc sentio, quid inter clericos, quid inter plebeios *Myconius* meus potuerit, quoties me nesciente Christi negotium et meum sustinuerit, quum iam adeo linguis saeviant aliqui, tamquam velint et possint viribus destitutum *medium* opprimere. Quod verum scire te esse volo: nam is, cuius in aedibus sumus saepius epulis excepti, cuius filius *Pisis* agit fors potius quam studet, [1] pessime de me sensit his diebus, praesente quodam fide digno. Ego hominis levitatem semper veritus sum. Quod *Lucernae* male audio, non te admodum tristabit, si vel illos diversorum a nobis studiorum, vel me rusticiorem, quam qui sciam eiusmodi hominibus placere, consideres; rursus quod non magni facimus eos, qui veritati obstrepunt. Nam si adhuc, ut Paulus inquit, hominibus placerem, Christi servus non essem. Quum, inquam, me sic animatum vides, decet te non magnopere dolere primum; deinde non importunius famam nostram defendere, ne tales tibi reddas osores nostros, quales in nos sunt. Qui me *Cardinali* nimis deditum queruntur, in suspicionem apud me vocantur, ne personati sint amici vel fautores, idque vitio vertant, ad quod, etiam si indecorum esset, amicum erat connivere. Nam malo in eam partem peccare, ut de malo (modo me lateat malum esse) magnifice sentiam, praesertim de nobis bene merito, quam de bono iniquius. Ipse scis, quid ego de homine sentiam. [2]

Dialogus tuus [3] mire placuit *Hedioni*, ut literae eius ad me missae testantur, auguranti, ut par est, non minus placiturum *Capitoni*, quique sit eum prelo subditurus. Scripsit tamen ipse ad te *Hedio*. Frater iste, qui simplices ad idololatriam trahere meditatur, sermones *Basileam* tulit typis everberandos; rem autem ubi rescivit praepositus noster, qui cum Cardinali descenderat, per eundem curavit, ut episcopus *Basileensis* et senatus caverint, necubi in illorum id urbe fieret. [4] *Capito Argentorati* idem cavebit. [5] Mitto ad Te titulum sesquipedalem libri per *Hedionem* scriptum et appendicem in fine appositum, in quo te credo non minus quam nos notari. Vale et me Tuum sinas esse perpetuo tuum. Salvi sint uxor, liberi, *Clivanus*, *Xylotectus!* Nam per amicitiam non licet eum trahere in suspicionem personatorum. *Glareanus* scripsit ad nos. Vale! Ex aedibus nostris ipso die Cunhardi (26. Nov.) 1519.

Theodori textum latinum *Clivanus*, si habet, mittat, ut eo citius collatus tuus non sine fenore ad te redeat!

Inscriptio: *Myconio* suo, viro vere christiano gen Luzern.

---

1) In alumnatu quodam (Pensionnat). 2) et 4) Schinnerus, qui paulo ante scriptum monachi Zuinglio infestum ne vulgaretur prohibuerat eiusque laudem palam praedicaverat. 3) Philirenus, sive περὶ τῶν πολέμων, qui dialogus Hedioni videbatur monachos adeoque episcopos nimis irritaturus; animadvertebat, tempus non ita opportunum esse; ipsum Capitonem ab Erasmo permotum, ut eiusmodi quid conceptum reprimeret; Erasmum vigilare amicisque, quum opus fuerit, signum daturum esse. Hedio ad Myc. post 8. Dec. 5) Vid. Epist. 37.

XLI.

MYCONIO SUO ZUINGLIUS S.

Non habeo, quod summopere te cupiam scire, quam quod spero, pestem brachia remissuram *Tiguri*, quae mihi tamen abiens nonnihil reliquiarum reliquit, memoriam labefactavit, spiritus exhausit, ut inter concionandum quandoque hallucinor, postremo tantum non exanimi similis omnibus ferme membris langueam. At Deus O. M. dabit his quoque finem. Philirinum tuum in Philirenum mutavimus, quod εἰρήνη Graecis dicatur etc. [1] quod proxime fuimus obliti scribere. Insinues te praeterea pastoribus, qui circa vos sunt, doceasque ut sint εἰρηνόφιλοι, pacem ac quietem constanter praedicantes per οἰκοσιτίαν, quatenus populo ad dulcem quietem inclinato lucriones vel lurcones isti non habeant, quos Principibus adducant. Videtur mihi non alia commodius via posse illorum conatibus contra iri, nisi unica hac arte, qua tamen, ut dicitur, uno saltu lepores duo capiuntur, dum illi discunt iras fremere, ferrum in Christianos hebetare; isti, dum nullo sunt principibus usui, coguntur illorum aulas atque studia deserere. Haec scripsi, ne nihil scriberem ad Te carissimum amicum, scripturus forsan plura, quae scilicet Minerva suggesserit, si me, ut dixi, non habita concio, a qua primum sum degressus, isti fecisset ingratum. Vale cum uxore, *Felice Myconio*, [2] *Xylotecto*, aliis. Ex *Tiguro*, die Andreae (30. Nov.) 1519.

Inscriptio: Myconio gen Luzern, dem Schulmeister.

XLII.

IOANNES BRUNNERUS AD ZUINGLIUM IN NICOLAI. [3]

Eius frater M. Conradus [4] Basileae decesserat, cui duo fratrueles Cardinalis de Wallis [5] in disciplinam traditi erant. Iam Zuinglius rogatur, efficiat, ut quod restet minervale, a Cardinali numeretur.

XLIII.

FELIX MYCONIUS D. HULDRICO ZUINGLIO IN UTRAQUE LINGUA DOCTISSIMO, OBSERVANDO SUO PRAECEPTORI S. D.

Nunquam scribis Patri meo, mi amatissime Praeceptor, quin mittas mihi salutem, unde agnosco, quod mei non oblitus sis. Ut et Tu in-

---

1) Zuinglius hinc intelligitur Erasmica pronuntiatione Graeci sermonis usus fuisse; posterius Reuchlinianam Tigurini sectabantur. 2) *Felix Myconius* puer spei bonae plenus, *Oswaldi*, quem probe literatum ad prosequenda studia Bernam misit, *Berchtoldi Halleri* provisioni commendatum. Sed eius mors praematura liberis patrem orbavit. (Kirchhoferi Osw. Myconius.) 3) 6. Dec. 1519. 4) De *Conr. Brunnero* a Wesen vid. epist. 14. 1519. 5) *Caspar Schinnerus*, frater Cardinalis, in historia Vallensium tragice insignis certamine lugubri cum *Georgio de Flue* (*Alt*, Hist. des Suisses VI. 428 sqq.)

telligas, quod etiam Te nunquam ex animo eiiciam, ecce mitto Tibi eius rei argumentum, duos libros papyri, sed ea conditione, ne propter has aliquid remittas. Scio enim tuam humanitatem, quae non sinit, quin rependas, quod penitus nolo. Propterea Te oro, ut priora tua beneficia, quae mihi fecisti, loco remunerationis aestimes, atque me amato. Ego enim Te maxime veneror. Vale salutatus a patre meo et matre plurimum. Ἔρρωσο.

Felix Myconius, discipulus tuus.

XLIV.

GASPARUS HEDIO ULDRICO ZUINGLIO PASTORI TIGURINO, AMICO INCOMPARABILI.

Salve plurimum. Duo videris in Epistola tua sciturire. Principio, ut succedat annuntiatio Evangelii secundum Matthaeum. Audi, mi *Zuingli!* necdum exorsus sum. Quanquam constantissime decreveram pro viribus illud explanasse simplici turbae, evangelicae eruditionis capaci. Sed nescio, quis malus genius impedierit, omnem movens lapidem contra pulcherrimos meos conatus. Nosti ex literis quod vicarium egerim ad D. *Theodori*. Egi et vigilanter in absentia D. *August Lutenwang*, [1] qui Plebanus erat. Vivente illo nemo non putavit me illi successurum. Ipse quoque sic eram persuasus. Ecce moritur. Equidem magnis precibus et praxi, fortassis iis efficaciore, abstinui, volens ceu Aaron quispiam vocari. Hoc male habuit cives *minoris Basileae*, ad quos spectat electio. Eligitur ergo alius quispiam, qui multa pollicitus est se illis facturum, et maiora quam fuerit mearum virium praestare. Inde factum est, ut ego coactus fuerim alio migrare. Accessi *Capitonem* oblectans me cum illo aliquot diebus. Accidit ut Capellania apud D. *Martinum* vacaverit cuiusdam seniculi D. *Marci*. Offertur mihi ultro; accipio, quando quieta est et mediocriter ampla, subinde studiis meis accommoda maxime. Habet enim aedes elegantes circa Collegium et Rhenum. Intelligis iam, ubi sim. Tertius dies est hodie, quo sum in novis aedibus. Omnia alioqui ex animi sententia succedunt. Nondum paravi me lectioni. Adhuc chaos quoddam in domo mea, nullum sedile. Stans haec scribo et tumultuanter sine ordine. Deinde quod quaeris de *Peste*: [2] hactenus male significantiae erat τὸ ὄνομα καὶ σὺ ἐποίησας μέσον. Mala haec pestis, quae miseros mortales miserrime vexat, et bona est pestis *Zinglii*. De hac quid agatur, scribet ad Te brevi *Iac. Nepos*. Ex huius literis intelliges omnem rem. Scripsi *Myconio* de suo Dialogo quid senserit *Capito*. Putat non inconsulto factum, si adhuc aliquamdiu foveret in sinu; se signum daturum, quum tempus erit omnibus nobis defendendi emergentes literas.

---

1) *Augustinus Lütenwang*, *Suevus*, Pastor in Kaufbüren, Canonicus ac Decanus ad S. Petri in Basilea, Licentiatus iuris 1498, Doctor iuris civ. 1500, Pastor in Basilea minore 1510, Decanus facultatis iur. 1514, Rector 1510 et 1517. (Athenae Raur.) 2) Scriptum Zuinglii nondum repertum.

Id quoque *Capitoni* praeceptum ab *Erasmo*, qui statim imploraturus est *συμμαχίαν*. Iam *γρηγόρει*. Pessime volunt Theologi *Lovanienses Erasmo* et *Erasmicis*. Cunctatores oportet nos agere. Datum est omnibus Licentiatis et Bachalaureis, ut inquirant in libros *Erasmi*. Pax semel inita est rursus rupta, et verendum ne pax non sit pax. Si unquam perniciosius tentatum est in veterem eruditionem et christianas literas, dispeream. Armemus pectora nostra! pugnandum erit contra teterrimos hostes, contra miseram turbam *ματαιολόγων*. Factus est Syncretismus multorum, et nos oportet *συγχρητίζειν*. *Fabricius* (*Capito*) scribet post solennia trium Magorum apologiam ad R. *Card. Sedunensem* de cultu Sanctorum, ubi *Caesarius*,[1] ut dignus est, tractabitur. De M. *Conrado* inquisivi. Quid factum rescies ex germano illius.[2] Vale feliciter cum *Erasmo*[3] nostro, quem valere opto. *Bas.* sabbatho post conceptionis (post 8. Dec.) 1519. Salutat Te *Capito*, cuius literas haberes, nisi prohiberent multa negotia. Iussit se Tibi purgem. Declamat quotidie Paulum ad Rom. Cap. 7.

Gasparus Hedio, ὁ σός.

XLV.

IOHANNES FABRI

CARISSIMO AC HUMANISSIMO VIRO, BONARUM ARTIUM MAGISTRO, AC DIVINAE CONCIONIS DECLAMATORI TIGURINO, SUO AMICO EX CORDE DILECTO, UDALRICO ZUINGLIO, Zürch, S. P. D.

Quod e faucibus dirissimae pestis, *Udalrice* optime! tam feliciter ereptus es, maxime gaudeo: tanto enim Te amore etiam sincero amplector, ut nihil durius accipere possem, quam dum Tibi adversa, quae Deus avertat, contingere audirem. E contra vero me nihil tam exhilaratum effieit, quam dum tecum omnia salva ac prospera esse intelligo. Illis adfectibus iuste me duci puto. Nam adeo propense in vinea Domini desudas, ut etiam Te periclitante non mediocrem christianae reipublicae iacturam imminere videam. Novit autem Dominus, quos ad studium vitae melioris flagello aliquantulo adhortari debeat. Itidem Tibi a Patre coelesti contigisse cogites. Reliquum est: in causa *Carolostadii* ac *Lutheri* propediem quid senserim intelliges. Hunc laborem ubi absumpsero, curabo ut et Tu quantocius videas.[4] Interea

---

1) *Io. Caesarius* philologica studia Coloniae alebat; Erasmus epistolarum commercium cum eo habebat; Glareanus annotationibus dialecticam eius instruxit; Bullingerus eius ductu literis operam dedit atque cum eo per epistolas in amicitiae consuetudine permansit longiores in annos (Hotting. H. E. IX. 93). Quomodo hic locus in textu, quem ob oculos habemus, intelligi debeat, non liquet, quum Caesarius amicus, licet non ferventior esset virorum luciferorum, ut ita loquar, ac de alio quo Caesario illius aevi nihil constet. Capitonis scriptum nobis quidem est ignotum. 2) *Io. Brunnerus*, *Bruggensis*. Vid. Ep. 42. 3) Fabritio. 4) Vid. infra epist. Zu. ad Myc. 16. Febr. 1520.

Myconio, viro eleganti, meam amicitiam insinuare non graveris. Cum his bene vale. Ex *Constantia* 16. Cal. Ian. (17. Dec. 1519.)

Tuus *Ioannes Fabri* a Sacris Responsis *Constantiae*.

XLVI.

MYCONIUS D. HULDRICO ZUINGLIO, PAROCHO TIGURINO, THEOLOGO CHRISTIANISSIMO, FRATRI SUO S.

Quotidie expecto literas tuas, quas dum non accipio vivo acerbius. Quamvis nolim tamen Te scribere vel unicam literulam, ni viribus ad eam rem abundes, imo ni velis. Tam nihil expeto, quod voluntati tuae sit adversum. Cur autem eas cupiam adeo vehementer, hoc causae est, quia vexationibus, quibus petor sine intermissione, mederentur. Fac ergo, si poteris, ne diutius sit mihi expectandum. Insuper significes de dialogo, quid velis: prius enim nihil scribam *Hedioni*, quam sciam, quid Tibi potissimum sit cordi. Venit in manus mihi per monachum praedicatorem disputationis *Lutheri* cum *Eckio* epitome; quod si scissem Te non habere, misissem. Est id scriptum a *Luthero* ipso, cui tantam fidem tribuo, ac si ipse praesens omnia audivissem. Spero *Eckium* cum sua *Eckeitate* aliquando corona decoratum iri, quam nuno longo tempore quaesivit. Gloriam adeo adfectavit, quae si pro natura sua ipsum prosequitur, inglorium penitus tandem dimittet. Solet enim fugere eos, qui sese maxime adpetunt. Exiit praeterea in lucem paraenesis Chrysostomi versa a *Capitone*, quae antehac nunquam fuit latina; illam quotidie ab amicis, qui pollicitati sunt, expecto. Sed ut chartula haec impleatur, dicunt, nos duos solos non esse eos, qui Christi religionem queant sustentare; quamobrem nobis esse tacendum, quod parum proficiamus. Tum autem diaboli nostram doctrinam esse, non Dei, quia sit contra consuetudinem omnium christianorum, qui hactenus vicitarint. Illam consuetudinem legem faciunt, quam ob rem piaculum committit, quicunque contra eam vel tantillum protulerit. Satis nunc est. Brevi scribam, quae miraberis, imo in quibus oblectaberis mirum in modum. Tu interim valeas, carissime mi *Huldrice*, et valeas in Christo! Salutant Te mei omnes millies. *Lucernae* V. Cal. Ian. 1520. (28. Dec. 1519.)

Myconius tuus.

XLVII.

MYCONIO SUO LUCERNATI VIRO VERE CHRISTIANO LUCERNAM ZUINGLIUS S.

Scis carissime *Myconi*, quam aegre ad stylum accingar; nec tamen hanc tarditatem silentio nostro patrocinari volumus. Nam organarium vestrum obtestatus eram, ut rediens apud me diverteret, quo esset maior cum eo fabulandi, et ad te scribendi commoditas. At ille vel pacti oblitus, vel decori studiosus (domi enim non fuimus) cum ille rediisset,

alio declinavit. *Καὶ ὅλον*, nunquam mihi tabelliones efferuntur, quam cum tu eos mittis. Ternis autem epistolis si una satisfaciam, non aliud supererit, cuius gratia mecum expostules. Audi igitur! *Ioh. Iacobi (Ammanni)* soror *Regula* peste laboravit, dum ipse interea *Mediolani* constitit, *Stephanum Nigrum* [1] auditurus, egregia doctrina hominem. Haec in epistola ad nos missa tibi indicare iussit et *Clivano*. Quod ad Reliquias attinet, etiam qui eas vehunt (non tamen ex animo nostro) nihil amplius tribuunt, quam ut illa ossa miremur ceu templi columnas, in quo Dei spiritus olim habitarit; vulgus nimium tribuit, quod nemo non malit, aliena quam sua opera salvus fieri. Quod vero imprudentius tibi excidit, Petri latronisque cuiuspiam ossium comparatio, neutiquam adeo male habeat! quod te perinde latronis ossibus ab inauspicatis terreri ac a Petri ad bona moveri respondere poteris. Cautiorem tamen oportet te in diem reddi, ne illorum obiectionibus nimium accendaris: ira enim quantum tibi noceat, ex me ipso conjecto. Quae denique illis abs te responsa scripsisti, placent; velim tamen hoc pertinax hominum genus benevolentia honestoque obsequio potius allici quam animosa oppugnatione trahi. Haec ad primam epistolam ut festinanter, ita minus consulto responsa nobis sunto, quae Tu consulta facies, dum boni consulis. His, quae secunda scripsisti, minus certo respondere possum, quod quum tandem intempesta nocte accingor scribere, illa nusquam comparet, ut suspicer, lectorem mearum epistolarum (scis enim, quis sit, qui me absente audet omnia mea explicare) vel abstulisse vel certe disposuisse. Tamen nisi me fallit augurium, haec inerant, pro syringodo i. e. organario scriberem ad *Constantiensem* a sacris responsis. [2] Feci quod imperasti libens; at quid effecerim, ex neutro accepi, quanquam literas miserit a S. R. [3] Quare admoneto proximis quid cum illo actum sit, ut postbac vel gratiam habeam apud eum, apud quem valuerit mea gratia, vel pro aliis intercedere temperem. Rursus continebat ea, pretium casei *Claronensis* [4] te scire cupere. Hunc tu tibi canonem habeas, ubi pretium exsolvi velim, non taciturum! tuus est, ut auspicato domum tuam ingrediaris, laremque tuum et fumum ego propitiem, ne dum ad te venero, hic oculos incessites, ille tristis torpeat. In tertiis quotidie literas nostras expectas. En tibi eas, quas quidem, at non tam longas fors velles. Parcis tamen nobis, ac una literula satis factum iri spondes. Scias, me nunquam gravaturum esse, etiamsi quotidie sit ad te scribendum, stylo vel ipso adhortante, quod nimirum nullibi excipiantur nostrae epistolae magnificentius, nullibi melius audiant. In eisdem, tertiis dico, consulis, quid facto usus sit tuo Dialogo. Ego volo, te reditum meum a *Basilea* spectare: descendam namque dominica proxima post *τὴν φανίαν τῆς ἁγίας τριάδος*, ac super hac re cum *Capitone, Hedione aliisque* sermonem miscebo. *Pestem*

---

1) *Stephanus Niger, Mediolanensis*, qui aliquot scripsit dialogos et complura opuscula Graeca latine reddidit Basileae typis excusa. (Gesn.) 2) Faber, Vicarius Generalis. 3) Sacris Responsis. 4) Caseus rasilis, viridis, qui probae notae in solis saltibus Claronae antiquitus conficitur.

meam, [1] de qua in secunda credo epistola postulaveras doceri, atque pestem omnem vellem quae in illa continetur emortuam. Scripsit quandoque ad me *Hedio*, scripturum ad me de illa *Nepotem*; nemo scripsit, neque *Nepos*, gener aut vitricus. *Selestadii* fuit apud *Rhenanum*. Hoc vulgo iactari audivi, doctis eam probari, verum mihi timeri, quod sit amarior; at ego voluissem eam quoque dulciorem tum nobis fuisse, cum enecabat: nam quae nobis illic dicuntur pestes, haud minus male nos habent, quam illa, quae nos orco missuram minabatur. Epitomen *Lutherianam* [2] habeo, legi, probavi, speroque fugacem hunc gloriae ventulum sequentem *Eckium* operam ludere. Paraenesin *Chrysostomi* habebis brevi. Quod Antichristorum turpis ille grex tum imprudentiae, tum impudentiae, nos accusat, gratis te oportet audire: iam enim incipimus esse non haeretici, cum illi interim fortiter dirant, ne dicam, mentiantur. Non enim soli sumus: *Tiguri* plus duobus millibus permultorum est rationalium, qui lac iam spirituale sugentes mox solidum cibum perficient, illis misere esurientibus. Quod diaboli doctrinam nostram vocant (quae tamen Christi est, haud nostra) bene habet: in hoc enim Christi doctrinam agnosco, et nos veros eius praecones. Sic Pharisaei Christum aiebant habere daemonium, et se id recte facere asseverabant. Non convenit fatuo huic mundo cum Εὐαγγελίῳ; non possunt tacere daemones praesente Christo; et si quidem obmutescere iubentur, tamen quem possident, discerpunt; tortuosus est serpens, cui sunt cum femina, h. e. ecclesia immaculata Christi sponsa, odia internecina. Tuos interea magis ac magis instrue; ut quandoque 12. annorum pueri Christi ritu legis doctores indoctos esse doceas. Et scribe, quae polliceris ut miremur. Mihi praeterea cum malis pugna est perpetua; non quidem quod moribus meis cum illis non conveniat, sed quod Evangelium et Christum in me persequi illis studium est. Wirrenwerrius tyrannus nova serit; nescio an illa vobis sint vel visa vel audita. Ego paci male timeo et Helvetiae, quanquam spem semper maiorem habeam mutaturas quandoque ordinem res in longe meliorem. Valeo equidem; heri tandem ultimum ceratum de ulcere abieci pestis. Annon haec habebis trium epistolarum loco? habes certe scio: nam legendo solum tibi nunc caput dolet. Nam et mihi dolet intempesta nocte scribenti. Vale et tu in Christo cum coniuge, filio *F. Myconio*, *Xylotecto*, *Clivano*, *Nicolao Solodurino*, [3] in summa cum tuis omnibus. Ex *Tiguro* pridie Kalendas Ianuarii (31. Dec. 1519) 1520. Accepi literas quoque a *Zasio*, quae olim videbis. [4]

---

1) Vid. epist. Hedionis ad Zu. 41. 2) Disputationis Lipsiae habitae cum *Eckio*. Ep. 16. 3) *Nicolaus Hagen* sive *Hager*, qui literis imbuebatur Lucernae a Myconio. 4) Vid. Ep. 37.

MDXX.

I.

ZUINGLIO SUO VALENTINUS SCUDUS S. D. P.

Glareanus noster, *Zuingli* doctissime, literas tuas ad se missas mihi legendas tradidit, quibus lectis vix dici queat, quam animo consternatus sum, cum tantum *Helvetiae* casum legerem, atque adeo per omnes urbes pagosque singulos perniciosam pestem grassari, ac tot hominum millia mortifera lue absorberi audirem: [1] quae vel hoc etiam crudelior, quod nec illis pepercerit, qui toti Helvetiae sua doctrina lumen praebuerint, quorum casum olim lugebit patria, cum pristinae serenitati reddita has stellas, quae lucidissimum iubar toti mundo redolebant, occidisse viderit. Sed quid hos lugeo, cum propinquior luctus me afflixerit! nempe Te in supremo vitae discrimine constitisse cum ab aliis audio, tum literis tuis testaris. Quod si execranda haec contagio Te quoque meum solem, meam fortunam, meam denique salutem indigne absumpsisset, quid nisi luctus, lacrimae et aerumnae mihi reliquae fuissent! Tibi enim quidquid fortunae, quidquid doctrinae si quae est, acceptum referre debeo ac totus meae vitae eventus ex Te pendet. [2] Porro quod Hector olim erat Troianis, qui vivus urbem, moenia et populum solus tutabatur, quo occiso Troiani Graecos ultra sustinere nequibant, id Tu mihi es. Qui si occidisses: navis instar, quae gubernatorem amisit, fortuitis casibus expositus essem. Atqui quum generoso tuo animo in hac lucta superior evaseris, quam Te victum flevissem, tam nunc Tibi victori gratulor, nec tantum Tibi, verum mihi, verum literis, verum studiosis omnibus, quorum hi suum Moecenatem tanquam ab inferis rediisse gaudent, illae acerrimum ipsarum vindicem recepisse lactantur; ego meam salutem, meum praesidium iam amissum recuperasse prae gaudio exulto. Utinam tandem serpentem hanc luem Deus nos misertus e finibus nostris abigat, ac *Helvetiam* sibi reddat, quae a multis iam annis ab omni tyrannide immunis tyrannum nunc omnium immanissimum adepta est, quem non movent blanditiae, non minae, non rhetorum phaleratae orationes, non theologorum graves disputationes, non vitae probitas et castimonia, non infantium vagitus, non veneranda senectus, sed in quemcunque inciderit sine delectu necat, qui totum ferme christianum orbem hoc anno irrepsit et vastavit; nunc vero apud nos vires remisit, quibus tota hac aestate *Parrhisios* oppressit (aiunt enim ultra 30,000 hominum Lutetiae occubuisse), adeo ut omnes, qui eius causa aufugerant, nunc ad urbem redierint. Nam ex tot modo scholasticorum millibus vix 500 paulo ante relicti fuerant. Helvetiorum quoque iuvenes alio alii dilapsi, cum *ego*, *Petrus Ricardus*, *Conradus Grebelius*, quos nosti, cum duobus aliis *Melodunum* (oppidum, id est ad Sequanae ripas supra Lutetiam 20,000 passus) concesseramus.

---

[1]) Descriptionem vide in Hott. Hist. Confoed. I. 11 — 15. [2]) Zuinglius eius praeceptor fuit, advocatus apud suos, atque eiusdem commendatio impetravit Valentino successionem Zuinglii Claronae.

Illic sex actis mensibus tandem ad Cal. Ian. ad urbem rediimus. Quod effecit, ut nullas interim a me literas acceperis, cum nusquam scribendi occasio se obiiceret. Ceterum de matre mea et familia, si quid scias, quamprimum mihi scribas! nihil enim est, quod aeque me suspensum teneat. Timeo enim, ne quid mali ipsis acciderit, quod maxime illic saevisse hoc malum audio. Vale, o et praesidium et dulce decus meum! *Parrhisiis* 4. Non. Ian. (2. Ian.) 1520.

Inscriptio: Viro doctisslmo, summo nostro patrono, *Tiguri Uldrico Zuinglio.*

II.

ZUINGLIUS MYCONIO S.

Cum datur scribo, ut cum non detur, susque deque feras. Hieronymum statueram apud memet Tibi comparare conari; verum nolui Te id rescire, donec omnia essent pacta, ut sicubi non processisset, nihil aut minus movereris. Ego omnia *Basileae* [1] excutiam volumina, ni quid prohibeat, et quodcunque te rescire dignum putavero, indicabo. Nunc contraham undique, ut iustam expleam epistolam. Scripserunt ad me *Zasius* [2] et *Birkheimerus.* [3] Hic etiam occupatus muneribus publicis coactus est per impudentiam nostram scribere, quod scilicet ausi sumus hoc petere; amicissime tamen, ne hoc taceam, scripsit. Ille, ut senex est, continere non potuit, quae essent cum eo inolita. *Lutherum* verbis eius, quem nosti, Heliam nuncupaveram; ille, quod Romanum Pontificem agnoscat quidem, sed esse universalem Pontificem non extare iure divino, iubet tantisper temperare ab Heliae nomine, donec Romanum Pontificem agnoscat universalem, quod quidem nunquam obtinebit. Nam Christus semel pro peccatis nostris mortuus, iam amplius non moritur; quod si non moritur, non nascetur humanitus; neque corporaliter, hoc est visibiliter, habitabit nobiscum, ut novas leges sanciat: alioqui nec Christus fuerit. Dixit enim, novum hoc Testamentum aeternum futurum. Sed vide, quam sumus dediti affectibus! Omnem argumenti vim unica *Leonis* cuiusdam Pontificis decretali firmat, quam *Lutherus* tantum non lacerat. Expectat tamen senex nostrum iudicium. Ego, sicut ad respondendum sum instructissimus, sic senem turbare cunctantissimus, rescribam tamen aliquando. *Erasmus* bi- et trilingue auxit festivissime. Scripsit ad me *Rhenanus* interea bis e *Selestadio*; nunc posteriore loco tui quoque meminit, atque hanc epistolam Tibi signavit. Paraphrasin ad Timotheum *Erasmus* complevit. Iubent Te salvere, quoties Tui mentio incidit, incidit autem crebrius, quam quum *Tiguri* esses — Frygius, *Engelhardus*, *Utingerus*, *Luchsinger*, omnes. Paraenesin mitto promissam. Salvi sint uxor, liberi, *Xylotectus*, Provisor puerorum inde *Clivanus*, *Nicolaus*, omnes tui. Ego Dominica proxima solvam. Comites erunt *Gregorius* [4] ex *Wesen*, *Caspar* olim adiutor meus. Vale!

---

[1]) Quo propediem profecturus erat. [2]) 13. Nov. 1519. [3]) 24. Nov. 1519. [4]) *Bunzli.*

III.

BEATUS RHENANUS ZINLIO SUO.

Apud librariam tabernam me heri stantem invenit *Petrus* hic *Frabenbergius*, et cum de discessu percontarer, perendie se respondit iturum iter; postremo petiit a me, ut se Tibi literis commendarem. Enim vero, mi *Zinli*, videtur mihi *Petrus* dignissimus, cui non solum Abbas ipse,[1] verum omnes vos impensissime faveatis, vel hanc ob rem, quod tanta celeritate istuc non dico profectus est, sed volavit potius, rebus suis hic non finitis, sed abruptis. Noluit enim vos diutius sui desiderio cruciare, qui sciebat, suam praesentiam esse vobis omnibus optatissimam. Spero autem vestrum erga eum amorem in dies magis augendum; tametsi nunc haud dubie maximus est, ubi videlicet hominis mores, quibus optimis praeditus est, plenius cognitos habebitis. De eius doctrina quid attinet multa dicere, cum illius non obscurum specimen nuper apud vos ediderit disserendo, praelegendo, declamandoque? Hoc dico, doctrinam eum habere minime vulgarem. Quam aequat aut pene superat iudicium, quod in eo sum mirum in modum admiratus. Animadverti enim ex colloquiis, quae et modica et pauca cum eo mihi intercesserunt, minime crassum hominis iudicium. Id quod totum *Sletstadio* debet, quod eum satis obesum accepit, nunc dimittit sagacem; praesertim *Sapido*,[2] qui mira libertate veram doctrinam depraedicat in conciliabulis, in conviviis, in foro, in templo. Vis scire, qualis sit Sapidus inter disputandum? Talis omnino est, qualis est *Glareanus*, quantum ad vehementiam dictionis ac *παῤῥησίαν* attinet. Ceterum ingens est discrimen: nam *Sapidus* tantum de seriis sermocinatur; *Glareanus* alienis plerunque nationibus insectandis multum verborum insumit, non memor Paulinae sententiae: Sive Graecus, sive Barbarus, et quae sequuntur. Atque adeo libere non nunquam *Sapidus* loquitur, ut *Wimphelingius*[3] illi inquisitionem aut delationem

---

1) *Eremi.* 2) *Ioannes Sapidus*, oriundus *Schletstadio*, ludimagister ibi et *Argentorati*, inde a 1515 amicus Erasmi vehemens, interdum nimis vehemens, Zuinglium quoque suumque populärem Leonem Iudae dilectos habebat. Ipse ab Eruditis *Schletstadii*, *Argentorati*, *Basileae*, *Fryburgi* magni aestimatus, obiit 1560. 3) *Iacobus Wimphelingius*, item *Schletstadiensis*, natus 1451, postquam visisset vicinas universitates ad Rhenum superiorem, praedicator factus est *Spirae* 1494. Quo munere abdicato docebat Heidelbergae atque inprimis adolescentibus operam dabat fingendis. Hominem sua sponte pauperem, integrum, eruditum vexarunt monachi Augustiniani, quod credere nollet, cuculum eorum ab Augustino gestatum esse. Ad pontificem usque crimen delatum, quem Peutingeri et Spigelii patrocinium commovit, ut litem opprimeret. Reformatio Wimphelingium pessime habebat: quum enim veritatis lucem ad extremum spiritum usque amaret, auctoritas ecclesiae veterumque rituum hominem reprimebat. Tandem in suam sese patriam privatus recepit ac nepotes duos educavit egregios disciplinis. Multa scripsit sermone ligato solutoque paedagogica, conciones sacras, historica quae ad Germaniam attinebant, varia metrica, praesertim epigrammata. Multum tumultum excitavit apud Helvetios

ad inquisitores haereticae pravitatis saepe minetur. Per iuramentum, inquit quod feci in licentiis meis, ego cogor id non silere. Nam non potest Wimphelingius pati, ut quisquam contra ceremonias loquatur. In summa, quantum ad doctrinam attinet, non dubito, quin Petrus omnium vestrum calculos sit emeriturus. Porro retulit mihi Sapidus dixisse hic *Leonem* in convivio, cui non interfui ego, monendum esse *Erasmum*, ut D. Abbatem alicubi in monumentis suis celebret. Videtur mihi non satis intelligere *Leo*, quantus sit *Erasmus;* unum fortasse e nobis putat. Non venit communi decempeda metiendus *Erasmus*, qui humanum fastigium quadantenus est supergressus.

Velim autor sis abbati, ut *Erasmum* aliquo munere provocet: puta poculo 30 aut 40 aureorum, cui sit inscriptum maiusculis literis: „*Erasmo literarum parenti Theobaldus de Geroldseck Abbas etc. dono dedit* 1520" aut simile elogium aliud. Non erit perdita haec pecunia; nec sit tam religiosus aut potius superstitiosus ut propterea virginis iram timeat, si paululum de peculio illius decerpserit. Vult illa bonis bene fieri. Quod si ita inter vos convenerit, ut poculum sit mittendum, consulerem, ut id vas argenteum theca coopertum *Basileam* mitteretur, involvendum novo Cypriani volumine, qui propediem finietur; atque ita per tabellarium abbatis salario conducendum deferri poterit ad *Erasmum*. Fallet autem praedones, quibus circa *Coloniam* omnia sunt plena, sic chartis circumvolutum. Forsan dimidium salarii, quod solvendum erit tabellario, dabit *Frobenius*, tum ut ad eum de rebus suis scribat, tum ut is aliquod referat exemplar ab *Erasmo*. Sed hanc rem Tu melius ordinabis quam ego possim praescribere. Minus mihi dolet, quod vos deserit *Myconius*, postquam illum audivi ludum apud *Lucernates* aperturum. Doluissem maxime, si extra *Helvetiorum* fines se aliquo contulisset. Orationes de decimis, atque item artem inquirendi sparge, quantum potes, contemnens paululum pecuniae, cuius nunquam cupidus apparuisti, ut plurimum prosis bonis literis, maxime vero noceas earundem hostibus. Parce meae loquacitati mi *Zinli*, quam nondum explevi. Sed cogor receptui canere: nam abit *Petrus*. Saluta D. *Conradum Fabrum*, Commendatorem, et *Vadianum* nostrum amicum mihi carissimum, cuius nusquam obliviscar. Bene vale *Zuingli* carissime! *Sletstadii* 4. Id. Ian. (10. Ian.) 1520.

Cupio scire ecquid valeat *Glareanus* noster apud *Parisios* et quando sit rediturus. Salutabis eum nomine meo, cum scribes ad eum proxime. Misit ad me literas amicissimas superiore autumno. Rursus vale!

---

rius soliloquium pro pace Christianorum et pro Helvetiis ut resipiscant; quo libello Germanico studens imperio Helvetios a parte minus honesta depinxit, vere quidem, maiore ex parte. Quod indignati Helvetii adolescentes literati exemplaria Viennae coëmerunt, ne hoc scriptum in vulgus veniret. Glareanus titulo sui exemplaris haec verba inscripsit: „Crescat, vivat, vigeat gloria Helvetiorum." Neque etiam patriae amor convitiis temperavit quae morum censori severo ingererent, ac fortasse isto libello Wimphelingii Glareanus est irritatus ad encomia patriae. Obiit 1528. (Adami epist. ap. Simh. Rieggeri vita Wimph.)

Inscriptio: *Beatus Rhenanus* eximio viro D. *Uldrico Zinlio* amico incomparabili. *Thuregi.*

IV.

GUILELMUS A FALCONIBUS [1] ZUINGLIO.

Recepi literas Tuas, suavissime *Zuingli*, quae mihi quidem charissimae fuere; sed multo charior fuisset desiderata Tui praesentia. Veruntamen, quia hora iam appetit, ut coniungamur, coniunctis postmodum, quicquid desideratum est, spero, cum fenore resarcietur. Proin in praesentibus ero brevior, in multis alias occupatior; unum tamen non praetermittam, eruditissime *Zuingli*, *Guilelmum* Tuum illum esse illumque semper durante vita futurum, de quo Tibi omnia, quae a vero amico sperari possunt, polliceri possis et valeas. Et hoc pro comperto habeas, si ullo unquam tempore mihi aliquid obtigit in votis, unum illud alia omnia longe evicit: quando Te, cuius desiderio animae meae partem vi a corde sentiebam divelli, ab inferis ad superos cognovi revectum. Sed haec coram, ne videar, quod supra accusavi impedimenti, nunc amore impellente, aliquo pacto inficiari. Quod ad *Iohannem Herum:* antequam Tuae mihi consignarentur literae, et salutaram, et omnia mea illi, obviis ut aiunt manibus, obtuleram; nunc autem accedente Tuo probatissimo calculo, qui alias sagacissimus es rerum et cordum perscrutator, nullum est officii genus, quod in eum non velim expendere. De *Paulo* autem nostro *Bombasio* nil aliud dicam, nisi quod proximis ad me ex Urbe suis intellexi, illum genio frui feliciore. Orabis Deum Opt. Max. ut opus continuato, ut dicitur, prosequatur filo, frontemque exporrigat diu hilariorem, quippe qui abs Te venit amandus, quem alias ipse et suspicit et admiratur. Vale et haec nostra tumultuarie et horis ut inquiunt succisivis deprompta lege, et ne videantur a multis, in cineres redige! Ex pago *Claronae* 12. Ian. 1520.

Inscriptio: Viro consummatissimo *Uldrico Zuinglio*, concionatori dignissimo.

V.

DILECTE MAGISTER HULDRICE!

Quoniam Vos in omnibus omnino, quae nostris utilitatibus inserviunt, promtos ac volentes experti sumus, preces rursus fiunt a nobis, fore sperantibus ut impetretur a vobis auxilium et consilium, si prae-

---

[1]) *Guilielmus a Falconibus*, Secretarius Legati *Antonii Pucci*, qui post comitia Claronae 1520, ubi Confoederati corruptelam Ecclesiasticorum a Roma proficiscentem acriter exprobraverant, avocatus a Papa discessit, hunc procuratorem reliquit. Ut Zuinglius cognovit, bullam excommunicatoriam adversus Lutherum excudi, ad eum se contulit oratum, ut Papae dissuaderet Lutheri excommunicationem: Bullam enim et Papam susque deque habitum iri. (Vid. ep. 37.)

hendae, quas in corpus nostrum contributas esse lubebat, sumtibus factis nonnullis, id quod probe nostis, si nunc iam obtineri queant a Legato ad nostros misso Dominos Confoederatos, sic tamen ut haec res futura sit rata et mansura; sin autem minus procederet, nisi grandi pecunia, negotiatio de quatuor praebendis: dummodo duae incorporarentur, nempe S. Agnetis ad Claustra propter *Kalcheren* in episcopatu *Curiensi*, [1] et S. Nicolai *Mogelsbergae* [2] sita, in Constantiensi. Quare transigite rem arbitrio vestro, de quo prorsus confisi sumus; et quid sumtuum existat et quomodo vobiscum agatur, scribite nobis, quam primum licebit; et quum opus erit, mittite proprium nuntium, cuius mercedem et gratiam operae vobis probe reddemus, quantum corpore ac pecunia valebimus. Scitote, vestrum fratrem germanum, me meosque conventuales adhuc salvos et incolumes esse. Nihil ultra praeter votum, ut Vos Deus semper praesente suo numine tueatur. Dat. 14. Ian. 1520.

Christianus, Abbas ad S. Ioannis. [3]

5.

Lieber Meister Urich.

Demnach und wir üch allweg in dem das uns zu nutz dienen möcht, geneigt und gutwillig erfunden hand, ist aber unser Bitt in Hofnung, sölichs von üch gewärt ze syn, das Ir helfind und ratind, ob die Pfrunden, so wir gern incorporirtind, daruf etliche Costungen gelayt, als es üch wol wüssend ist, ob es ietzund erlangt möcht werden von dem Legaten, gesandt zu unsren Herren den Eidgenossen, doch das Kraft möcht han und beständlich syn; und ob es nit gsyn mocht, dann mit grofsem Costung, um all fier Pfronden: wann dann nun die zwo möchtind inglybt werden, namlich S. Agnetis an der Klus zu Kalcheren im Churerbisthum und S. Nikolai zu Mogelsperg im Konstanzerbisthum gelegen. Darum handlend in der Sach, wie üch gut bedunkt ze syn, als wir dann üch wol truwend; und was des kosten wird und wie es umb üch stand, schribend uns, als erst Ir mügent; und ist es not, so schickend ein eigenen Botten in unserm Costen! das wend wir eerlich bezahlen und umb üch verdienen, als fer unser Lyb und Gut langt. Und wüssend, dafs Ewer lyblich Brüder, ich und mine Conventsbrüder noch frisch und gesund sind von der Gnad Gottes. Nit meer, dann Gott der Herr habe üch allweg in sinem göttlichen Schirm! Datum am 14. Ienner 1520.

Christianus, Abbt zu S. Iohann.

---

[1] In *Arlberg anteriore.* [2] Iam 1452 quum Eugenius III. Papa dedicationem monasterii *S. Ioannis antiquioris* in Toggio sanciret, praedia habuit in Mogelsberga. (*Neugart* Episc. Const. Dipl. N. 864.) [3] Hoc monasterium 1555 S. Gallensi contributum in praeposituram abiit. Abbati *Christiano* necessitudinem cum Zuinglio eiusque familia fuisse, praeter hanc epistolam testantur superiores *Iacobi* et *Andreae*, Zuinglii fratrum.

VI.

BUNTZLIUS HULDRICO ZUINGLIO,

PAROCHO TIGURINO, AMICO SUO INTEGERRIMO P. S.

Nuper ubi confluximus,[1] magna mihi oblata voluptas fuit de mire iucunda societate, carissime Uldrice, de tua quoque supellectili ornata, puta literaria, haud minus in sermonibus dulci sale respersis, inter quos avide translationem *Roterodami*, Viri non tam optimi, quam doctissimi, audivi huius ultimi Ioannis: „Si enim volo" etc. ut est antiqua translatio. Intellexi, quid Christus voluerit. Sic iam, carissime *Huldrice*, innuere velis, quid praetendat dictum Matth. XVI v. ult. ubi verba sunt de his stantibus — „quidam qui mortem non gustabunt, donec videant filium hominis venientem in regno suo." Quid velim, optime intelligis. Non sunt mihi bonae literae, quibus tamen aliquantum valeam scripturam intelligere; quare cum Tobia clamo: „Quale mihi gaudium qui in tenebris sedeo, nec lumen videre valeam!" Tua praesentia careo, etsi literis mihi saepius communices, quod verbis minime valeas; calamum autem omnia rescrare impossibile est. Ceterum, mi carissime *Huldrice*, curare velis, ut mei codices *Basileae* empti cum tuis ac *Leonis*[2] vehantur. Digno enim pretio omnia exsolvam. Vale optime et ex me salutabis Cantorem, D. *H. Utingerum*, virum optimum ac ceteros D. fautores. Dic *Cunrado Luchsinger*, me magno affectum taedio, eo quod fuit nobiscum absque scita mei. Iterum vale! Ex aedibus nostris[3] tertia die Febr. 1520, sed ea hora, qua fruetus sum aspectu Rev. *Cardinalis S. Potentianae* Episcopi *Sedunensis*. Nullas a Te literas accepi, quamvis Te scripsisse intellexerim.

(Schedula eadem manu.)

Inquiro diligenter per eum in calce literarum mearum signatum. Videor mihi a fratre suo percepisse; certo non dico. Si personaliter eum habere poteris, diceret singula! Sin, vide ut mediatorem erga eundem habeas *Iac. Nusboumer*, *Wallenstadtensem*, fautorem evangelii ac iustitiae. Persuasum Tibi hoc scribere habeo a dilectissimo fratre nostro *Balth.* cui pandi ut lapidi negotium, in quo ambo solliciti fuimus. Vale.

VII.

FROBENIUS ULDRICO ZUINGLIO

UTRIUSQUE LINGUAE DOCTISSIMO, DOMINO SUO, OMNIUM MORTALIUM CARISSIMO S.

Quam ad me dedisti epistolam, *Zuingli* amicissime, statim sub discessum meum ad Probantinos accepi. Ad quam etsi tempus respon-

---

[1]) Bünzli Tigurum venerat et cum Zuinglio *Basileam* ac retro iter fecerat. Cfr. ep. Zu. ad Myc. 31. Dec. 1519. [2]) *Iudae.* [3]) *Vesenii*, ubi *Gregorius Bünzli* pastor fuit.

dere negabat, tamen praeter ea, quae scire cupiebas, et singularis invitabat amicitia. An est, quod me rideas aut inurbanitatem meam mihi exprobres, quod pro tali humanitate nihil retulerim? Si hoc minus est ex humanitate tractare, uni adesse puero cum voluptate summa ad mediam usque noctem: cuperem sane experiri, quo pacto ii tractarentur, quos cuperes tua honorare humanitate. Ego brevibus dicam: nam copiose vel tempus non admittit. Doleo de mea inscitia, quod agnoscere huiusmodi beneficia non queam, aut si agnoscam manifestare nequeam. Sed heus, quo digredior impudens? an te a meliorum diutius avocabo lectione? Cave putes ficte me promisisse quae scribo de Euripide. Gaudeo quod non miserim, hoc saltem nomine, ut mea contatio tam eruditam extorserit epistolam. Misissem antea, tamen in *Vulcanicum* Bibliopolam distuli, qui et nunc me recessit inscio. Nunc per hunc mea mitto volumina. Cetera curabo ipse *Francofurdiae*. Operam meam, qualis qualis est, totam tibi adscribo. Novarum rerum nihil est, nisi, si hoc ignores, quod *Franciscus de Sickingen* adeo favet *Iohanni Reuchlin*, ut bellum etiam indixerit Monachis. [1] Constantissimus ac certissimus rumor est, *Iohannem Capnionem* brevi ad sua redituram bona. *Franciscus* Provinciali scripsit, qui *Hogostrato* [2] indixit silentium. Brevi audies de monachis iucundissima. *Erasmus* nobis per proprium scripsit nuntium, iuvenem in utraque lingua adeo doctum, ut non habuerimus apud nos illi similem, qui sua incuria literas amisit. *Lovanii* Theologi insaniunt. [3] Dum abiret iuvenis, caput Theologorum, *Atensis*, egit in agone; incertum, an mortuus. Habes hic quaedam opuscula, quae mihi per amicum missa sunt ex *Moguntia*. Horum ego Te facio participem, quod putem a Te antea non esse visa. *Dorpii* orationem [4] mitto nisi habueritis antea, qui a factione theologica summa ob orationem editam affectus contumelia, simulque ex suo electus collegio, ac nunc totus agit Erasmicum. Hanc illi ignominiam ad meliores acutissimum additurum calcar non dubito. Bene vale amicorum amicissime! Prolixitati dabis veniam: nam eo lubentius tantum concedo calamo, ut existimem non iniucunda Tibi ea quae scribo fore. Namque per aliquot menses Te salutare literis non licebit. Quare oportet iis sis contentus, donec redeam. Si voles rescribere, cura ad Patrem meum [5] reddantur literae, qui mihi reddet *Francofordiae*.

---

1) *Franciscus a Sickingen* promiserat *Reuchlino* ea, quam expugnatio Stuttgardii dederat, occasione validum auxilium ac fidem tantopere liberavit, ut non diu post Dominicanos, Papis regibusque formidabiles, unis literis provocatoriis adigeret, sub conditionibus molestis pacem constituere cum vexato Reuchlino ac rependere forenses impensas, quas iudices Spirae ipsis decreverant. (Meiners vita Hutteni p. 155.) 2) *Hogstraten*, famosus Haereticorum indagator. 3) Theologi *Lovanienses* hoc tempore *Lutheri* scripta damnaverant. 4) *Martin Dorpe*, unus quoque Lovaniensium Theologorum, primo modestus quidem adversarius Erasmi; deinde per hunc placide edoctus amicus et cultor perennis. (Hess, vita Erasmi p. 160 sqq.) 5) *Io. Frobenius*, qui iam 1518 libellos Lutheri Basileae iteraverat prelis ac postea Erasmi scripta redemit.

Erroribus dabis veniam: nam tua fruor amicitia, ut ad quidvis audendum me reddat alacrem. Salutabis omnes, quibus mea grata sit futura salutatio. Commendo me totum Tibi. Resalutat Te cum parentibus tota familia. *Hier. Frobenius*, quicquid est, totus tuus ac tuorum. *Nepos* nunc recreandi animi gratia ad dies obambulat. 7. Febr. 1520.

VIII.

ZASIUS EXIMIO ET SPECTATISSIMO VIRO UDALRICO ZUINGLIO S. THEOLOGIAE ET MELIORUM LITERARUM PRIMARIO PROFESSORI etc. AMICO MEO OBSERVANDO.

Literas meas *Udalrice* doctissime, quas superioribus diebus ad te scripsi, aut non accepisti quod nollem, aut acceptis indignaris quod abominor. Nihil enim respondes. Indignari autem te vereor eo nomine, quod non omnia *Lutheri* mihi placent. At indignari cessabis, si non omnia ad affectionis, sed ad veritatis libram expenderis. Perpetuus est in viris doctis nescio an naevus, quod, si quibus student, plus nimio favere videntur. Ego *Lutherum* ex animo admiror et suspicio, a quo didici omnia bona accepta referri Deo, tanquam uni effectori. Blandiebatur antehac, si quid decoctius ab me exisset. Si plusculum fuit devotiunculae, si bono aliquo opere, si beneficio, si consilio alium demerebar, coeperat spes, qua me iure velut aliquo beatas sedes meruisse putabam; fastidiebam si quos frigidius niti ad potiora existimarem. Eius, quam ceperam, speculae impostura securitatem mentiebatur, et pro vivo germanoque foetu abortivum supposuit. Isto exemptus errore Lutheri felicissimis praeceptis nihil me aliud quam instrumentum puto, per quod bonum opus Deus in me faciat, cuius nihil meum sit nisi labor. Felicem *Zasium*, qui in aetate iam confecta haec didicerim! Quis edicet, quantum fructus ea ex doctrina erumpat? Primum, disco nil altum sapere, sed semper timere, ne forte Salvator noster, qui superbis resistit, in boni operis fabrica me ut instrumento uti desinat; deinde et humilitatem disco, sciens quam nihil meum sit, quod usquam praeclarum sit, cum omne datum optimum, mea autem tantum modo sint scelera, iniquitates, linguae offendiculum; ut sic ulcerosius beato Iob mentis meae sit habitaculum, nisi Deus subveniat. Haec qui credit, qui cogitat, quomodo non sese prorsus contemnat? a sese discedere cupiat ad solumque Deum, cui omnia bona tribuat, confugerit; in ore, in labris, in corde hoc semper circumferat: Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam! Porro et tertio, quas non egero gratias Deo, qui me sola sua benignitate delegit, quo ut instrumento ad boni operis fabricam uteretur? Et item quarto, quomodo non compassurus sim proximo, si quem forte luxuria, fastu, superbia, perfidia aberrare videro? condolens voluntati depravatae, quae instrumentum boni operis esse non meruit. Hinc sedulitas orandi pro proximo, affectio eius aerumnis compatiendi propullulat; hinc in nobis cautio evi-

gilat, ne nostra pessima voluntate abutentes instrumentum pulcherrimi fabricatoris corrumpamus. Hi sunt fructus (ut interim multos alios taceam quos nec epistolare compendium recipit), hi proventus Lutherianae doctrinae. Quid ergo? num omnia sua, in quibus forte ut homo labitur, probare debeo? Hieronymum ita lego, ut non omnia probem, imo nonnulla detester; in quibus plus nimio incalescit, alios confutaturus. Denique, nisi necessitas inevitata magnum illum Paulum, alteram fidei columnam, ursisset, ut ad Corinthios tantopere se laudaret, gloriareturque, Evangelium suum cum Apostolis contulisse, nihil autem ab eis accepisse, etc. nisi inquam, rerum conditione coactus hoc fecisset: parum mihi ea arrogatio probaretur. Sed piaculum esto, quisquis de electionis vase sinistre sentiat! *Martinus Lutherus* Pontificum decreta frigidissima vocat. Quod si ita est, iam totum ius Canonicum frigidissimis nititur scitis. Non enim ulla reddetur variandi ratio, cur hoc decretum frigidum sit, aliud non sit: omnia enim decreta pariter, omnia parium authoritate Pontificum decreta. Haec quis aequo audiat animo: attentare, adfricare et paulo minus subvertere velle iuris Canonici maiestatem? Iam et nulla iusta ratione movetur, si per omnia sua eo loci discurras, quo super Ecclesiastica potestate scripsit. Rationes enim quibus movetur non sunt confutatu difficiles, quas et confutare velle saepe consilium capio, nisi me vehemens in bonum virum amor revocaret. Vereorque, ne sub praetextu, sub umbra boni propositi, temeraria licentiosaque irreperet verbositas, quae Deo non probaretur. Omnes, quiqui vivimus, miseri sumus et miserabiles, ulceribus pleni, eo solo felices, dum cognoscimus nos esse infelices. At et id ipsum donum Dei est. Quid ergo nos, nisi iniquitatis massa, semivivi, vulnerati a latronibus Hierichuntis? Sed quorsum haec? nempe, ut Tu vir humanissime, quem fausto eventu amicum nactus sum, non facile contra me movereris, aut me vel inconstantiae, vel certe frigidi in *Lutherum* amoris insimulares; quando nihil est mihi *Luthero* probatius, nisi quod ex Epicteti sententia, cum hominem probo, probo ut hominem; cum ollam adamo, adamo ut ollam. Hoc si literatorum corona faceret, imaginem personatam tolleret: iam minus esset et certaminis et opinionis. Siquidem veritatem nullius iurati in verba Magistri impune sequeremur, confutarique ac convelli (dum pene laberentur pedes nostri) tam non aegre ferremus, ut etiam castigatori gratificaremur. Sed quis est hic, et laudabimus eum? *Budaeus*, dum eum lucubratiunculis meis in originem iuris ad finem in Antinomiis suis confutassem, eique vicissim contra nitendi non esset locus: mordere perrexit. Nam sub umbra mentitae laudis, ductu obliquo et figurato in suae Epistolae ad me datae initio, os sublinere et velut ludere conatur. Deinde in calce apertis agit convitiis. Cui ut non amice responderem, sed pro Germana integritate veteres avias de pulmone refellerem: honoris asserendi necessitas compulit. Ita dum certamus homines nugivendi, aliquando maxima de nihilo nascitur historia. Vale, et quos tua sodalitas fovet literatos viros, fac salutes, inprimis *Iohannem* et *Casparem Frygios* omnibus charitatis verbis adobrue, ex iisque virum optimum et eruditissimum, *Iohannem*, quod ei non scribo, lenito! Tot enim mihi sunt

et consulendi et scribendi negotia, ut vix modica haec sim temporis suffuratus. Multos nostra provincia Lutheranos fovet; Theologos etiam, et inprimis *Iacobum*, parochum paganum, virum, si quisquam est, sincerum et recti propositi, doctumque, cum quo, quando nimis lutherassit, saepe ad amicitiae modum discepto. Vale amice selectissime. Ex *Fryburgo* XV. Kal. Martii (16. Febr.) anno Domini XX. Tuus ex animo *Udalricus Zasius*, J. U. Doctor et ordin. *Fryburgensis*.

IX.

MYCONIUS ZUINGLIO S.

Accepi literas tuas, amicissime *Zuingli*, quibus mihi ita satis fecisti, ut nihil amplius haeream penitus. [1] Ago itaque Tibi gratias, quas debeo maximas: nunquam enim officium non praestas cumulatissime, quotiescunque requiro et aliquoties dum non postulo. Hieronymum vix expecto: videor enim mihi, dum ipsum habebo, nullas omnino calumnias ulterius formidaturus, ad quas nunc saepe exhorreo primo adspectu. Inprimis autem haberem opus ad id, quod molior, commentarium, inquam, in Iuvencum; insuper autem et aliis, puta Augustino et Hilario et Origene et Iosepho. Chrysostomum ad manum habeo et Ambrosium et Cyrillum. Illos quomodo acquiram penitus ignoro, nisi agamus hoc pacto, ut dictos autores Tu isthic a *Gasparo Mantz* commodato accipias, et ex Bibliotheca *Tigurina*, si qui illic habentur, tum postquam significasses Te habere. Mitterem qui huc ferret, et postquam usus essem satis, remitterem. Origenis altera pars tantum opus foret, Novi scilicet Testamenti, Augustini pariter. Cyprianum ex *Basilea* expecto. Tu quomodo sit hic faciendum deliberato. Misi praeterea nuntium *Basileam*, qui mihi referat dialogum, [2] egique gratias *Nepoti* et aliis quod effecerint, ne nugae meae fierent mundo cognitae; inprimis autem quod me meae conditionis (quantum ad ingenium attinet) hoc pacto admonuerint; et ex pectore omnia haec. Quod si verum dicere licet, videtur mihi alia causa subesse, quam cuiusmodi illi praetendunt; et quo magis id suspicor, eo gratius mihi est, quod noluerunt hunc imprimi. Quid enim est vel adeo durum, vel acre, vel occultum, vel manifestum, quo non durius, acrius, manifestius sit in lucem publico autorum nomine proditum? Aspice hoc totum, quod scripsit *Erasmus* noster, quod *Lutherus*, quod *Huttenus*, quod *Valla*, quod alii innumeri, his doctrina non comparandi. Et tamen in luce sunt impune. Sed abeant! Per deos iuro Tibi rem mihi gratissimam factam. Rationem *Nepoti* scripsi. — Porro venit ad me is, qui Tibi quaestionum acervum proposuit tantum. Placet mihi totus. [3] Si quid possem in rem eius, facerem lubens cum propter ipsum, tum quia Tu ita vis. Quod iussisti, ne amplius Te orem, ut me ames, cum gaudio efficiam, et tanto, quanto hoc tempore nihil aliud facere possum. Vale et vale semper, mi caris-

---

1) Zuingl. ad Myc. 31. Dec. 1519. N. 47. 2) Philirenum. 3) *Balthasar Trachsel*, Parochus in Art. Vid. ep. 11.

sime *Zuingli*. Salutant Te uxor et *Felix* et *Bartholomaeus Ammannus* et *Ioachimus Zinkius*. *Lucernae* 16. Febr. 1520.

Myconius tuus.

X.

ZUINGLIUS MYCONIO S.

Iuste quereris, optime *Myconi*, quod votis tuis non satis fecerim, tantam farraginem ad Te scribens: nam et Hercules aliquis possit tandem fastidio dictionis tam illepidae, inventionis adeo frigidae, apicum interim tam deformium, capi. Tua tamen humanitas discere compulsa est per rusticitatem nostram nostra boni consulere. Rusticitatem recte dixi, mihi optime conscius, et quod non aliter intellexi literas tuas, quam quod longiorem tractatum posceres, et non intellexi, Te ad me tanquam ad iudicem appellare. Hoc uno tamen urbanus sum, quod etsi constitutum iudicem intellexissem, arbitrium omnino refutarim. Quod itaque duobus verbis explicari cupis, nullis penitus potero explicare, si explicatum non est. Quid contenderis haud constat (verbotim dico). Hoc unum constat, mala partim a nobis esse, partim a Deo satis dixisse et a nobis bella: nam si pacis artibus eam operam impenderemus, quam serendis discordiis, res nostrae melius haberent. A Deo fames, pestis, sed ita a Deo, ut non infligantur mortalibus nisi commeritis. Tu igitur viceris necne, haud tua refert; noli victorem Te cupere decerni: nam hoc illud est, ex quo lis litem (ut dicitur) serit. Hoc item non ignores, me ad hoc discrimen acrumnarum prius nunquam venisse: bella enim oportet omnino agnoscere a nobis esse, tanquam a causa proxima; famem, pestem, minime; a nobis tamen et ista sunt, tanquam a vera principalique causa, sed non tali, quae perinde atque bellum possit pestem aut famem ingerere. Omnes itaque acrumnae nobis videntur ab hominibus esse, tali tamen, quod diximus, discrimine. Tu igitur nunc Tibi illud: Io triumphe, canas, aut Te deiicias, ut libet. Ego ad epistolam tuam nuperrimam non recurri. Cupio igitur in his vicissim per Te recte sentire, quibus offenderis. Temere omnia effudimus. Non sunt oracula. Per me liberum Tibi est dissentire atque ea lege cupio, ut nisi ea indices, non sis posthac habiturus ex me occasionem recte sentiendi. Quaestiones nullas nunc memini propositas; memini tamen, me percontatum esse adolescentem, numquid sciat tibi literas nostras redditas. Respondit, vidisse, te paginas multas in templo legisse; tum ego adieci, excusare volens longitudinem, tecum mihi illic agi de quaestione quadam. Dixit tamen *Vicarius Constantiensis* (qui his diebus apud nos fuit) missurum ad nos quaedam contra *Lutherum* et *Carolostadium*, quae censeam. Ego excussi iugum omnino ut sperem nihil missurum. [1] *Praepositus* item noster virus quoddam effudit,

---

[1]) Vix hoc scriptum iam conceptum erat eum in modum, ut postea Romae 1522 in lucem prodiit, ab ipso Fabro descriptum Ambrosio Blaurero Constantiensi. Vid. Hott. H. Eccl. VI. 226. sqq. et ep. Ambr. Blaureri ad Zu. 27. Iul. 1523.

atque ut memorabile esset, literis mandavit. Literae ad me sunt scriptae, quibus ille decimas iure divino constare dixit, contra quam ego publice, latine tamen, non germanice, dixeram. Item docet me, quomodo veritas non sit semper dicenda, nimirum contra sacerdotes nihil male dicendum putans. Agit inde de foro ac ne laicis arma adversus clerum ministrem. Et bellus homuncio omnia ista per modum, ut inquit, ammonitionis scribit. Ego vero hominem ipse conveni, postquam non potuit, per *Utingerum* etiam commonitus, quiescere, rem atque stomachum omnem explicui, precatus ne eiusmodi posthac committat, ut ea literis mandet, quae possit ore ad os loqui, quaeque adeo sint frigida, (per canones enim pleraque egerat et S. literas ita tortas, ut autores eas non agnovissent) ut ad partem suam me trahere nequeant. [1] — Hieronymus recte curabitur. Vale et omnia boni consule. — Nihil Te terreat, quominus, quae sentias, scribas. Ex *Tiguro*, 16. Febr. 1520.

XI.

MYCONIUS ZUINGLIO

EVANGELISTAE TIGURINO AMICISSIMO SUO S.

Nequeo satis exprimere, mi charissime *Zingli*, quam horae, ne dicam dies mihi sint molestae, dum Hieronymum expecto: tanto desiderio in eum adficior. Intelligo namque in dies magis magisque, quantopere eo mihi sit opus. Interim enim, dum sacris legendis incumbo, mirum est, quam pene ubique impingam; tum nemo est, qui emplastro mihi medeatur. Non est ad manum, quem, ut Te saepe solitus sum, consultem. Nec libri vel mei vel aliorum suppetunt. Sed ecce, dum haec scribo et animus longe ad alia respicit, de improviso redduntur literae tuae, quibus perlectis intelligo nescio qualem stomachum tuum. [2] Ah quam mirabar, quam perturbabar! Sed postquam rem inspicio diligentius, video unde is sit, nempe a tabellariis. Accipe igitur rationem omnem. Scripseras ad me super his, quae petieram, per quendam Scholasticorum meorum, et nihil in eis literis notaras, quae volebam, praeter duo loca, alterum ex Levit. XXVI, alterum super Cap. VII. Eccles. Hieronymi. Nec ibi adfirmaveras mea, neque reieceras, quod tamen inprimis volueram. Illud mirabar, quapropter scripseram mihi nondum satisfactum. Longissime post redditae sunt literae illae et doctae et prolixae cum libello *de Donatione Constantini*, [3] quibus adeo satisfactum scripsi per *Grebelium* senatorem mihi, ut nihil amplius desiderem; insuper autem, si bene memini, et gratias egi, quia tantos labores pro me susceperis; dein datum literarum inspexi diligentius, et inveni posterius redditas multo prius scriptas, et contra prius redditas scriptas longe posterius. Nam in brevioribus sic erat: 8va die Febr.,

---

1) Conferatur etiam Epitome e scripto Canonicorum quorundam ita inscripto: articuli frivole dicti a Plebano *Thuregi*, de quibus avisari debet, inbentibus Canonicorum nonnullis, apud Wirz N. Helv. H. Eccl. I. 176 sqq. 2) Zw. ad Myc. 16. Febr. ep. X. 3) Laur. Vallae.

in longioribus 4. Cal. Febr. Ecce quam Tibi id imposuerit! sed audi quomodo exceperim illas postremas scriptas 16 die Febr. redditas 27 eius mensis. Porrexerat eas *Ioachimus Zinkius*. Visa autem manu tua mox dixeram: salvus sit meus *Huldricus*. Id quod soleo, quotiescunque vel ego de Te vel alius quispiam dixerit; at postquam aliquantum legendo progressus sum, invenio quod me ita adficit, ut non possim amplius legere. Perturbatus sedi ad coenam usque, remque pensitavi, dum inveneram, quae haec esset. Revixi per Deum, tum autem legi ad finem usque et rem omnem magis magisque cognovi. Verum quid putas interim volutaverim, antequam viderem, quid vellet tuus stomachus, cum Tu unus totus sis mihi sis mundus, ut breviter dicam. Absit, ut diem illum videam, quo dissentiam a Te; crede mihi! facilius morerer. Quamvis dicas, verba tuane pro oraculis habeam? Imo nihil aliud mihi sunt aut erunt, cum certo sciam, nihil Te dicere, cuius fundamentum oracula illa divina non sint. Seduxit Te, quod datum non aspexisti. Id igitur ne posthac fiat, considera diligentius. Nunc primum intelligo, imo sentio, quid ea res conferat. Testis autem est tristitiae meae Parochus ex *Art*,[1] qui superioribus mensibus apud Te fuit *Tiguri*, interrogans de quibus dubitarat. Interrogationes autem eae quaestiones sunt, de quibus mihi dictum erat, uti ex illo accepi. Rogat et me diligentissime et frequentissime. Respondeo quod possum; quod non possum taceo, vel suspendo, donec ad libros veniam vel ad Te possim scribere. Postremum fuit, quid sentirem de eo, quod dicunt: si post confessionem facinus aliquod in mentem venerit non confessum, redeundum esse ad Sacerdotem, et id quotiescunque ita eveniat. Dixi, nihil me posse certo definire, videri tamen nihil opus esse, quod prius confessa et oblita per absolutionem peccata forent deleta, (etsi in memoriam venisset crimen oblitum; dixissem,) praesertim cum forte graviora essem confessus. Attamen si quis rediret ad Sacerdotem, forsitan non peccare. Ita dubium et me et ipsum dimisi. Ipse autem dubito pene, hoc est, quia Canonibus id adeo expressum est, de interrogationibus in Confessione. Videtur enim mihi hanc non esse veram confessionem, cum peccata sic extorquenda sunt. Si dabitur per otium, unum verbum de his reddas. Insuper locus est apud Solom. cap. XVIII. „Contradictiones comprimit sors etc." quem non admodum bene capio. Facies rem gratissimam, si expones. — Porro quae scribis de *Vicario* et altero bufone[2] sic grata sunt, ut debent. Gaudeo enim, quod ea noluisti ut nescirem. Denique ne erres amplius,

---

1) Balth. Trachsel (vid. ep. 9) subscripsit supplicationi de coniugio sacerdotum ad episcopum. Huius temeritas reformationis causae circum illum magnopere offecit. Concionabatur de iusto usu coniugii sacerdotalis; ancillam suam uxorem duxit anno iam 1521, unde tumultus est ortus, praetexuitque apud *Myconium* ipsi Zuinglium huius facti autorem fuisse, quod quidem vero simile non videtur. Quum de suggestu complura incautius fudisset, in vitae periculum incidit, ac parochatu decedere circa 1523. coactus est. (Wirz, I, 467 sqq.) 2) Vid. supra epistola proxima de *Fabro* et Praeposito *Frygio*.

ut modo, per Deos Te oro. Non enim fieri potest, ut *Myconius* saltem cogitet, quae Te in eum vel pauculum possint concitare; taceo, ut scribat. Vale semper, mi carissime *Zuingli*. Salutat Te uxor, filius, *Ioachimus*, *Ammannus*, *Clivanus* (qui his diebus ad alterum *Ammannum* ibit *Mediolanum*), et ceteri omnes. [1] Vale iterum. 27. Febr. 1520.

Myconius tuissimus.

XII.

PHILIPPUS ENGENTINUS [2] ULDRICO ZUINGLIO, TAM GRAECE QUAM LATINE IUXTA ERUDITO S. D.

Praeterita aestate cum in Thermis *Pfefers* casu Te invenissem, non potui non animo gaudere: nam in magna felicitatis parte ducebam, me ad tantum appulisse virum, qui ob mansuetiores Musas recte se omnibus amicum praeberet. Illic tum comitatem tuam e sinu uberrimo profluentem non iniucunde sum expertus: nempe quaecunque pleno apparatu struebas, ex gratiarum penu depromi videbantur. Succensebam nonnihil meae impatientiae, quam exulcerato corpore vix celare potui. Ita fieri potuit, ut insuavis abs Te convictor existimarer. At longe septies aliter, si nunc tranquillum studiorum adsertorem ad Simonidis mensam vel semel conspiceres: nam pulchre mihi consto, cum recte valeo. Neque prorsus ita Stoicam illam apathiam promoveo, ut nullis cruciatibus deiiciar. Ascendat sapiens ille in Phalaridis taurum, et magnifice de contemnendis doloribus in publica concione proloquatur! mihi non erit integrum exuere hominem et velut insensatus quoslibet ictus perferre. Quanquam soleam nonnunquam in communi nostra schola superciliosa illa effutire, perinde ut monachi solent, qui apud imperitam multitudinem in vitia debacchantur magnis quidem lateribus; intra privatos parietes quam longissime contra faciunt, delicianturque non instrenue. Sed de his satis. Posteaquam e Thermis solvissem in *Rhaetiam*, atque illinc in *Montaponam*, [3] accepi Te pestilentia occubuisse, quae res ita meum angebat animum, ut iam Apollini me adversarium constituerem, quod suis non parceret. At felicius nuntium *Constantia* adtulit, ictum quidem Te, sed probe ab Aesculapio curatum; tum mihi cum Phoebo amnestia illa Thrasybuli intercessit. Itaque cum

---

1) Discipuli *Myconii*. 2) *Philippus Engentinus*, professor poëseos *Friburgi Brisgoviae*, quam urbem carmine celebravit. Poëta degebat nulla dum conditione 1515 Basileae; 1518 e Saxonia venit cum literis Spalatini ad Zasium commendatitiis; 1519 Friburgi obtinuit locum, Zasiusque eum aquis utentem per amicam epistolam monuit, ut nondum Friburgum rediret, dum ibi pestis horrendum in modum saeviat. Cum *Thoma* quoque *Blaurero* et *Vadiano* necessitudinem coniunxerat, ac studio reformationis ardebat, ita ut Zasius per occasionem, quam mors Engentini dederat, scripserit: Utinam meliore iam coelo fruatur: *Lutheranum* enim nimium quam oluit! (Ep. *Zasii*.)
3) *Montafun*, vallis in anteriore Arlberga, Braetigoviam Rhaetorum ab aquilone terminans.

post longam peregrinationem paucis ante diebus huc rediissem, atque essent qui istuc irent, nolui committere, ut Tu scribendi officio antevorteres. Scribo itaque ex animo Tibi benevolo, cuius comitatem, urbanitatem, sales cum egregia eruditione in Te ita admiror, ut ob unum *Zuinglium Turegum* mihi nonnihil adlubescat. Quod propediem (ut arbitror) videbo. Nam D. Virgini conceptum votum est persolvendum. Interim Tu scribe ad me, qui valeas. *Eckius* a quibus misere proscindatur, forte non ignoras. Si novi quid habes, fac sciam. Vale candidissime vir! *Frib. Brisg.* 5. Mart. 1520.

Saluta meo nomine *Osw. Myconium!*

XIII.

CASPAR HEDIO ULDRICO ZUINGLIO

AMICO SINCERISSIMO S.

Admonuit me M. *Henricus*, si commode fieri posset, ut *Zinlio* mitterem *Gabrielis* tractatum de decimis, vel si quem alium haberem huic instituto convenientem. Dispexi undique, sed nusquam offendi quo satisfacerem tuo mandato. Tametsi *Capito Summerhart* de decimis habeat, [1] verum non apud se. Credidit enim suam supellectilem nautis vehendam ad *Moguntienses*, quibuscum iam est victurus concionator. Intelligis quam molestum mihi sit, optimo praeceptore et fidelissimo patrono orbari. Ferendum tamen est, quandoquidem sic Deo visum, ut vicarius veritatis alibi quoque annunciet Evangelium, in hoc forsan missus. Non ferunt ex nostris Philobarbaris aliquot nisi eum, qui dicat aliqua quae attinent πρὸς τὰ ἄλφιτα. *Capito* nihil ad quaestum unquam, nihil ad fucatam pietatem, nihil ad ambitionem cleri dicere voluit. Hinc exosus quibusdam. Vulgus adhuc capax est Evangelicae doctrinae. Bene perrexerunt in iudicio, et renascenti Christianismo mirum quam faveant. Iam quotidie annunciat Evangelium κατὰ ματθαῖον frequentissimo auditorio. Efficacissima est doctrina Christi, penetrat, inflammat animos. Tumultus partim exoritur et maxima indignatio vulgi erga ἱερεῖς, qui sinunt tantum virum, tam eruditum si doctrinam spectes, tam apostolicum si vitam perpendas, abire; quos Tu Gerasenos rectissime dixeris: nam eorum affectibus inutilis est. Moguntini obviis, quod aiunt, ulnis excipient. *Cardinalis* [2] illuc invivitavit amplissimis conditionibus, nec vult carere *Fabricio*. Et sperandum est, illum ibi profuturum mire studiis et studiosis omnibus. Quis hic sit successurus, adhuc incertum est. Iuventus mea me a spe bona reiicit partim, partim quod iisdem vestigiis, quoad licet, ingredior. Auriculas teneras mordaci radere vero non usque adeo tutum est. Dicunt quidam: ὅτος μαθητὴς αὐτῶ ἐστι. Verum huiusmodi animum meum non deiicient a recto. Neque vita mea mihi chara erit cum Paulo,

---

[1]) Gabriel Biel et Conradus Summerhart, postremi scriptores scholastici generis Tubingenses. [2]) Cardinalis, Princeps Elector et Archiepiscopus, *Albertus*, *Mogontiaci*.

ut consummem cursum Christiani praeconis. Induxi animo meo, ubi dimiserit *Capito* Evangelium, ut illic ego velim incipere, vel apud S. Martinum, vel ubi locus dabitur. Adeo afficior sana doctrina, tametsi Monachi quidam et Mataeologi non verentur clamare in publicis concionibus: minime obtemperandum illis, qui dicunt summam rei Christianae in Evangelio et Paulo esse; quemadmodum impudentissimus quidam Monachus, de familia Minoritarum, ante triduum dixit in media concione: *Scotum* plus profuisse rei Christianae, quam ipsum *Paulum:* quicquid uspiam eruditum excudatur, desumtum esse et, ut eius voce utar, furatum ex *Scoto;* nisi, inquit, quod gloriae avidi immiscent Graecas et Hebraeas voculas, rem eo obscuriorem effecturi. Vide, quae pestis? Clamat alius in impressores, qui quidvis imprimant, non habito respectu summi Pontificis vel Inquisitorum. Ecce tumultus ille! Timendum est, ne vires iam acquirat, ablato nobis *Capitone.* Ferme solus adero, cui imbecilli luctandum erit cum pestilentissimis monstris. Tu adesto, animum adde frequentibus Tuis literis! Frugi eruditio et Christiana iam fere est, ut dicitur, inter malleum et incudem. Si unquam imminebat periculum, iam imminet. *Lutherus* a Theologis *Lovaniensibus* et *Coloniensibus* damnatus est in quibusdam articulis. Meditantur pessimum quid *Romani. Dorpius* totus favet renascenti Christianismo, et ex animo, quod *Erasmus* primum hinc scripsit. [1] Sed quod iam scribo, non communicabis nisi adiuratissimis *Erasmo.* Editae sunt in illum adnotationes *Eduardi Lei, Angli.* [2] Exemplar unum hic habemus. Libellus est frigidissimus, sed totus sycophanticus, dixeris a furiis scriptus. Erasmomastiges triumphabunt, quibus placebit suus Rex. *Germanus Brixius* scripsit in *Morum.* [3] Tu, ut facis, non cessa tuis inculcare Christi philosophiam, qua florente evanidi erunt conatus humani. Copiosius subinde scripsi *Fryburgum*, ubi visus est mihi aliquando tractatus *Gabrielis* de decimis. Si uspiam fuerit inventus, mittam ad Te, ne dubita! Nosti quaedam esse a Christo dissimulata. Et Paulus in Ep. ad Corinth. de censu et salario sacerdotum meminit, sed circumcise. Vale in Domino et me ama! D. *Abbati* [4] et M. *Leoni* [5] me commenda. *Bus.* 17. Mart. 1520.

C. Hedio, tuus.

XIV.

MYCONIUS ZUINGLIO, PASTORI TIGURINO AMICISSIMO S.

Scripsi nunc bis, ubi nihil respondisti. Forte iterum adornas volumen, ut simul ad omnia respondeas; id quod in primis volo. Nihil

---

[1]) Vid. ep. VII. n. 4. [2]) *Eduardus Lee*, *Anglus*, qui animadversionibus Erasmi editionem N. T. carpentibus ipsum atque amicos Erasmi offenderat. [3]) *Germanus Brixius*, ab *Auxerre*, Canonicus *Parisiis*, scripsit inter alia Antimorum, carmen adversus *Thomam Morum.* [4]) Eremi. [5]) Ludae Eremi.

me tam delectat (per Deum testor) quam longissimae literae tuae. In iis namque semper invenio, non tam quod sit ad voluptatem, quam quod ad usum, et maximum quidem. Et id est, quod nunc desiderium tuarum literarum minuit. Consideravi enim: „Non potest nunc praetendere, quod nuper nullos tabellarios obtingere, nisi quos Tu mittas. Nam interim multos habuit, inprimis autem Legatos *Tigurinos*.[1] Quam ob rem copiosius respondebit: alioqui non tam diu tacuisset." Inter ea vero, quae maxime scire exoptabam, illud erat: Quid putares? an redeundum esset ad sacerdotem post confessionem, si quod facinus in memoriam veniet, omissum non malitia, sed sola oblivione. Super qua re quid mihi videatur, temporis brevitas scribere prohibet. Ne autem me tam curiosum putes! Fui et ego rogatus idem. Respondi incerto sermone, donec abs Te certius instruerer. Quamobrem ne admittas, quin respondeas. Quod ad me adtinet, dubium est de Zacharia (ex Iuvenco id est, quem nunc meis praelego), quo paeto iustitia ab Luca ei tribuatur, cum tam cito ob incredulitatem mutus fuerit effectus; tum an ratio aliqua detur ab authoribus tam repentinae vindictae quam Deus huic inflixit. Si in libris haec inveniuntur, indicato loca, ne Tibi sit nimium laborandum. Insuper de Angelis vellem scire quod sequitur, quo videlicet pacto essent creati. Deinde postquam Luciferi superbia multos secum in aeterna barathra detraxerit, multos in aëra usque: ergo an illi, qui hodie adhuc Deo Opt. Max. servientes coniuncti sunt, cum illis fuerint creati? quod si ita habet, qua gratia firmati sint, ut amplius peccare non possint. Taedet me (crede mihi) huiusmodi scribere; sed quod talibus nugis ferme quotidie vexor, ego autem nondum omnia vidi, inprimis de angelis, de quibus ne literam quidem unquam legi, cogor aliquoties pro captu meo respondere. Nihil tamen temere adfirmo. Quocirca et Te his obtundo. Si placet, responsum reddas; si minus, parum curabo. Non enim is sum, qui cupiam scire mysteria multa. Verum quae scienda sunt, et ipse minus lubens praetereo. Mihi talia in mentem nunquam veniunt. Simplicissima fide contentus sum, et secundum hanc ambulare potero confidenter. Continue ante oculos versatur dictum hoc Socraticum: Quae supra nos, nihil ad nos. Quae enim Deus noluit me scire, cur ego inani, imo impia curiositate perscrutarer? Aequo igitur animo feras, quae scribo: nam simplicissime hoc facio. Vale semper! Audieram aliquid de Te novi; sed quia nihil scribis nihil credo. Bene optant Tibi omnes mei, uxor et filiolus inprimis. Lucernae 16. Cal. Apr. (17. Mart.) 1520.

Myconius.

De Hieronymo scribe, uti res habeat.

XV.

MYCONIUS D. HULDRICO ZUINGLIO, PASTORI TIGURINO AMICISSIMO SUO S.

Hedio has literas ex *Basilea* tibi mittit, homo nimirum, ut bonus,

[1]) In comitiis.

ita doctus, imo ut doctus, ita bonus. Sic enim volebam dicere. Conqueritur de abitu in epistola ad me, *Capitonis* inprimis, deinde *Rhenani* absentia,[1] postremo de *Brunonis* aliorumque morte, hanc ob causam quod sibi nunc soli inter spinas *Basileae* sit versandum. Quae, ut timendum est, cuspidem tandem iterum acuent, posteaquam audient, quod ille in posteriori pagina scripsit de *Luthero*, illum a *Lovaniensibus* et *Coloniensibus* Theologis esse condemnatum. Sed de hac re non dubito, quin et tibi scripserit.[2] Insuper *Abraamus* ille noster hic fuit narrans de quodam egregio divini verbi buccinatore, quondam de isto grege, qui toties attentavit Christi religionem subvertere penitus. Ille boat pro indulgentiis adeo strenue, ut eius vox ex *Bremgarten* hic quoque audiatur. Fecit, ut aliis sacrificis, qui ante bene senserunt, mutiendum sit. Habet te adhuc (quod dixit) qui compescendus sis. Audiet te, et si quid dixeris aurium suarum offensivum, vel publice male audiendum erit. Fac ergo, mi *Zuingli*, ut caute dicas, diligenter et consulte, ne publicis convitiis adrugiaris. Sed abeat ille, quo dignus est.[3] De *Lutheri* causa, si quando poteris, velim scribas animum tuum. Ego neque homini, neque Evangelio timeo, nescio qua fiducia bona erectus. Nam nisi Deus quae sua sunt tueatur, quis tandem tueretur? Illum ergo rogo atque oro ne manum suam abstrahat ab his, qui nihil habent antiquius, quam Evangelium, et secundum illud vivere unam viam tenent atque defendunt esse ad coelum ducentem. Tu pergas, ut incepisti, et merces nimirum copiosa Tibi erit in coelis. Cura, ut valeas! Hoc idem et mei ex pectore volunt. *Lucernae* 8. Cal. Apr. (25. Mart.) 1520.

Myconius tuus.

Interrogato, si quando veneris ad D. *Utingerum*, an potestatem habeat creandi Notarios; et si habet, an velit me creare. Volunt id Domini mei. Quid respondeat, renuntiato!

XVI.

HULDRICHUS ZUINGLIUS OSVALDO MYCONIO SUO S.

Gravius tuleras stomachum nostrum, *Myconi* suavissime, atque nos effuderamus;[4] nec tamen, ut opinabamur, ab re: nam hoc nos solum male habebat, quod primis illis literis tuis (ante quas tamen putabam nostras ad Te venisse; nec est quod Datum illarum putes nobis imposuisse: octo enim ferme diebus post nostrarum missionem datae erant; sed imposuit nobis *Lucius*, quem voluissem Velocem potius tum fuisse,

---

1) Attamen Hedio ad Myconium: „Speramus *Beatum* (*Rhenanum*) rediturum brevi, Herculem illum, qui possit monstra domare per me et alios ceu organa." 2) V. ep. 13. 3) Fortasse alter praedicatorum *Bremgartensium*, *Nicolaus Christen*, qui anno postremo Samsonem, venierum licitatorem, invitaverat in suum oppidulum, at vero prohibitum a *Bullingero*, Decano. 4) Vid. ep. XI.

quam vocari) hoc inquam; nobis stomachum movebat, quod pressius videreris dixisse: Placet sententia tua, displicet sententia tua; eaque verba linea subducta notasses. Tum coepi mecum ipse cogitare, an forsan tu literas nostras non accepisses, quod earum omnino nulla tibi fieret mentio. Rursum videbare accepisse, quod ambiguum quid de nostra sententia censeres. Atqui in breviusculis illis nihil sententiae, nihil explicationis pronunciaveram; et ecce stomachus: sive igitur acceperit literas tuas, sive non (ratiocinabatur), inamice tamen tecum agitur, quod ille Te ad scribendum quid sentias compellit; tu pares, atque ita pares, ut nimirum utrique fastidium moveas. Ille sibi sufficere putat, si solum dixerit aliqua sibi displicere, omissa causa cur displiceant; itaque per amicum non licet tibi doctiorem fieri rectiusque sentire. En tibi causam stomachi mei, qui tamen omnino cum ipsa literarum missione simul ex pectore effusus est. Ne dubites! multa enim interea pharmaca edi et bibi, ut febrem eliminarem. Quae si quid reliqui fuisset (sancte tamen iuro, nihil relictum penitus), omnia diluissent. A febre convaleo in diem, ne hoc quoque ignores; a stomacho dudum levatus sum. Non te posthac oportet, hominem nobis charissimum eiusmodi acrimoniis amicitiae turbari, quam doctissimi homines experti sunt arctiorem fieri, si non omnia sint undique blanditiis plena. Cupis post haec, de angelis quaedam tibi indicari. Non possum sane, quae sancti super ea re scripserunt, nunc per capitis imbecillitatem evolvere; quae tamen in mentem veniunt, indicabo. Hieronymo et Augustino immodica contentio est de angelorum creatione, et quod ad tempus attinet, et quod ad conditionem. Quod ad tempus: ille multis seculis ante mundi exordium creatos affirmat; iste, mox in ipso rerum exordio. Simul enim Deum, ut coeperit creare angelos, mundum quoque exorsum ideoque Mosen dixisse: In principio creavit Deus coelum ac terram, voluisseque per coelum invisibiles angelicasque creaturas intelligi; per terram visibiles. Verum hoc te nihil angat! Quod ad conditionem vero attinet, August. lib. de civitate Dei 10. vel 11 plane fluctuat, num aequali conditione (quod ad statum vel casum attinet) creati sint, et nunc in eam sententiam propendet, qua putat eos qui ceciderint non aequali dignitate aut perseverandi gratia creatos cum iis qui perstiterunt; nunc omnes aequalem gratiam persistendi nactos, utcunque habeant. Video neotericos esse in ea opinione ut, quod ad casum aut perseverantiam attinet, dicant omnes aequali conditione creatos; liberi tamen arbitrii abusu aliquos refugisse, aliquos apud signa mansisse. Nunc quod ad substantiam. Substantiae sunt ut purae, ita simplices, atque inde magis simplices, qui perstiterunt, quod summus remunerator firmius illorum voluntates stabilivit, qui secessionem cum Lucifero non meditati sunt, ne semper essent in tam gravi periculo. Refugorum substantia ut simplex, ita quod ad essentiam attinet bona, mores tamen improbi; at non aequaliter omnibus, cum non omnes aequali affectu peccaverint; sed alii vehementiori, alii autem leviori, ut non inscite videatur Origenes quibusdam putare, quosdam angelorum futuro iudicio in gratiam redituros. Bonos tamen angelos esse (ut ad illos redeam et omnia confuse dicam), sacrarum literarum infinita sunt

testimonia. Angelus cum ancipiti machaera ante clausum paradisi ostium positus, ut introgredi cupientes arceat. Angeli tres Abrahae apparuerunt in convalle Mambre; unum tamen solum adoravit. Eorum duo apud Lot hospitio excepti, beneficii haud immemores, hospitem suum cum uxore et liberis ex periculo pereuntis civitatis eduxerunt. Iacob qua nocte meruit nomen videntis Deum (hoc est enim *Israel*) vidit scalam ad coeli limina usque pertinentem et angelos descendentes per eam et ascendentes. Vide Genesin! Angelus in Aegypto omnia primogenita nocte una percussit, Angelus filios Israël in terram promissionis abeuntes interdiu nubis columna comitatus est, nocte ignis. Vide Exodum! Angelum vidit David, sanguinolento gladio ad continuandam caedem properantem. Ab angelo deportatus est Abacuc in leonum foveam cum ientaculo ad Danielem. Angelum Hester, alicubi docet Origenes Iudaeos tradere, astitisse, qui illi gratiam apud regem et maritum conciliaret. In novo testamento apparuerunt angeli Zachariae, virgini Deiparae, in somnis marito eius Ioseph, pastoribus. Christus ipse eos docet patronos pusillorum videre semper faciem patris coelestis. Iidem eundem resurrexisse nunciant; apostolis rediturum praedicunt, ea gloria qua ab illis ablatus sit. Eisdem carcerem aperiunt. Petrum e nervis explicant, Paulo vibices abstergunt et Silvano. Testimoniorum satis habemus hac de re. Officia eorum sunt, ut Deo fruantur, et ad ministeria hominum emissi omnia impigre exequantur. Nec tibi obstrepat quaedam infirmitatis divinae suspicio. Non enim emittuntur ab impotenti, sed ab eo, qui si velit, verbo potentiae suae omnia possit; mittuntur tamen ad homines, ut ii videant, quo se loco Deus habeat, qui ministros suos communes faciat; videant item, quibuscum sint habituri felicitatem. Nec eos dum mittuntur, interea abesse a Dei aspectu putes, qui Deum ubique existentem, omnia permeantem, omnia immutantem, in omnibus ubique locis aspiciunt. Haec ultima de angelis appendix nostra est; ne tu putes alicubi autorum classicorum nobis lectam, ambiguaque pro veris accipias. Hisce enim nobis satisfacimus, dum supra nos aliqua audemus. De bello obiectum tibi locum vide cum Augustino explosum ab *Erasmo* in Annotationibus in Lucam cap. 22. Mitto item tuum *Philirenum*. Iste locus: Et tuam ipsius animam pertransibit etc. Luc. 2. debet, ut omnia in sacris literis, exponi ex superioribus, a quibus pendet. Dixerat enim Simeon, Iesum positum esse in ruinam, eorum scilicet qui ex Israël erant perfidi permansuri; et in resurrectionem multorum item ex Israël, qui scilicet sint in illum credituri, et in signum cui sint contradicturi, et non contradicturi modo, sed tanquam viis eorum contrarium cruci affixuri, quae res ut ῥομφαία vulneratura sit virgineum pectus, eousque etiam promotura, ut eorum pavor prodatur, qui se morituros cum Christo spoponderant; et illo mortuo indicaturi sint quique quo in illum fuerint animo. Ioseph Arimathiensis enim, quo in illum fuerit animo, nonne manifestavit, cum audacter apud Pilatum (inquilinum *Lucernanum*, ut in re seria iocer)[1]

---

1) Fabula est, Pilati corpus parvulum condere lacum in monte *Pilato* (probabilius *Pileato*, a nebula dicto, quae pilei instar eius cacumen fere sem-

petiit corpus Iesu etc. Petrus num tam fortis inventus est, quam extra periculi aleam constitutus futurum gloriabatur? prodidit igitur postea negando ex infirmitate humana, promissum venisse. Is qui in illum locum homilias scripsit, quae Origeni falso adscribuntur, in hunc modum enarrat: ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Ponam autem verba illius: „Quid? putamus, quod scandalizatis apostolis mater Domini a scandalo fuerit immunis? Si scandalum in Domini passione non passa est, non est mortuus Iesus pro peccatis eius etc.“ Ecce quid hic audeat dicere, quamquam ratio quam advertat non admodum fortis est. Non enim ea sola causa redimendi fuit Christo, si quispiam in passione sua cessaverit; sed si illi fides habenda est autori, sensus Simeonis omnino is erit, quod o virgo nec tuum pectus intentatum erit, quod tibi quidem nunc dulce blanditur, quod talem habeas filium, quem senex ego et senior anus prophetae salvatorem in spiritu agnoverimus futurum; sed tam acutus in infirmitate passionis eius animum tuum gladius vulnerabit, ut sis nonnihil scandali passura, ut tibi ipsa pateas atque videas quam frivola sint, quae nos humanitus concepimus, atque nullo non vento mobilia. Verum prior enarratio magis arridet nobis, alicubi apud autores lecta. Visus sum mihi dudum te videre, omnia suspicantem, quod tam diu non scripserim ad te; ideo prolixe nunc omnia exequimur. Vale, et omnia boni consule! Salvi sint uxor, liberi, *Xylotectus*, omnes. Ex Tiguro 27 die Martii anno 1520.

XVII.

ZUINGLIUS MYCONIO SUO AMICO CARISSIMO.

Accepi, optime *Myconi*, cum *Hedionis* tuas quoque literas, plenas earum quas ad Te quoque scripsit rerum. Hoc autem die, quo has ad Te damus, a *Zasio*, quas etiam ad Te mittimus, accepimus literas (nam grandis omnino mihi cum isto viro intercessit amicitia). Velis itaque iuxta illa, quae pro *Dorpio* scribit, Tu etiam epistolam ad illum scribere nobisque transmittere ut, quum *Vadiani* quoque acceperimus, simul omnes dirigantur, ut homo, quemadmodum *Zasius* inquit, laudis cupidus, videat *Helvetios* etiam sibi gratulari, quod ad partes meliores secessionem fecerit. Ne vero hoc Te consilium lateat, quod sibi a nobis datum tantopere commendat *Zasius*, scito in nupera quandoque illum epistola ad nos scripsisse, ita se animatum, ut adversus *Lutherum* de potestate pontificia non possit non scribere, quod is sacrorum Canonum maiestatem (en Tibi iuris peritum in factionem suam iuratum) flocci facere sit ausus. Ego hominem non tantum dehortatus sum, verum cum quadam tamen modestia deterrui, iubens, ut vel hoc unicum spectaret, *Lutherum*, etsi modestiam ipse quandoque desiderem in illo, Pontifices tamen, si perpetuo pergant esse mali, sua traductione suorumque scelerum libera censura olim absterriturum ab

---

per obtegit), prope Lucernam, et ciere, si lapides in eum lacum iaciantur, tempestates.

illis, verecundiamque incussurum. Huius inquam consilii gratiam habet *Zasius*. Literas eius mox remittito, ut et ad *Vadianum* transeant. Quid Tibi consultum volueris post *Hedionis* literas lectas, haud capio. Vale et gratiam habe filio missae ad nos papyri. Salvus etiam sit cum parente tuaque coniuge. Salvi praeterea sint *Xylotectus*, provisor, omnes tui. Vale *Tig.* 2. Apr. 1520.

Zasius saepe antehac ad nos scripsit et semper te cum *Vadiano* salutavit.

XVIII.

NICOLAUS HAGAEUS

DOCTISSIMO AC PRAESTANTISSIMO DOMINO HULDRICO ZUINGLIO, ECCLESIAE TIGURINAE EVANGELISTAE, PRAECEPTORI SUO AC AMICO INCOMPARABILI S.

Ea praeditus es, *Zinli* doctissime, humanitate, ut prorsus etiam ab ineruditis literas summa animi alacritate suscipias. Qui enim tuam dignationem ineptiis meis interpellare ausim, quum nec tantillum vel ad infimum Musis initiatum sim conferendus? Attamen singularis tua bonitas, et incredibilis humanitas, publica iam totius fere voce orbis praedicata, ac mihi (dum *Tiguri* agerem) domestico congressu degustata, tantum addit fiduciae, ut nec ipse, abiectissimae pene sortis homulus, dubitarim bonitatem Tuam meis compellare nugis. Video enim passim, audio passim, eos, qui verae pietatis ac bonarum literarum studio ducuntur, de tali homine sibi gratulari, quod quidem quum omnes meritissimo faciant, nullos tamen id facere aeque par est atque Helvetios, quod habeant qui eos caelum doceat, et a bellis vanissimis absterreat; quum hactenus nihil nisi arma noverint; quin sibi ipsis persuasum habuerint, recta se ad superos volaturos, quod multos obulos Charonti persolvi curent, Deosque sibi multum propitios habituros, si Plutonis aerarium augeant, si multos homines interimant; et laudis tamen hinc aliquid sibi adscribi volunt. Si homines interficere laudi datur, nimirum gloriam non supremam sibi latrones venantur. Atque utinam vertat aliquando Deus primatum Helvetiae animos, ut sua consilia ad communem pacem conferant! In hoc cognoscent, dixit Christus, quod discipuli mei estis, si diligatis invicem. Quid enim est esse Christianum, quam discipulum Christi? Nutrivit hactenus Helvetia *Scipiones*, nutrivit *Iulios*, *Brutos*. Vix unum aut alterum edidit, qui vere sapiat Christum, qui doceat Evangelium, qui imbuat tenellos puerorum animos, non spinosis istis ac rixosis, sed veris ac sanis literis; donec Numinis providentia *Zinlius* Helvetiae orator datus est, et *Myconius* rudis pueritiae formator. Nunc probitas, honestas, iustitia, imo Evangelium, quod diu sub tenebris latuit, reflorescit, renascuntur bonae literae. Quid iucundius, quid dulcius, quid salutarius Evangelio? quid denique sanctius? Nihil nisi Christum spirat, in quo piae mentes ipsum Christum, veluti loquentem, venerantur, hominesque multo alienos ab his mundi dotibus efficit, aliosque reddit quam antea fuerint. Quod

autem nos tum minus Christiane vixerimus, nihil mirum. Nemonem habuimus, qui verum Christianissimum doceret Paulum, imo qui vel tantillum religionis Christianae redoleret. Ideo fit, ut nulli rei plus studeant, quam bellis, pecuniae, omnem fraternam charitatem dissipanti ambitioni, ob quam mille se obiiciunt incommodis. Putant enim rempublicam optime administrari, si quisque suis bene consulit rebus. O Helvetiam longe feliciorem, si tandem liceat te a bellis conquiescere! O diu iam inclytam Helvetiam armis, si tandem illustriorem te probitate ac virtutibus redderes, illasque nugas, quibus inter se certant Ethnici, seponeres! Ita enim convenit bello cum Evangelio ut agnis cum lupis. Quanquam sunt qui nescio, quo praetentu, quibus titulis bellari volunt. O Helvetiam, multis partibus fortunatiorem, quae tantos alis homines, *Zinlium* videlicet, *Glareanum*, *Myconium* et fecundiora quae adhuc parturis ingenia. Nulla sub Phoebo regio Tibi conferenda, si tantum tibi a bellis temperares ac sacris Evangélii monitis tete submitteres. Brevi confore spero bellorum componi undas, religionem plebis christianae iam olim multis collapsam modis et in dies magis ac magis collabentem resarciri et restitui, bonasque literas renasci, quas nunc apud *Lucernates* profitetur unicus *Osw. Myconius*, vir ut doctissimus ita et integerrimus, quae duo sic in ipso paria sunt, ut nescias, utro se ipsum superet; homo adeo tui studiosus, ut si quem amas, qui te amat, certe sit maxime Tibi amandus. Te ipsi (vera loquor) nihil carius, eoque erga Te amore affectus est, ut ne vel Alcibiadi cederet, qui supra modum Socratem amasse fertur. Sed haec quid Tibi commemoro? Quum eum intus et extra cognoris. At ego gratias non solum amplissimas immortales, aut quicquid tale vulgus refert, habeo, sed quas Christus tuis in me meritis tribuet, quum beneficia tua in me collata non sinunt me tui immemorem. Mores ab aliquo didicisse magnum erat. Atqui ego longe maiora a Te habeo et a *Myconio*. Praecipuum illud, quod me Christum sapere, imitari, suspicere docuistis. Quid quaeso homuncioni mihi vel utilius vel dignius contingere potuit? id quoque quod literas Graecas primoribus labris degustavi. Atque utinam apud Te manendi facultas sese mihi praeberet! Tantum illectus sum ad Graecas literas hoc tuo Luciano. Breviter! acriter hic et bonis et sacris insurgimus literis. Ob id dii invocandi, ut religioni Christianae instaurandae et propagandae quam diutissime *Zinlium* et *Myconium* servent incolumes. Valeat unicum Helvetiae decus *Zinlius*, cui me quantus quantus sum dico consecroque. Vale! *Lucernae* anno virginei partus 1520. Non. Apr. (5. Apr.)

Salvum meo nomine dicito Dom. Georgium. [1] Tuus ex animo
Nicolaus Hagaeus, *Solodorus*.

XIX.

HIERONYMUS FROBENIUS ULDRICO ZUINGLIO, DOMINO SUO.

Quanquam multa Tuae Praestantiae scribere gestiat animus, *Zuingli*

1) *Binderum.*

doctissime, tamen cum commoditate et otium impedit; nactus opportuniorem locum prolixitate Te obtundam. Interim non Te lateat, D. *Erasmum* valere optime, et spem esse, quod brevi nobis reddatur.[1] Dedit recens quae toties promittit *Antibarbara*,[2] tamen primum saltem librum, impeditus contumeliosissimo *Leei* libro, de quo multa scribere haberem, quae reservo, donec et ipsum misero librum. Opinabar eius hic esse copiam: alioqui meis attulissem humeris. *Francofordiae* bonorum parum erat librorum. *Euripides* tuus est, donec provisum Tibi fuerit aliunde. *Lutherus* condemnatus est ab Universitate *Coloniensi* et *Lovaniensi*. Condemnatio edita est non positis articulis. Scripsit *Glareanus* intra mensem se affuturum..[3] Parens uterque plurimum sese Tuae Dominationi commendat. Bene vale, virorum eruditissime. D. *Ambrosius Syragrius* multum salutat, qui ob otium quo abundat Tibi scribere non valuit.

Hier. Frobenius.

XX.

V. FABRITIUS CAPITO ULDRICO ZUINGLIO, AMICO SUO SINGULARI S.

Quidam *Leus*, *Anglus*, homo indoctus, sed gloriae sitientissimus, in *Erasmum* virulentissima convitia congessit inepte, sordide, putideque omnia, et habet suos admiratores, h. e. similem habent labra lactucam.[1] In hunc ex itinere meditor scribere. Post triduum enim hinc solvam ad *Moguntinos*. Scripsit *Erasmus* tres libros quos edidit;[2] praeterea doctissimi quique suppetias ferunt literarum instauratori, non quod ille aliorum opera indigeat, sed quia barbaris probantur abiectissimae sycophantiae. Haec Te scire volui, ne consterneris, si quando auditum esset, compertum esse qui *Erasmo* repugnaret. Sunt enim tela istius hominis tam infirma, ut laedere famam hominis adamantinam nequeant. Ceterum Te opto valere plurimum, et ut facis Christo studere. Christum enim remuneratorem olim sentiemus. Et si quid aliquando ad me daturus es, *Frobenio* aut *Cratandro* committas. Uterque bis me inviset singulis annis. Saluto *Leonem* et quotquot virorum bonorum Tecum habes, cui dicas velim, me non solicitum de rebus defuncti Magistri *Ioh. Lichtenburgii*. Verum si forte fortuna in illius affinis colloquium incidero, explicabo, quae iste pridem literis et modo per nuntium quendam significavit. Scripsi ad eum inconsulto; videtur nescio

---

1) *Erasmus* hoc tempore convenerat Caleti *Archiepiscopum Canterburiensem* ac *Thomam Morum*, qui Henricum VIII. regem ad Franciscum I. regem comitati erant. 2) Prodiit Maio apud *Frobenium*. 3) Glareanus ad Myconium scripsit 3. Maii: „*Basilea* me contuli *Tigurum*; hinc recta peto *Claronam*; deinde aquas *Favarias*, et circa pentecosten *Lutetiam* revertar.“ Haec notitia numerum huius epistolae constituit ac nonnulla in sequentibus epistolis illustrat. 4) Vid. epist. XIII. 5) Apologiae tres ad notationes *Eduardi Lei*.

quid stomachi ex mea simplicitate colligere. Tuum erit excusare hunc meum candorem, qui delineavi imprudens, non quod dixerat Mercator, sed quod observasse visus sum tacitis coniecturis. Vale et Tibi sum commendatus oro. Tui equidem memoriam nunquam abiiciam. *Bas.* d. 14. Apr. 1520.

Tuus *V. Fabr. Capito.*

Dedit ad me epistolam elegantissimam noster *Myconius.* Ut in hac rerum turba respondeam, vix integrum est. Amplector tamen hominem ut quam maxime propter raras literas et pectus masculum Christo dignum.

XXI.

DOCTISSIMO D. MAGISTRO ULRICO ZUINGLIO DIVINI VERBI PRAECONI S. P. D.

Dialogum tuum,[1] humanissime Domine, antequam amicos meos inviserem, per bibliopolam claudum miseram. Quem si videtur (ut dixi Tibi praesenti), remitte! Curabo ut sub incudem mittatur. Praeter ea *Myconii* doctissimi viri *φιλείρηνον* per eundem remisi. Ceterum, ut ingenue fatear, habebam nonnihil in animo (ut Dom. *Ambrosius* subindicavit) de mutanda vita; nec erat aliud quod me magis moveret, quam humanitas tua, cui adesse desideravi; eamque ob causam adii quosdam, quos mihi benevolos esse arbitrabar, ut hoc perficerem. Sed posteaquam video fere neminem praeter tuam humanitatem mihi ex animo bene velle (vellent enim isti ex me facere sacerdotem, quo nihil minus unquam speravi); praeterea rei difficultate perculsus, parum abfuit, quin omnem spem de hac re abiecerim. Antequam enim literae et prela duo pararentur, 200 florenis opus esset; nec minus 900 florenis unum annum labor ille continuus petit; et ita, ut video, (etiamsi res prospere cadat) essem servus et mancipium perpetuo. Quapropter tuo consilio fretus hic D. meum *Erasmum* expectabo brevi huc rediturum. Interea ne nihil agam, graecas literas docebo, si qui iuvenes adsint. Praeterea D. *Heinricus Glareanus* his diebus aderit.[2] D. V. *Capito* cras hinc abiturus est *Moguntiam* versus; illic etiam divini verbi praeconem acturus. Similiter *Bonifacius* post duas septimanas *Galliam* petet, illic mansurus propter studium iuris civilis aliquamdiu.[3] *Biblia graeca* nondum habemus, neque *Eusebii* opera. *Cyprianus* ad Te missus est me absente. *Hier. Frobenium* admonui de operibus S. *Hieronymi*, quamquam dicat, se nihil literarum de hoc accepisse. *Paraphrases*[4] iam parantur. D. *Beatus*[5] nondum rediit, quem in dies expectamus.

D. *Ambrosius* brevi Tibi aderit, cui committam quidquid putavero tuum interesse, aut meum. Iam sum totus in *Homero* Graeco. Quidquid sit, tuum sequar consilium aut meam tuebor libertatem. Dom.

---

1) Scriptum *Zuinglii* adhuc latens. 2) a *Lutetia.* 3) *Bonifacius Amerbach* doctoratum Iuris adeptus est *Avenione.* 4) *Erasmi.* 5) *Rhenanus.*

Capito me lubenti animo suscepisset; tamen negavi, ne inconstans Tibi videar. Nihilominus utere me pro arbitratu tuo; et ego semper erò morigerus. Si tuum consilium est, ut desistam ab hac re, quam volebam, nec potes commode id amicis negare, dic me abisse necdum redisse. Habes quid velim utcunque. Vale unicum praesidium meum! Te atque amicos omnes bene valere cupio. 17. Apr.

Famulus T. D. *Iacobus Nepos.*

XXII.

IACOBUS AMMANNUS HULDRICO ZUINGLIO, VIRO INTEGERRIMO PARITER ET DOCTISSIMO, AMICO INCOMPARABILI S.

Dici non potest, *Zuingli* carissime, quantopere tuas expectem literas, quae me de statu et valetudine tua edoceant. Incredibilis enim meus in Te amor ac benevolentia facit, ut non possim non tuae saluti timere, non sollicitus non pro Te esse. Equidem Christi beneficio recte valeo. In literis quantum per ingenioli parvitatem licet mihi non desum; nullis certe parco laboribus, praeceptorem, ut antea scripsi, haud ineruditum iam nactus, nec improbum, quantum coniicio, cui cognomen est *Thylesius*; [1] in superioribus literis, nisi quid me fallit memoria, propter celeritatem perperam *Cresinus* scripseram; is natione *Brueius* est. Hiems nobis fuit inimicissima; nisi quod 14 diebus pene continuis de coelo pluit, adeo ut tuae, nomine duntaxat, non re ipsa, pestis in mentem venerit, quod alicubi dicit.

Parocho *Vesenio*, [2] cuius nomen in praesentia non occurrit, cuique tuam pertuli epistolam, in qua mei mentionem, ut nusquam non, honorifice quidem facis, quia in moribus ac sermone nescio quid *Zuinglii* renituit, unice amicus esse cupio. Literas *Myconii* iam pridem, nec sine insigni animi dolore perlegi, sed iussi ut forti animo sit in Christo et Te assidue in memoriam revocet, qui nihil non perpeteris, dum Christum in animis Christianorum resuscitas. Vale et me ama, mi *Zuingli!*

Commentaria *Eustathii* in *Homerum Mediolani* non extant, nec satis compertum habeo, num *Romae* an vel alibi excusa sint; nemo id me edocere potest. Ceterum si quid aliud librorum apud nos est, quod desideres, dabo operam, ne diu desideres. Gaudebam mihi oblatam esse opportunitatem, qua simul animi in Te mei benevolentiam et gratitudinem pro tenuitate mea testificarer; sed alia fortasse exhibebitur. Vale denuo felicissime! *Mediolani* 19. Apr. 1520.

XXIII.

IACOBUS NEPOS DOCTISSIMO D. UDALRICO ZUINGLIO, AMICO INTEGERRIMO S. P. D.

Humanissime domine, crede mihi, quidquid in rem tuam facere

---

[1]) *Antonius Thylesius Consentinus*, cuius ingenium eruditum praecipue carmina latina peperit. [2]) *Binzlinus.*

possim, id libenti animo me facturum. Itaque posthac liquido ad me perscribas velim, quos libros adhuc desideres. Scripsisti *Hieronymo* [1] quid librorum miserit aut non miserit, sed quos adhuc emi velis, nescio. De iuvenibus, quos Te dicis missurum, Tibi *Gaspar Hedio* scripturus est. Sicuti antea scripseram: aliquot *Homeri* libros ex Odyssea publice professurus sum. Si qui praeterea iuvenes essent, qui utramque linguam coniungere vellent, iis nollem deesse, si scirem animum tuum aut qualesnam essent. Igitur ad me perscribas velim, quot et qui sint, aut cui rei maxime studere velint. Si enim fieri commode posset, aliquot ad me acciperem, ut et mecum in mensa essent. Id tamen ante festum B. Iohannis Baptistae nullo modo fieri posset. Sed nescio adhuc quid agendum sit, praesertim cum non norim animum doctissimi Domini *Henrici Glareani*. Tu, ut spero, melius in hac parte iuvenibus et mihi consulere potes, qui iam animum illius cognitum habeas. Vale doctissime Domine! Me tuae mando fidei. Pluribus iam tecum agere non possum, qui occupatior sim, quam antea unquam. Quinto die Maii. Famulus Tibi deditus

Iac. Nepos.

XXIV.

HEDIO ULRICO ZUINGLIO,

APOSTOLICO VIRO, AMICO INCOMPARABILI S.

Bene facis, carissime *Zuingli*, quod pusillanimem firmas ad adeunda certamina cum Mataeologis et Sophistis. Sumsi in manus Evangelium Matthaei, ubi *Capito* dimisit; dimisit autem in eo loco, qui est cap. VI: „nolite thesaurizare etc.“ Hodie secundum sermonem habeo. Succedit non infeliciter, populo arridet, et in dies melius habebit, spero, sana doctrina. Conabor totis viribus, ut si Evangelistae mentem ubique assequi non possim, ne tamen sim ei contrarius. Habeo scopum, et fundamentum, quantum satis est, teneo. Faceres rem mihi non solum utilissimam, verum reipublicae *Basileensi* atque adeo Christo gratam, si tua collectanea in hunc ad me mitteres. Opinor enim Te, qui es nusquam non diligentissimus, sedulo collegisse, quod declamasti. [2] Et sic solitus est *Capito*. Si recta peto, annue; sin secus, ignosce! Amicitia inter nos sincerissima, deinde negotium Christi huc impulit. Sollicitus sum de investigando *Gabrieli*, [3] tametsi nihil offendo hactenus. Cum *Henrico Glareano*, Praeceptore meo primo in Graecis, suavissimam consuetudinem habui his diebus, cui me commendes quam potes loquacissime. [4] Vale! Ocissime, ut vides. *Bas.* Iubilate 1520. *Capito* abiit 28. d. Apr. Habes, opinor, literas, quas ad Te scripsit accinctus ad iter.

---

1) *Frobenio.* 2) Vid. epist. XXXIX. 1519. 3) Tract. de decimis. 4) Cf. epist. XIX. n. 3.

XXV.

IOH. GLOTHERUS ERUDITISSIMO TIGURINAE ECCLESIAE CONCIONATORI DOM. ULDRICO ZUINGLIO, AMICO ET PATRONO SINCERISSIMO S.

Ornatissime Zuingli! accepi titulum, ut vocant, tuo potissimum (at mihi persuadeo) beneficio et autoritate, qua plurimum polles apud Rev. D. *Abbatem*; [1] sed ut nihil dissimulem, satis sero redditus fuit. Primitias Pascae octavo die obtuli Deo O. M., ille vero misericordia Domini tandem ad nos venit. Obsecro Te (si modo tuus id splendor et dignitas, ut tam familiariter tecum agam, patitur), meo nomine primum D. *Abbati*, deinde et *Leoni* nostro immortales agas gratias, si forte occasio se obtulerit: nam ego, quod solum datur, habebo. Quod vero ais, *Leonem* me opperiri ad D. Iohannis festum, gratum fuit; et adhuc esset gratissimum, nisi me *Basiliensibus* meis devinxissem. Obvenit eo ipso die, quo prima sacra feci, sacerdotiolum satis quidem exiguum, sed quod me *Basileae* tamen detineat, idque in templo D. *Martini*. Fuit auctor huic meae fortunae D. *Ulr. Falco*, [2] qui nunc totam rempublicam *Basiliensem* administrat; hic, inquam, clarissimus vir tot hactenus me honoravit officiis, ut iam fere oneraverit, et prorsus me mihi surripuerit suique iuris effecerit, cui vitam debeo, et si quid ea pretiosius. *Iacobus* noster *Nepos Frobenicae* typographiae corrector his diebus uxorem duxit, lecturus deinceps *Homerum* graece, adiuncta grammatica et ea quoque graece; quae res nonnihil me movit, ut eo libentius *Basileae* agam, quo et ego ad minimum rudimenta illius linguae percipiam, in qua Tu iam cum Graecissimis non sine laude certare posses; nemini tamen in latina secundus, quod literae tuae satis arguunt, quas ad *Hedionem* nostrum aliquot abhinc menses dedisti. Ego tui, mi *Zuingli*, nunquam potero oblivisci. Facit hoc humanitas tua, qua me, dum esses *Basileae*, [3] immerentem, indoctum, obscurum, infimae fortunae, hoc est ludi magisterculum, invisisti; facit hoc morum tuorum elegantia, suavitasque incredibilis, qua omnes tibi devincis, etiam lapides, ut sic dixerim; facit hoc singularis utriusque Minervae peritia, quae sic eminet, ut quae excellat, dubium sit. Dignare te mihi esse praeceptorem; praebebo ego discipulum, si non idoneum, benevolum saltem. — Significa *Leoni*, me non posse advenire. M. *Erasmum*, *Binderumque* [4] saluta! Vale, doctissime *Zuingli* Helvetiae totius ornamentum! consule boni nostram ad Te scribendi temeritatem et amplexabimur tuam rescribendi ad nos dignationem. *Bas.* 10. Mai.

---

[1]) *Eremi*. [2]) *Falkner*, Tribunus plebis princeps. [3]) Principio huius anni. Glotherus vix potest superius aliquod tempus spectasse, qui maior iam aetate nunc demum sacerdotium auspicatus esset exiguumque beneficium habuisset. Myconii notus fuit Falknerus. [4]) *Erasmus Fabritius* et *Georgius Binderus*.

XXVI.

VALENTINUS CURIO [1] ZUINGLIO S.

Ecce iuxta datam nuper fidem *Lucianum* conglutinatum Tibi mitto. Dignus profecto liber est, qui a Te h. e. vero germano lectore suo tractetur. Habes, inquam, *Hussitae* damnatum libellum qui inscribitur: de causa *Boëmica*, item disputationem *Lutherianam* [2] cum dialogis quibusdam *Huttenicis*, quos dispeream si non legisse voles: tam pulchre seculo iam nostro conveniunt. Proinde ad Te redirent quamprimum curavi, etiam iamdudum persuasum habens, Te optimum nonnisi in optimis libris versari posse. Ceterum *Luciani* pretium ex praesentium latore (5 aureorum videlicet) Tibi nuper significatum opinor: tanti enim et non minoris, citra iacturam, vendibilis exponitur. Sed tamen ut amicissimo alioqui mihi etiam in hoc satisfacerem, volui reliquos iamiam nominatos libellulos auctarii nomine addere, ut essent argumentum meae erga Te sincerioris amicitiae, quam perpetuam semper fore cupide desidero. Bene vale, atque si quid in rem tuam *Curionem* efficere voluëris, persuasum habe, eum imperio tuo pariturum. *Bas.* Vigilia ascensionis (medio Maio) 1520.

XXVII.

HEDIO ZUINGLIO AMICO INCOMPARABILI S.

Ἀνεμώλιον fuit, *Zuingli* eruditissime, quod quidam divulgarunt de *Martino Luthero*. Optime habet et pergit σῶσαι τ' εὐσεβῆ γράμματα. Video masculum tuum pectus ut firmaveris in omnem eventum. Sequar Te, quoad potero, diligentissime. De oblationibus quis pius non Tecum sentiat? Ex canonibus Graecis idem ferme olim mihi disseruit *Capito* noster. Agnosco ὅτι λαλεῖς ἀληθεύων, καὶ οὐκ δολοῦς ἐν γλώσσῃ. Et cave putes, ne quicquam tui male consulam, aut quod suspicer, te quicquam dicere praeter S. Scripturae autoritatem et rationem. Sincerissima omnia. Sed coram multa! Brevi aderit *Erasmus*. *Heri* [3] literas vidi *Frobenio* scriptas. Cùm adveneris aperiam tibi penetralia pectoris mei, et te utar, non tantum fratre, sed praeceptore. Mira tibi refero. *Oecolampadius*, si vera est fama, factus est Monachus, secessit in ordinem divae Brigittae. Miror equidem quid hominem huc adegerit, tametsi non ignoraverim illum huiusmodi diu versasse animo. Alemannica illa *Lutheri*, ad te mittam, quamprimum fuerint excusa. Vale et gratia Dei tecum. Expectabo laborem tuum in capita Matthaei. Commenda me omnibus bonis viris, inprimis *Leoni* nostro et eius *Moecenati*. [4] *Capitoni* quoties scripsero, habebo tui memoriam. Raptim. *Iac. Nepos* uxorem duxit, puellam elegantem. Habet quo se oblectet post ardua studia. *Bas.* postridie ascensionis. (Maio medio.)

---

[1]) Bibliopola Basileensis [2]) *Lipsiae* cum *Eckio*. [3]) *Io. Herus*, *Clavennensis*. [4]) *Leo Iudae* et *Abbas Rechberg* Eremi aut huius vicarius *Geroldseck*.

XXVIII.

MYCONIUS ULRICO ZUINGLIO, ERUDITISSIMO PAROCHO TIGURINO S.

Miror, dum apud nos in plerisque conviviis intersis, maxime conventus nostros celebrantibus, ut nunquam ad me venias, cum te tam intimum habeam et contra quoque de te idem sperem. Sed forte haec causa, quod, quamvis intersis, absque tamen ore interes, absque manibus, absque pedibus, ut neque inter haec loqui possis, neque ad me venire. Quare mirari desino. Sed non desino indignari his, cum quibus sic versaris. Evomunt contra *Zuinglium*, non quidem vera male interpretantes, sed omnino pervertentes. Haec qualia sint, audies forte a *Glareano*: [1] is namque in convivio erat, ubi talia evomebantur, et a *Grebelio*, [2] apud quem pariter effutitum est. Dicebaris olim vocem habere, quae tam esset obscura, ut quae diceres, vix ad tres audirentur passus. At video mendacium id esse, cum audiaris per totam *Helvetiam*. Vinum fortassis *Tigurinum* ita gutturis ob acrorem aperuit organum, ut Stentorem nunc voce referas. Sed quid nugor in re apud me tam seria? Vere dico, nihil esse ferme omnium, quae mihi possunt accidere, vehementius movens, quam dum *Zinglium* audio dilacerari, imo non *Zinglium*, sed Evangelium. Nam quid ille dicit, quod non sit Evangelicum? Aiunt, res Helveticas (scis, quae illae sint) [3] nihil ad Te pertinere, sed Evangelium interpretari, proponere populo, hortari hunc et dehortari; sed brevibus, non singulis concionibus idem repetere, tanquam data opera nihil statuas Tibi agendum, quam Te toti Helvetiae reddere invisum. Quid haec dicendo dicunt aliud, nisi: non pertinet ad *Zuinglium* esse Pastorem, esse Sacerdotem, esse Christi vicarium? Et habent isti ex sacrificis innumeros, qui illa adprobant subinde dictitantes: Sacerdotes deberemus Sacerdotes esse, neque nos immittere rebus seculi. Habent Proceres nostri prudentiam, habent experientiam rerum tantam, ut sciant optime, quid faciendum, quid non faciendum sit. Tanquam hoc sit agere sacerdotem, cum neque exemplo bono neque doctrina ab nequitiis dehortamur populum, cui tamen ita sumus praepositi, ut via ad coelum per nos solos indicetur atque impleatur, quo ille et recta nos sequatur et libenter, cum videat nihil periculi huic itineri inesse. Ecce hominum nugamenta, qui ne nihil dicant, obloquuntur, ut aliquid agant. Ego quoque non alia causa haec scribo, quam ne nihil tecum colloquar. Scio quam Te nec tantillum moveant, ad ea iam olim adsuetum. Scio etiam nihil novi perscribi. Frequens hoc circa aures tuas murmur. At quia *Grebelius* legatus admonuit, ut tibi scriberem, hoc scripsi, nullum interim argumentum habens. Tu vale et perge feliciter, meque ama. *Lucernae* vigil. Pentecostes.

---

1) Qui aquas Favarias petens *Lucernam* in itinere visit. 2) *Grebelius*, pater, senatorii ordinis, qui legatus Tigurinorum comitiis Lucernae interfuit. 3) militia mercenaria, annua externorum principum dona.

XXIX.

CASPAR HEDIO ULDRICO ZUINGLIO
EVANGELICO HOMINI, MEO INCOMPARABILI S. in C.

Glareanus noster narravit abunde, quam me ames, carissime *Zuingli*. Quod iam non scripseris cum illo, negotiis, quibus es occupatissimus, tribuo. Gavisus sum plurimum, quod forti animo Tu et cives *Tigurini* resistunt quaestui Monachorum, sive avaritiae, utut visum fuerit appellare. Nam pessime de illis *Quadus* dixit, qui inique tractant virgines suae curae commissas. Fuerunt iam multis annis impudentes, et erunt, quamdiu inutiliter presserint terram. *Capito* nonnihil negotii cum illis habuit *Moguntiae*, ut ubique sunt θερμουργοὶ καὶ μεγαλαυχούμενοι. Sed bene vicit, quantum ex literis illius proxime ad me datis intelligo. Evangelium illic annuntiat, ad quod avidissimi convolant. Patronos habet humanissimos. Magna libertas est, et elegantioris literaturae multi sunt ex magnatibus studiosissimi. Ubique feliciter incipiunt habere literae. *Petrus Mosellanus* expulsus aliquamdiu a Sophistis iam agit rectorem studii *Lipsensis*,[1] ubi quatuor sunt, qui publice profitentur graecas literas. *Wittenberga* floret *Martino* et *Philippo*. Apologiam scripsit *Lutherus* contra duas Universitates *Coloniensem* et *Lovaniensem*. Videbis brevi. Mitto Tibi dono *Lutherum* impressum vernacula lingua; intra octavam diem aut 12 excusus est. Citius misissem, si adfuisset, qui portasset Tibi. Boni consule quod bono animo ad Te do. Invenies de censibus etc. Pergo in Evangelio. Ferendum nonnihil a Mataeologis ob honorem Christi. Tu beatus plane, qui non tuis solum, sed toti patriae Helvetiorum prodes. Nemo Te non suspicit. Sic itur ad astra. Equidem conabor pro viribus, quicquid in me fuerit ne omnino male collocem. *Beatus* nondum adest aut *Erasmus* Fieri potest, ut hac aestate te semel invisam. Adeunda est *Constantia*. Vale in Domino, carissime frater, *Basileae*, subito Dom. post corpus Christi. 1520.

Tuus *Gaspar Hedio*.

---

1) *Petrus Schade*, a natali ad Mosellam dictus *Mosellanus*, filius parentum pauperum in *Trevirano*, alumnus *Caesarii* et *Herm. Buschii*, *Coloniae*, cui *Georgius*, dux *Saxoniae*, 1514 professionem linguae Graecae in universitate Lipsiaca commiserat, consimilis Erasmo, amico suo, favens reformationi eiusque moderatis cultoribus, disciplina tranquilla ac subtiliore eruditione rem auctam volens, praesertim commentatione librorum N. T. Adversariis contigit, ut ipsum ad tempus quidem pellerent loco; sed Georgius, dux, quamquam infensus Luthero, restituit virum rectoremque fecit universitatis. Lutherus de eo: Propterea non aversor hominem, quod Erasmum, quam me sectari mavult: aliter olim sentiet. Et ipse de suo studio pulchre sic testatur: „Ut optimi cuiusque et doctissimi calculo probatus, tandem mentem disciplinis his elegantioribus a mundi sordibus repurgatam, Christo Iesu verae sapientiae fonti divinae doctrinae scatebris irrigandam supplex offerrem.“ Capitonem Lipsiam trahere tentavit; *Iulium Pflug* discipulum habuit. In notitia, quam dedit disputationis Lipsiensis, Carolostadii modestia subtilitasque laudatur. Obiit 1524 aetate florente annos 31. natus. (Seckend. Gerdes. et alii.)

XXX.

MYCONIUS ZUINGLIO S.

Literas tuas postremas in lectulo legi valetudinario, ut ita dicam. Sed valeo nunc Dei benignitate satis bene. Timueram me a febre correptum: ita morbus cum magno frigoris impetu irruebat, et omnia febris signa portabat secum. Verum ita nunc sum, ut nihil mali suspicer amplius. Accepi literas nuper ab *Hedione*, in quibus erat scriptum, quam efficacibus argumentis ipsum adhortareris ad praedicationem Christi, ut non posset non maxime obtemperare tibi; etiamsi alioquin res contra sese foret. Ad quam, quum sua sponte esset pronior, non posse dici, quantum nunc tuis adhortationibus adcesserit. Sed iterum peccasti. In festo crucis inventae pro concione dixisti: *Augustinum* caecutire aliquoties. Id quod huc detulit vetulus quidam Magister *Parisiensis* cum tanta admiratione, ut qui audierant ignari sacrifici, peccatum in Spiritum Sanctum perpetrasse te omnino putarent. Hoc scribo non secus, quam aliquoties dixi olim, ut scilicet rideas. Ego enim satis id audiens risi. Miror tum hominum iudicia tam esse nihil, ut nugas tantillas rem ita grandem esse putent. Insuper comparationem inter *Augustinum* et *Chrysostomum* quidam ausus erat proferre. Mirum, quantum *Chrysostomum* cedere oportebat. Argumentum eorum perpetuum, sententias cum proferunt, librorum multitudo et disputatio de variis rebus. Non considerant quam bene, sed quam multa quis scripserit. Ob hanc unam causam invenio quosdam melius velle *Luthero*, (cui tamen pessime volunt, imo qui dicunt hoc sibi accidisse, dum *Lutherum* semel legerint, ut putarent stubellam suam plenam esse daemonibus, quod aliquid tam nefandum inter legendum occurrerat) ob hanc, inquam, causam melius volunt *Luthero* quam *Erasmo*, quia *Augustinum* non sic reiiciat ille. Ne rideas rogo. Ridiculosius namque est, quam ut ridere debeas. Quae *Lutherus* de censibus scripsit, non vidimus. Sed venient forte ad nos quoque, postquam nemo non legit. Nihil habeo novi, quod tibi scribam, nisi quod admodum timeo *Helvetiae* nostrae. Tu semper fac, quod officii tui est. Adhortare bonos, ne malis sese commisceant. Vale, meque redama. Uxor, filiolus omnesque mei et tui tibi precantur optime. Sodalitium tuum nomine meo salutabis plurimum. *Lucernae* 4. Id. Iun. (10. Iun.) 1520.

Myconius tuus.

XXXI.

ZUINGLIUS VADIANO SUO S.

Transmisi *Basileam* tuam ad *Dorpium* epistolam, *Ioacime* doctissime et carissime, altera mox die ab ea qua acceperam. Bene vortat! Aiunt enim hominem esse cothurno versatiliorem: ita quibusdam omnis est angusta nimis gloria, nisi summi habeantur. Torquet nimirum hominem splendor *Erasmicus*, a quo tamen posset lucis plurimum mutuari, si gloriam, quae a Deo est, quaereret. Quod quia non facit,

torquetur invidia et fame gloriae haud secus quam Iudaei, qui quod gloriam humanam anxii quaererent, et ob id in perfidia perstarent, a Christo merito audierunt: „Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quae a solo Deo est non quaeritis, quae nimirum humilitate et simplicitate in coelis, non hic, comparetur?“ *Glareanus* optime Tibi precatur, iterum atque iterum se Tibi commendans: nam quod ad *Basiliense* studium attinet, non nihil est: quanquam in herba res adhuc haereat, bene tamen speramus. Libellos curabo quos cupis ut habeas quandoque. Rem autem facis Te et christiano viro dignam, si festis diebus in his lectitandis verseris magis quam in cursibus istis et frigidis et desidibus. Nam christianum oportet hominem non ut ethnicum summam in multiloquio spem ponere, sed in vitae integritate, quae cum caritate Dei primum, deinde et proximi coniuncta est, quam nullibi tum felicius tum facilius assequemur, quam dum huiusmodi legimus, qualia Tu petis, in quibus et Pauli et sanctorum Patrum non modo spiritum spirare percipis, sed et ignem charitatis flagrare sentis, quo demum ipse afflatus ita ardeas, ut et alios accendas atque illumines. Libellum *Hussitae*, qui de Ecclesiae capite inscribitur, vidi et *Secretario* [1] nostrae urbis commodavi, ut iam non facile fuerit ad illum recurrere. At quantum primo gustu unius aut alterius paginae potuimus assequi, videtur esse haud ineruditus, et hominis esse, qui supra suae aetatis alios eruditione antecelluerit; quanquam quid opus est iudicium nostrum scribere, quum tamen cum eo nobis res sit, cuius potius iudicium debeamus exspectare, quam ferre; sed natura forsan comparatum est, ut quae nobis maxime placeant, tum sint maxime placitura, cum eorum quoque calculus accesserit, qui ut sunt inferiores, non sunt etiam ita ab eodem instituto alieni, ne scilicet nimium sibi quivis fidat. Ecce quantum tuo in nos animo fidamus. *Eccius Romae* sit, Bullas excitet et his maiores persecutiones: bullae tamen erunt, etiamsi ad eos usque pertineant, qui illis sint indignissimi, quod didicerint scilicet eos contemnere, qui corpus occidunt. Frater *Casaeus* (nam *Caseum* haud decorum est adpellari) valeat cum suis nugis: ego enim eas nauci faciam. Quapropter Tu quoque hominem ita tractes velim, ut plane videat, et se et sua contemptum iri, si vulgaverit. [2] *Erasmus* nondum *Basileam* venit; mox autem ut venerit, rescies et Tecum consultabis, anne velis cum D. *Administratore* ex *Eremo* et *Francisco*, [3] *Utingero*, aliis, nobiscum *Basileam* ad illum descendere; id quod illis constitutum iam est, ubi ille venerit. Novarum rerum haud quicquam est quod Te magnopere scire cupiam, quam quod Helvetiis omnibus male timeo, studiis ita in diversa trahentibus. At hoc

---

[1]) *Ioachimus am Grüt* aut *Frey*. [2]) *Käserus*, praedicator *Sangallensis*, unus de viris obscuris, ob petulantiam suam et ignorantiam contemtus pariter ac ridiculus, praesertim quum probra iactaret in Erasmum atque etiam in Zuinglium, ut ex hac epistola perspicitur. Vadianus expostulavit de eo cum *Fabro*, Vicario Generali, qui hominem commendaverat Sangallensibus. Hic rescripsit: „Relega asinum in Arabiam!“ et vero mox dimissus est. (Wirz, Myc. et Faber ad Vadian. [3]) *Zink*.

non novum, nec apud Te inauditum. [1] *Margarita Zilinæ*, soror nostra in Christo, salva optetur nostro nomine. Meditor quotidie aliqua ad hominem scribere, sed vetant negotia quotidie. Opto Te frater in Christo cum uxore semper bene valere. Salvi sint amici tui omnes et mei. Ex *Tiguro* 19 die Ian. 1520.

Inscriptio: *Ioacimo Vadiano*, viro doctissimo et amico integerrimo.

XXXII.

ZUINGLIUS MYCONIO S.

Mitto *Erasmi* pretiosissimam ab exemplari descriptam, quod ipsum improbe descriptum erat, et epistolam *Eccii* quam ad *Vicarium Constantiensem* misit, cum capite *Hussi:* de ecclesia. Quae posteaquam legeritis, remittas velim. *Xylotecto* omnia communica! At quid opus ista iubere, cum omnia, ut reor, sint nobis communia, quae ad literas pertinent et amicitiam. Nunc non datur plura scribendi locus, quam ut hanc *Eccii* epistolam, si aliquibus communices, non tamen ex me habere prodas. Quidam enim dederat, ut legerem, non ut describerem; et ubi invenies dictiones aliquas plus quam barbare scriptas, scito hoc dedita opera a nobis factum, ut hominem barbarum et fastuosissimum imitaremur; nec tamen in universum tempus fuit imitari: mox reddenda erat. Ex prototypo enim descripsimus, ut fastuoso ita infantissimo. Commendo me Tibi, ut nostris amicis communibus quoque commendes. Vale. Salvi sint omnes tui. 6. Iul. 1520.

XXXIII.

GLAREANUS ZUINGLIO SUO S.

Veni *Lutetiam* non omnino salvus, suavissime *Uldrice!* Nam Gryllus equus meus misere mecum ceciderat, laeseratque testes ut mirum intumescerent. Ad haec iter intermittere non potui ob pueros et expensas. Verum nunc revalesco, cogitabundus sane, quo res *Basilicensis* cadat. Tu si quid inaudieris, ubi haereat, et quis remoretur, tum si quid ad articulos addendum, mihi cum erit otium rescribito, enixe oro. Et *Bero* [2] quidem quantum confidendum, multi dubitant. Ego certe quae de eo fama sit, ingenue dixi, adiecique, si volet negotio-

---

1) Lites de iuramento foederis, mox compositae, et actiones de expeditione pro Leone, qua de re item convenit. 2) *Ludovicus Bär* (Berus), Basiliensis, (non confundendus cum *Oswaldo Bero*, coaevo ex *Athesis tractu*) Professor Medicinae Basileae, sub finem seculi XV natus. Eius Pater, senator, in praelio apud Marignano signifer, ibi occubuit. Berus puer adhuc *Lutetiam* venit, ubi Theologiam doctus Doctorque creatus; 1513 professor Theol. Basileae factus; tum Canonicus ac praepositus monasterii ad S. Petrum, ac rector universitatis. 1526 unus de praesidibus fuit in disputatione *Badensi*. De eruditione ac reformatione sensit in eaque causa se gessit perinde ut familiaris eius *Erasmus;* quocum et *Glareano*, quum *Basileæ* 1529 reformationi accederet, *Fryburgum Brisgoviae* demigravit, ubi 1554 mortuus est. (Athenae Rauricae.)

tium impedire, me incipere nolle: neque enim mihi unquam cum eo contentionem fore aequalem in urbe, ubi sit civis, atque ubi eius est Senatus. Is respondit, neque se unquam bonis literis opposuisse, neque impediturum rem meam, imo adiuturum omnibus viribus, et ut neque antea ei credam, donec ita omnia inveniam, adiecit. Habet D. *Felix Grebel* quos scripseram articulos certe intra 4 horas utcunque consarcinatos. Quorum tamen non poenitet, si integrum lectorem sortientur. [1] Doleo mihi rem esse cum iis, qui facilius persuasione eorum hominum ducuntur, qui multis annis, cuius modi animo sint in Rempublicam *Basiliensem*, declararunt. Nec tamen ii animadvertunt. Tametsi, ut verum fatear, neminem vidi, qui contra nitatur, saltem ex civibus; quin omnes gratulabantur voluntati meae adeo promptae atque benignae. Quod si in urbe *Basiliensi* unus contigisset aut alter *Zuinglius*, iam in vado res esset. Spero tamen omnia recte, praesertim cum civitas *Tigurina* sua autoritate accessit, quae mihi semper voluit bene, idque expertus sum multis annis. *Valentino* [2] Te facile purgavi: nam coram vidi, quanta familia oppressus sis. [3] Salutat Senatus Populusque Romanus, [4] inprimis vero quaestor *Ursus*, *Galataeus* aedilis et *Herus*. [5] Salutabis rursus nomine nostro *Secretarium*, *Praepositum*, *Binderum*, *Luchsingerum*, *Sprossium*, *Utingerum*, *Andream* fratrem, et inprimis omnes Tecum graecissantes; quod bene vertat iis Deum immortalem precor. Futurum auguror, ut *Tigurum* multis Universitatibus non cedat. Sed nunc Tibi et immensis laboribus tuis acceptum referri debet. Vale et me ama! *Lutetiae* ad Non. Iulias.

Si literae aliquot, quae *Lucernam* mittendae sunt, in domum tuam venerint, si Tu commode non potes, fortassis *Ammannus* poterit. Illudque unum exciderat, ut *Cardinali* me unice commendares, tametsi hoc absque commendatione, quae tua est humanitas, eras facturus. Sed iam vale! Neque enim illi scribere audebam. Verum abunde novit ille *Glareanum*.

XXXIV.

IACOBUS AMMANNUS D. HULDRICO ZUINGLIO, VIRO ET DOCTISSIMO ET AMICISSIMO S. D.

Ex literis partim tuis, partim paternis, mi carissime *Zuingli*, in-

---

1) Epistola Glareani ad Myconium sub 7. Iul. quoque consilium planius declarat. Cum suis discipulis Basileam transmigraturus erat, hasque conditiones proposuit Senatui Basileensi: non postulare ipsum quid stipendii, nullam immunitatem a vectigali; nullum privilegium praeter eam, qua omnis civis frueretur, tutelam; sed liberum collegium, soli senatui (ergo non Regentiae Universitatis) subiectum; ne quis praebendarius ipsi interveniat; ut penes ipsum sit quoslibet auctores interpretari; ut vicarium ipsi Lutetiae habere liceat; ut unus quisque discipulorum pro solito quatuor scutatos numeret; de numerationibus (obscurius dictum); licentiam propria optione praeceptores eligendi. Hoc vero institutum in praesentia ad effectum non pervenit. 2) *Tschudi*. 3) Ex hoc aliisque locis intelligitur Zuinglium domi habuisse numerum alumnorum. 4) Sic vocat Glareanus suos alumnos, de quibus praecipuos titulis magistratuum Romanorum decorabat. 5) *Ursus Hub*, Tigurinus; *Galatinus* et *Herus*, Claronenses.

telligo amorem in me tuum incomparabilem, quo nil me Hercle mihi hac in vita aut optabilius aut iucundius potest accidere, quam ab eo deamari, qui doctus iuxta ac pius sit, idque supra fidem. Plurima sunt tua erga me officia, inaudita quaedam benevolentia ac amor, cui fortasse in redamando par sum, cum innumerae tuae alioqui beneficentiae respondere haud queam. Dabitur tamen opera, sicubi facultas aut occasio sese mihi obtulerit. Obsecro Te etiam atque etiam, doctissime *Zuingli*, atque adeo mi frater, ut si quando pater in consilium Te adhibuerit, id suadeas potissimum, quod illi nec inhonestum, mihi utile ac laudabile futurum sit. Audio *Conradum Grebelium*, meum, ni fallor, amicum, dudum in patriam remigrasse, quod sane eius causa plurimum gaudeo. Tu, si illi tecum aliquid familiaritatis intercedit, ut intercedit nimirum arctissima, utpote studioso cum studiosissimo, meis verbis diligentissime salutabis, et *Binderum* quoque, breviter omnes tuos amicos, idque unum in praesentia Tibi persuasissimum habe, Te a me amari, quantum aut pater aut frater. Salutat Te et *Clivanus* et *Caspar Eleutherius*.[1] Vale, mi carissime *Zuingli*, atque me, ut facis, ama. *Mediol.* 10. Cal. Aug. 23. Iul. 1520.

Alias, quas vides tuis adligatas literas, *Primlüter* quem vocant, dabantor, ratus non inofficiosum ad amici epistolam respondere.

XXXV.

RUDOLPHUS CLIVANUS D. ULDRICO ZUINGLIO, VIRO DOCTISSIMO INTEGERRIMOQUE AMICO INCOMPARABILI S.

Etsi iure quidem impudentior cuiquam videar, doctissime vir, qui te Christi negotiis adeo intentum interpellam, tamen singularis tua eximiaque humanitas, ac meritorum in me tuorum cumulus, etiam verecundantem id facere impellunt. Maior enim est amor erga te meus, maior tua in me benevolentia, quam ut non mecum perpetuo, quoquo terrarum vixero, tu quoque victurus sis. Vivo autem nunc *Mediolani* apud *Ammannum*, doctissimum et integerrimum iuvenem; imo si verum fatear, *Mediolani* quidem sum; sed apud *Zuinglium* meum vivo. Nam dici non potest, quam Tu utrique in ore sis, de utroque enim optime meritus. Attamen dii facerent, quo meum adversus Te animum non verbis duntaxat declarare aliquando liceat, aut verbis tanto talique amore dignis. Abs Te vero unicum id expostulo, ut quam facile, quam benigne tua me tibi iunxit humanitas, ita et posthac tam integre clementerque conservet. Vale. *Mediolani.*

R. *Clivanus*, perpetuo tuus futurus.

XXXVI.

IAC. NEPOS DOCTO AC PIO CONCIONATORI, ULDRICO ZUINGLIO, AMICO INTEGRO S. D.

Novi nihil apud nos est, praeter dialogum *Hennonem* rusticum

---

1) *Caspar Frygius.*

nomine, nec nisi unum exemplar. Mox ut spero arte chalcographica disseminabitur. In hoc summi pontificis legatus, non aliter quam olim *Iulius* iste, suis depingitur coloribus.[1] Stilus non multum abest ab illius, qui Iulium edidit. Brevi *Erasmi* nostri Antibarbari emittentur. M. *Henr. Glareanus* hinc discedens mihi pollicebatur, se curaturum, ut tres saltem iuvenes ad me mitterentur; quid fuerit impedimento, me latet. Iam audio tres puerulos, quos D. Rev. *Cardinalis*[2] huc missurus est, superesse. Si id tuum esset consilium, aequam inirem conditionem. Tu tamen pro tua humanitate in hac parte multum prodesse posses; quod ut facias obnixius peto, si Tibi non incommodum. Nec plura expectam, quam alii. Omnia hic cara sunt, nec posthac aliquis 10 aureis victum sibi emet, ut olim. Primum *Theodori* Grammatices librum, aliquot praeterea *Luciani* (dialogos) additis Epigrammatis Graecorum selectis, interpretor; 20 sunt auditores. Vale et me mutuum ama, aut te amare sine. Dominica ante divi Iacobi. (ante 25. Iul.)

Tibi addictus, *Iac. Nepos.*

XXXVII.

HULDRICHUS ZUINGLIUS MYCONIO SUO S.

Angit animum tuum, *Myconi* charissime, expectatio nostrorum temporum, quibus omnia sursum deorsumque moventur, omnia miscentur, ita ut nativam faciem nullius sit agnoscere; rursum ita confusa omnia, ut nihil proferre caput queat, cuius non contrarium vel diversum e regione emergat; unde cuilibet perspicacioris ingenii, ut spes nascitur, ita illi coniunctus metus ob oculos versatur. Nata pridem est spes omnibus humanitatis candorem amantibus, reditura haec secula, docta scilicet, quibus tantum non omnes vulgo etiam doctos fuisse suspicari licet; at eam e diverso spem evertit pervicax quorundam inscitia, ne dicam impudentia, omnia passura priusquam doctum aliquid et elegans admittat, ne scilicet eius inscitiae naevi appareant. Hanc iuvat Mavors, ὀξυφρόνεσι semper infensus. Nata est et spes non modica renascentis Christi et Evangelii, cum non pauci et boni et docti viri remis et velis (quod dicitur) eo contenderunt, ut sementem ad maturitatem frugemque perducerent. At eam infirmat zizaniorum conspectus, quae inimicus homo dormientibus et male cautis superseminavit; et cum iam radicem altius egerint, metuendum, ne et tritici radices amplexa sint, ut iam illud ab his ἀκινδύνως repurgari nequeat. Quo igitur modo huic rei consulendum erit, inquis? Christum audi: Sinite utraque crescere, inquientem, usque ad tempus messis; et tempore etc. Sic oportet, circumspectissime *Myconi*, aurum igne colari, sic argentum a terra purgari; sic Christus apostolis dixit: „In terra pressuram habebitis;“ et iterum: „Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum;“ et: „Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo.“ Filii Israël tametsi promissam olim terram habitarent: Philistinis tamen

---

1) Dialogus *Hutteno* vulgo adscriptus. 2) Schinnerus.

nunquam caruerunt, qui eos exercerent, qui ad εἰδώλων culturam illicerent praeceptorumque Dei praevaricationem; qui ex Israël gentiles eos facerent. Sic nobis nunquam deerunt (Christianus dico), qui Christum in nobis persequantur, etiamsi Christi nomine fastuosissime incedant. Nam Christianus solus ille est, qui eam notam habet qua Christus suos signavit, quum diceret: „Hoc veluti symbolo omnes cognoscent, quod discipuli mei sitis, si feceritis quae vobis a me praecepta sunt.“ Quod si qui magis parent humanae quam divinae legi, iam tales deprehendes Christi nota carere, si eius posthabeant suis praecepta; unde si quid ab illis tibi ingeritur, intus tibi canes: Hae sunt muscae Aegyptiacae, hi Cananaei, Pheresaei, Amorraei, Hethaei, Iebusaei, qui sibi te vendicare student; hi contra quos pugnantem corona manet. Militia est vita hominis super terram; armis igitur munitum Paulinis oportet strenue in acie pugnare eum, qui cupit gloriae particeps fieri; mundum hunc, in altum se tanquam Goliath erigentem, tribus limpidissimis lapidibus prosternere. Et quum tanquam obiiciens inquis: Quid docebimus nostrae fidei commissos, cum videmus inaniter operam ludi, nullis aut paucissimis Evangelio vel doctrinae apostolicae parentibus? Tanto inquam enixius tibi laborandum est, ut hanc pretiosam margaritam, vulgo aut spretam aut neglectam, sua tamen quadam pulchritudine nitentem, quamplurimis potest, ostendas, ut eius amore capti, divenditis omnibus, illud comparent. Nonne Christus semen in quatuor divisum esse partes dixit, quarum una solum in terram bonam ceciderit? Nonne ignem se venisse in terram ut mitteret, asseveravit? et quem velit omnino accendi? Quem autem alium rectius dicere poterimus hunc ignem, quam in malis perseverantiam; qua parentes ad perfidiam retrahentes etiam odio habemus, imo fratrem in mortem nos tradentem ferimus? Nonne hic ignis est, qui unius cuiusque opus quale sit probet, num pro mundi gloria prodeat in pugnam, an pro Christi? Nam si pro illa: stipulae comparabitur, quae mox ut ignem probationis senserit, in fumum redigetur, et eius memoria cum sonitu peribit; si pro hac: supra petram tanquam prudens pater familias aedificabit domum suam, quae petra (Christus scilicet) dum in ignem proiicitur, adustionem non sentit. Sic omnes qui supra illam aedificati fuerint, qui pro illius, non pro sua gloria pugnant, illaesi permanebunt in aeternum; quos scilicet neque mors neque vita neque gladius et cetera quae apostolus annumerat, a charitate illius separare possunt; quos item ipse Christus ad triumphandi aemulationem hortatur dum inquit: „Confidite quia ego vici mundum.“ Quid hoc est: „Quia ego vici mundum?“ Num et *ego* propterea vici? Imo in ipso vicimus, quia ipse vicit; sed in eo vincimus. Non enim sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis tanquam etc. Unde dixit ille, qui verax est: Confidite; quasi diceret: Si in me omnem fiduciam ieceritis, vincetis et vos, ut ego vici; ergo confidite! Haec omnia vobis eo dicuntur, ut currentem quod dicitur incitem, eoque properantem, ut plurimos Christo milites conscribat, qui sint olim strenue pro illo pugnaturi; ut eos magis ac magis animet, ut velint quanto saevius persecutio pulset, tanto minus terga dare. Nam ut et hoc tibi promam: Ecclesiam puto, ut sanguine parta est, ita sanguine instaurari,

non alia via, posse. Docebis itaque tuos semper Christum; imo quo magis in eius Ecclesia rudera nasci cernes, eo plures armabis Hercules, qui fimum, tot hactenus boum, efferant; non cunctabundi neque fastidiosi, etiamsi gryllorum examina illos circumstrepent; quippe mercedem non in hoc mundo expectantes, et ex hoc nihil offensi, si hominibus maxime displiceant; dummodo secum mussitent: „Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem," et ut omnia summatim dicam: „Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam" etc. Nunquam mundo conveniet cum Christo; et retributio illa Christi cum persecutionibus promissa est. Suos ille misit tanquam oves in medio luporum. Vide frater, qua via possis sperare ovem Christi te esse; ea nimirum, si tibi pro Christi gloria nihil non facienti, nihil non patienti, improba luporum gens mortem intentent; si dentibus frendant, unguibus lacerent. *Lutheri* vitae parum timeo, animo nihil, etiam si fulmine Iovis istius fulminetur; non quod excommunicationem contemnam, sed quod putem damnationes istas magis corpori quam menti infligi, si iniquae infligantur. Aeque autem an inique cum *Luthero* agatur, nostrum non est decernere. Ipse tamen nosti, cuiusnam sententiae sim. Ego his diebus *Guilielmum* Pontificium Commissarium adibo,[1] et si sermonem de hac re serere coeperit, ut paulo ante fecit, suadebo, ut Pontificem admoneat, ne excommunicationem ferat; quod putem hoc maxime e re eius futurum.[2] Nam si feratur, augurer *Germanos* cum excommunicatione Pontificem quoque contempturos. Tu vero bono animo esto; nunquam decrunt nostrae tempestati qui Christum germane doceant quique vitam sint pro illo libenter expensuri, etiam si apud homines pessime post hanc vitam sint nomina illorum auditura: id quod iam olim coeptum est, nempe: haereticus fuit, seductor, nequam. Apud talia dicentes enim seductores reputantur; at veraces erant. Ego quod ad me attinet, dudum devotus expecto omne malum ab omnibus, Ecclesiasticis dico et Laicis; hoc unum Christum obtestans, ut masculo omnia pectore ferre donet et me figulinum suum rumpat aut firmet, ut illi placitum sit. Si excommunicabor, memor ero *Hilarii* doctissimi et sanctissimi viri, qui e *Galliis* in *Africam* relegatus fuit, et *Lucii*, qui a *Romana* sede exturbatus cum multa gloria rediit. Non quod me illis comparem, sed quod his me sim solaturus, ut longe melioribus nobis, ita longe indignissima passis; et si forsan gloriari expediret, gauderem pro nomine Christi contumeliam pati. Sed qui se putat stare, videat ne cadat! *Lutheri* nunc ferme nulla legimus; at quae vidimus hactenus, in doctrina evangelica non putamus errare. Scis hic si memineris, qua maxime illum gratia commendaverim: quod scilicet sua non levibus testibus firmet etc. Quae de *οἰκονομίᾳ* percunctaris, mihi abs te petenda erant; at ne videar morem non gessisse, dicam quod tumultuarie introspicienti visum sit. Nam ad calcem a capite nunquam legimus haec *Melanch-*

---

[1]) *Guilielmus a Falconibus* vid. Ep. IV. [2]) Sero quidem: nam 15. Iun. bulla excommunicatoria iam expedita erat; licet Eckius eam 3. Oct. demum ad universitatem Vitebergensem transmiserit eiusque rector adventum renuntiarit Electori.

thonis Rhetorica; unde veniam putamus nobis iustius deberi, si quid hallucinemur. Dixerat de elocutione sublimi, mediocri et humili; vult deinde tanquam notas aliquas ostendere, quibus quodlibet horum trium generum possimus agnoscere, non modo ab ipso orationis filo, sed a re ipsa, quod nimirum autores putet ita providos fuisse orationis dispensatores atque dictionis, ut non humili stilo, aut languida orationis vi sublima describere sategerint; rursus nunquam ita sui oblituros, ut grandisono stilo rem humilem magis interimerent ac suffocarent quadam orationis maiestate atque fastu, quam explicarent. Itaque puto oeconomiam, quae alioqui dispensationem significat, hic pro proprietate, accommodationem; artis autem rudiores stilum vel a materia ipsa posse agnoscere, cui nimirum sit ab autoribus stylus accommodatus. Statui proximis diebus in manus resumere literas Hebraicas: nam futuro Decembri et futura Quadragesima, si Christus velit, Psalmos praelegam rudioribus quibusdam; unde admoneas *Xylotectum*, ut rudimenta *Capnionica* remittat intra mensis spatium. Ad primitias haud scio anne venturus sim, posteaquam *Utingerus* ad *Thermas lotum* abiit; me tamen *Xylotecto*, Organario, tuis omnibus commendo. Confusissimae huic epistolae precari oportet ut parcas: nam tantus circum aedes nostras strepitus nasci coepit, ut plerumque mihi vix constem, simque aliquo, quocunque gentium quandoque migraturus, si non liceat maiori commoditate literis operam impendere. Tamen haec tacita sint apud te! Vale in Christo. Ex *Tiguro*, pridie Natalitia Iacobi Zebedaei filii. An. XX.

XXXVIII.

MYCONIUS D. HULDRICO ZUINGLIO THEOLOGO CHRISTIANO EVANGELISTAE TIGURINO AMICO PRIMO.

Nunquam scivi, optime *Zuingli*, quam fueris ad persuadendum in scribendo accommodus, nisi dum proximis literis me convenisti. Tam enim omnem dolorem quem conceperam ob nostra tempora, ademisti, ut interim tranquillissimo fuerim animo. Nescio enim ut unquam interea temporis res illae molestissimae animum tetigerint. Id quod vel hinc potes coniicere certo, quod tam diu nihil ad te querularum solitarum perscripserim, cum tamen Te excepto neminem habeam, ad quem in huiusmodi molestiis confugiam; nemo item sit, qui mihi succurrat. Facit ea res, ut mirum in modum gaudeam, me ipsum consolans etiam de futuris calamitatibus, si quae forte accident, quia tam certum atque praesens refugium adeptus sim. Sed apud Te inquis, non hoc prius novisti, qui me intus et in cute novisti tamen? Non novi fateor, quia nunquam incidit, quod sciam, ubi opus fuerit experiri. Quid potueris dicendo, millies expertus sum; quid vero scribendo, nunc primum. Nihil est hodie, quod insigniter me urgeat, nec quicquam scio futurum, nisi novus lector Minoritarum, qui ante octo dies huc venit, ex *Lutetia*

aliquid ferat novi. Dixit in secunda declamatione sua ad populum, *Aristotelem* se molestius inculcaturum his, qui eius nomini infestiores sint. Quid parturiat nescio; et quicquid tandem est, minime curo. Alioqui veterem ego continuo cantionem repeto: omne tempus hic mihi discendi ereptum, et me in dies stultiorem reddi. Insuper anxie nuper disputatum est apud nos inter pocula: An diabolus homines obsidens substantialiter intret hominem nec ne, adductnsque est locus ex *Didymi* L. tertio de Spiritu S., qui rem negat. Et mihi forte in mentem venerat de angelo bono, qui eiusdem substantiae cum diabolo videtur esse; nunquam tamen dictum est, illum substantialiter intrasse hominem. *Didymus* apud illos, adversae partis dico, nihil fuit, et habetur tamen ab *Hieronymo* tantus, ut eum interpretatus sit, et apostolicum nominet virum. Si quando nugari libet, ad nos tuam sententiam tradito! *Iosephum* historiographum emi his diebus tam inemendatum, ut me poenituerit. Si tuus est correctior, rescribas et videbo quacunque id tandem ratione, ut meus de tuo sanetur. De orationibus quinque nobis relatum est, quas *Huttenus* habuerit contra vel scripserit *Wirtembergium*.[1] Miror quod non ad nos etiam perveniunt. Postremum quod in postremis tuis literis fuit, tam mihi displicuit, ut instituerim propriam de hac re ad te dare epistolam, an forte aliam tibi mentem dare queamus. Vale felicissime in Christo! *Lucernae* XII. Cal. Sept. (21. Aug.) 1520. Salvum Te optant mei omnes.

Myconius tuus.

XXXIX.

SEBASTIANUS HOFMEISTER

M. HULDRICO ZUINGLIO APUD TIGURINOS PASTORI AMICO SUO FELICITATEM!

Volui multoties literas ad Te dare, mi *Huldrice*, quibus testarer, quod Te ob singularem Tuam eruditionem et amo et veneror. Maxime cum sciam (nec me fallit opinio) me quoque in eorum numero, qui Tibi sunt amicissimi. Verum hactenus manum prohibuere tua illa in literis impeditissima negotia. Timui enim, ne importunus Tuis auribus, cultissimis literis addictis, meis obstreperem ineptiis. Et quidem nunc rumpo silentium, amicum confidens quidquam succisivum temporis meis literis insumpturum, quae fortassis tales sunt, ut diffidam pene, eas Tibi placituras. Continuissem me, nisi ingenium Tuum mihi cognitum esset, quod raro sibi excidit; deinde admodum ingenuum ac modestum, ut etiam iniurias patientia vincat. Itaque ex animo dico, quae institui, nihil omnino dissimulaturus. Audivi Te perseverantem veritatis Ecclesiasten. Laudo constantiam et invictum muneribus animum. Placet Christianus ille animus Tuus. Utinam liceret, me Tibi commilitonem esse, apud *Tigurinos* praecipue, ut capite felicis patriae nostrae

---

1) Orationes invectivae in *Ulrichum Wirtenbergensem* 1519. *Steckelbergae* in unum collectae prodierant.

a morbo erepto, sanitas tandem in reliqua membra reciperetur. Amant Te hic multi eruditissimi viri, quibus Te, saepe Tuae eruditionis mentionem faciens, conciliavi. Hortantur, pergas, uti coepisti. Ceterum, quod ad me attinet, simul hortor, ut pergas, modo severitatem illam Tuam in Religiosos parum rescindas, quibus iniquior videris (quanquam meo iudicio non sis) quam ista nostra secula adhuc patiantur. Elapsus (audio) Tibi diabolicum dixisti Inventum, satis ut opinor, licenter apud populum huius modi concionibus, etsi verissimis, nondum assuetum. Scio, scio, mi *Huldrice* omnes (Religiosos) a suo instituto longe decidisse, humana esse figmenta, omnes religiosorum ceremonias iniustissimis causis a Romanis Pontificibus auctas firmatasque, agente Daemone et nostris criminibus demerentibus; sed sustine parum, donec in melius resipiscat mundus. Resipiscet autem, cum M. *Lutherus*, christianus ille doctor, altius eorum mentibus insederit; prope est, ut omnia haec figmenta ad Evangelii terantur lapidem. Quare, quantumvis vera dicas, maiorem tamen, quam pro re, severitatis speciem praebent populo rudi adhuc, et non secus edocto a superciliosis illis Magistris Satanae, hoc est Aristotelicis. Sat sit, Te monuisse. Ex animo scripsi, amicus amico. Tu boni consule quicquid excidit. Vale. Ex *Constantia* [1] XV. Cal. Oct. (17. Sept.) 1520.

Seb. Hoffmeister, *Schaffusanus*, quondam lector *Tiguri* apud Minoritas.

XL.

ZUINGLIUS MYCONIO S.

Audio Te convaluisse, id quod nobis est multo gratissimum, Tibi vero summe necessarium; et ne tam utilem olim futuram sationem brachiorum languor intercipiat, commodaturum Christianis omnibus! Proinde plurima sunt, quae ad Te scribere vel ipse postulasti, vel ego opus haberem, quae tamen omnia in adventum tuum repono, quem quotidie praestolor, sed et domus nostra, quae nunc gestit Te hospitem excipere. Quare cavendum Tibi est, ne eam frustreris. Nam sic liberior erit confabulatio. Iam non plura scribam, quam ut bene valeas, et id unice etiam cures. Salvos opto uxorem, liberos, *Xylotectum*, *Provisorem Nicolaum*, [2] amicos prorsus omnes. *Tig.* 6. Oct. 1520.

XLI.

HEDIO ZUINGLIO.

Tametsi longe a Te absum charissime *Zuingli*, volo tamen praesens esse modo, praesentibus literis. *Moguntiam* me vocavit *Capito*, ubi sum a sacris concionibus, donec redierit a coronatione Regis, [3] et fortassis deinde quoque, si visum fuerit Christo. Nam *Capito* renunciaturus est officio, factus a consiliis Domini *Moguntini*. Quam prosit

---

[1]) Ubi tunc *Hofmeisterus* Professor Theologiae degebat, mox postea *Scaphusium* reversus. [2]) *Hagen Solodurensis.* [3]) 23. Oct.

in ea conditione, vix credis. *Lutherus* in hoc districtu dudum esset combustus, *Lutherani ἀποσυνάγωγοι*, nisi is aliter persuasisset Principi. Miram tragoediam recensuit nobis heri *Buschius*, qui a *Coloniæ* advenit. *Reuchlinus* condemnatus est *Romae* in gratiam Monachorum; triumphant superbissime, schedulis affixis nullibi non *Coloniae* in portis, in Ecclesiis, etc. neque temperant a convitiis. [1] Condemnationis summam lingua vernacula adiecerunt, in qua traducunt Episcopum *Spirensem*, et quosdam alios magnates. Id fit praesente Episcopo! nam iam agit *Coloniae*. [2] Nonne apertissima contumelia? De *Luthero* Bullam misit Papa; vere bullam, ut audio. Angelos coeli, B. Petrum, Paulum, omnem creaturam prorsus excitat in *Lutherum* et adhaerentes: Trucidentur, comburantur, et huiusmodi. Quod si talis est Bulla, qualem ille nobis depinxit, parum habet Apostolici pectoris, nihil lenitatis Christianae. O liberam *Germaniam!* ubi nostra libertas? nec lingua libera est. Latitat *Huttenus*, cui a *Romanensibus* paratum fuit venenum, subornati qui caperent, vinctum *Romam* ducentes, aut trucidarent. [3] Nec tamen diu latebit, quod Monachi sentient, quibus haec provincia fuit commissa: sunt enim furiae Pontificis. Princeps *Saxoniae* magna liberalitate utitur in doctos; aiunt neminem illo integriorem et magis Principem. *Lutherus* erumpet de vitiis personalibus et ad futuras nundinas habebimus multa tonitrua. Tu nihil cessa, adesto bonis viris, adesto pietati Christianae apud Tuos, ubi plurimum potes! Monachi nihil non tentant. Velim Christus tandem adspiceret res afflictas, quod impetrandum sedulis precibus et gemitibus, ut ille, inenarrabilibus. Vale in Domino! Cum rediero *Basileam*, copiosius: nam non datur vel relegere. *Moguntiae*. 15. Oct. 1520.

Ὁ σὸς. [4]

XLII.

HULDRICO ZUINGLIO IOHANNES FABER S. D.

Nunquam in animum venit, ut in hoc tam felici, imo aureo seculo aliquam studii mei foeturam emitterem, non ignorans delicatissimis stomachis cruda placere non posse. Quod si inter vacandum quiddam quod oblectaret quandoque deprehenderem, mecum ita semper statui, intra meos parietes, imo in sinu meo fovere velim. Sed vide, virorum optime, quo me ignavum hominem, traxit amicorum importuna petitio. Mundo equidem toti ridendus prodii. Consultius fuisset, ut ingenue fatear, nenias hasce meas sepelire vivas, aut tradere Vulcano, quam sic cum iactura nominis inter obscuros numerari. Quanquam et prodesse cupiam. Si Tu ac tui similes, quibus est eruditio rerum istarum ma-

---

1) Ab Hogstrateno e Roma verosimiliter emissus falsus rumor. 2) Ea, quam Imperatoris coronatio Aquisgrani dederat, occasione. 3) Elector *Albertus Moguntiaci* eum ab aula sua relegavit, postquam libellos acerbissimos adversus Romam vulgasset. Ad aulam profectus imperialem, ubi venenum aut carcer ipsi paratus erat, praesens periculum elapsus apud *Franciscum* de *Sickingen* necessarium adytum reperit. 4) i. e. *Caspar Hedio*.

xima, non aequo animo susceperitis, iam de *Fabro* actum erit. At satis superque lucratus fuero, si ad rectam concionandi provinciam doctioribus ansam praebuero.[1] Inter eos ut Tu primas partes suscipias aequissimum erat. Vale, et ex opusculis unum Tibi pro munere mitto; reliqua pro 20 Crucigeris aut minori pretio divendas, rogo. Ex *Constantia*, 18. Oct. 1520.

Inscriptio: *Ioh. Faber Huldrico Zuinglio*, utriusque linguae doctissimo, *Tigurici* gregis Pastori vigilantissimo, non vulgari.

XLIII.

D. HULDRICO ZUINGLIO

Ἐπισκόπῳ Τιγουρίνῳ IAC. AMMANNUS S.

Etsi nihil quidem praecipuum sit, *Zuingli*, amicorum dulcissime, quod literis mandem, et nonnihil animo subverear, ne inanis usque mearum nugarum loquacitas severissimis illis tuis atque sacrosanctis occupationibus negotium facessat, odiosiusque obstrepat, tamen quoniam *Mediolanensis* olim itineris comes *Caspar Frygius*, et idem meus, ut Tu quoque, amicus egregius, patrios penates revisurus erat, haudquaquam ausus fui committere, ut is absque scheda ad Te proficisceretur, veluti μνημοσύνῳ quodam et incolumis amicitiae quasi pignore. Nam audio *Zinglium*, nec id sane iniuria, *Ammanno* succensuisse, aut admiratum potius fuisse, quod cives et hospites suos vacuos literarum ad se redire passus fuisset. Fateor, mi *Zingli*, peccatum a me maxime est. Sed amico quodam errore inductus, sciens nesciens, volens nolens deliqui; et hoc faciliori venia dignum opinor erratum. Cave autem isthoc peccati aut oblivioni aut negligentiae meae adscripseris. Nam nemo mortalium omnium est, qui sic *Zinglii* sui memor vivat, qui absentem tanquam praesentem sic sincere et περὶ χῆρι, ut Homeri verbo utar, amplectatur, veneretur ac colat, quique de *Zinglio* crebrius aut etiam amicius sentiat loquaturve; nec mihi quidem vel paululum ambigi solet, quin haud secus atque res est, animo tuo de me iamdudum persuadeas. Sed age, optime *Zingli*, istic tua seu ira seu admiratione aliquid est profectum. Effecisti, ut mihi arbitrer posthac committendum quidvis potiùs, quam quamvis levem scribendi occasionem negligendam; et hanc in partem potius peccandum, quando, ut intelligo, ita vis, ut molestior scribendo sim, quam cunctatior. Age evicisti tuo odio has literas; habeas et ames sine rivali, eas tamen ineptas, garrulas atque insulsas. Nunc quod reliquum est scire Te, ex *Frygio* disces. Illud unum duntaxat addidero: utut est, me huius itineris nondum poenituit, neque piguit. Deus faxit, ut in posterum quoque ita futurum sit. Non ita pridem accepi e *Germania* binas literas, alteras *Beati Rhenani*, alteras *Neseni*, omnino amoris ac benevolentiae plenissimas. Expecto avidissime tuum super meis rebus consilium: nam praeterfluxa hac hie-

[1] Posteriori tempore Homiliae *Fabri* typis exscriptae in lucem prodierunt. An simul nova editio scripti hic significati, incertum.

me haud video quod magnopere in *Italia* agam, hac conditione in patriam aut *Basileam* remigraturus, a literis ut ne abstrahar. Audio odiosissimam istam pestem, cui malae male sit, apud vos recruduisse, quam ob rem lentius in patriam propero. Faxit Deus O. M. ut *Zinglium*, decus meum et vitam, incolumem incolumis revisere fas sit! *Clivanus* noster haud tam se quam Te salvum vult. *Grebelius* et item *Binderus* si salvi sint gaudeo. Vale, integerrime amice. *Mediol.* 27. Oct. 1520.

Inscriptio: *Iac. Ammannus* D. *Huldrico Zuinglio*, Theologo christiano, amico primario.

XLIV.

GLAREANUS ZUINGLIO SUO S. D.

Mirum vero tam diuturnum silentium, suavissime *Ulrice*. Quid hoc rei? imo quid causae potius? Num nuntii? Atqui e *Basilea* saepe commeant, et ad *Frobenium* tu faciliter missites, si voles. Valeo ego recte et te valere omnes optamus, praecipue vero *Galatacus* et *Herus*, quos benigne domi hospitio recepisti. Res apud nos satis quietae. Inter nos non adeo convenit quorundam singulari quum impudentia tum arrogantia. Conati sunt iuvenes meos, quos nunc mecum advexeram (ut aiunt) deponere. Dolebat enim, quod in lectione vel privata vel publica cum *Beanis*, ut vocant, Studentes sedere cogerentur. Ego, ut gliscere malum videbam, dissimulavi primum, haud ignarus, quantum ex re vilissima tragoediae excitaretur; deinde cum palam minarentur, meos arrepturos, ut desisterent iussi: meum esse illos deponere, cum vellem. Multum illis sudoris instare, si omnes quotquot in urbe *Parisiaca* essent, deponere vellent, qui depositi non essent. Tum vero convitia in me audisses iacta. Deum immortalem, quantos boatus, quantos cachinnos mihi moverunt! Ego, ut videbam tanto magis instare illos, rursus rogavi, quidnam sceleris esset *Beanum* esse? Me ita putare, cum Studentem qui studeret; Bacchantem qui baccharetur; meos mecum studere, nullum a studiis intermittere tempus; non videre me, quis mores hos barbaros introduxerit: neque *Italiam* neque *Galliam* hanc observare insaniam. Tum autem vix temperatum a convitiis, imo a manibus, ut denique cogerer iure patrio ab eis pacem postulare. [1] Ob-

1) „Sin accidat, ut aliquando offensae aut rixae inter nos nostra in terra orerentur, aut si quis clandestinam inimicitiam sentiret ipsique necesse videretur avertere, ad hanc rem unus quisque concurrat, pacem postulet, dirimat pacemque spondeat quorum referet — ad tertium usque gradum cognationis. Qui tum pacem dicto factove fregerit, custodia et graviore mulcta, quam quae citra pacem interpositam iniuriis dictorum factorumque irrogari solet, afficiatur. Pax indicta tamdiu valet, dum poculo revocetur; quod hoc modo peragitur, Dominus aliquis a consiliis reip. in hoc rogatus poculum vino impleri iubet, cohortatur litigantes ad reconciliationem gratiae eosque deinde e pace dimittit, dum eos poculum vini una bibere sinit, forensi iudicio reservans castigandum, si forte quid praeter ius admissum sit. Tum partes ipsi dextera data spondent, praeteritorum non meminisse mala mente." (Liber publicus ac prisci mores reip. Glaronensis).

iiciebant vero mihi inprimis *Vadianum* et *Zuinglium*, qui eiusmodi mores et observarint vehementerque approbarint. Ego, quid hac obiectione quidam eorum machinarentur, intelligens, illos eos esse, qui multitudini et regionis consuetudini hoc darent respondi. Nunc nos in *Gallia* esse, ubi alii sint mores. Praeterea non videre me, quid hoc, ungere merdis et nescio quae stulta, vel ad disciplinam vel ad mores adderent. Iam aliquot dies cum quibusdam egimus; cum quidam illorum palam profiterentur, se meliores esse non depositis et digniores: tantum enim latine poterant. Quidam etiam *Vadianum* anxie obiiciebant, cum viderent Te mihi nimis amicum. Illis ego respondi: *Vadianum* amicum esse meum non obstreperent, cur ergo non imitarer? quaerentibus. Et mihi, inquam, meum est iudicium. Illius quale sit, ipse viderit; ego meum vobis declaravi. Sciebam enim, quo illi vellent. Tandem quidam, totus ὄγος πρὸς κιθάραν, etiam opiniones *Vadiani* adversus me allegabat. Ego tot irritatus convitiis huc tandem erupi: ne mihi eum obiicerent, qui me docere non posset, adieci et abii. Hoc ut acceperint nondum intellexi. Tu pro tua humanitate, si aliquid huiusmodi subolebit, admoneto hominem, ne credat hominibus iis, qui in rebus humanis veros Alastoras agunt. Scis enim scelestissimos quondam quoque fuisse, qui inter me et Te eandem rem tentarint; verum et mea modestia et tua prudentia feliciter ablata sunt e medio, apparuitque, et Te eum esse, qui non omni spiritui crederet, nec ad aurem popularem iudicium ferret, et me eum, qui quidvis potius quam doctos studiososve offendere vellet. Quod si *Vadianus* is est, quem credo, certe horum hominum latratibus neutiquam acquiescet. Et hercle pudet, quoties eius rei mihi venit in mentem. Si quam ignavi, quam sordidi sint, scires: mirareris cum his quicquam esse mihi negotii. Et ipse nonnunquam miror. Sed haec sunt fata mea, cum insanientibus me insanire oportere. Vide quam Iliada nunc Tibi recito! fortasse quod nunc Iliada lego et *Livium*, quorum uterque tragoediae speciem obtinet. Verum de hac re satis. Audio, *Myconio* nostro cum nescio quo clamatore esse negotium. [1] Tu, mi *Huldrice*, hominem consiliis adiuva! potes namque et vides eo nunc redactam rem, ut statim haereseos crimine etiam innocentissimos ipsi ignavissimi insimulent. Nisi huic rabiei occurratur, huc tandem res devenient, ut sit christianus, qui omnia adversus Christum agat; qui Christi decreta observet, sit haereticus. Nunc de *Luthero* audi nova! Universitas *Parisiensis*, quandoquidem ad eam ipsam disceptatio inter *Geckium* [2] et *Lutherum* delata fuit, tanquam ad iudicem, posteaquam audivit, damnatum *Lutherum* a Pontifice Maximo: ipsa, quae quosdam articulos fortassis vellicatura erat, nunc iudicio supersedit. Nulli libri avidius emuntur. Audivi a bibliopola quodam, qui ait, sese *Francinadi* nuperis nundinis [3] vendidisse Exempl. 1400, quot nunquam antea alicuius auctoris. Passim bene dicitur *Luthero*. Verum monachorum longa est catena. Salutat Te S. P. Q. R. atque ego inprimis. Vale *Lutetiae* ad Cal. Nov. 1520. —

---

[1]) Cum novo lectore Parisiensi apud Franciscanos Lucernae. [2]) i. e. *Eckius*. [3]) In *mercatu* fortasse *Francofordiae*.

De Canonicatu, si quis casu quodam contingere posset, aut spes fuerit, videto! neque est enim quod verba quaedam aut contractus intercideriint. Ego enim ita constitui, utrum prius contingat, vel beneficium vel uxor, in quam fors fortuna obtulerit me, eam adcipiam, in utramque sortem paratus, quam obtulerit Christus; neutrumque uspiam libentius quam *Tiguri*, si consilium tuum quoque accesserit. Tu facito pro me, quemadmodum confido. Vale rursus, et si vacet rescribito! imo diem dicturus sum Tibi, nisi rescripseris. Sed hoc mirum quo pacto iam primum occurrat. De negotio *Basiliensis* studii nullum accepi responsum. Invitor quidem tum a D. *Claudio*,[1] tum a *Bero*. Verum uterque nihil certi promittit. *Claudius* magnam spem dat, rerum summam in meam manum venturam, si articulos aliquando non ita singulares describam. Ego contra admonui, ut qui ii sint monstret, indicet, declaret; nolle pro certo incertum sequi *χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων* commutans, ut ille ait. Ceterum ordinationem quandam novam nunc facturi sunt, nimirum timentes me, ne ab imperio deiiciantur; haberi itaque his meis rogationibus gratias. Ut tamen promorint rogatae, nondum perlatae, ut ad novam rerum formam excitarint hos, qui publicum studiorum commodum aliquot annis parum iuvasse videri queant, atque utinam bene et pro literarum fructu introspiciant, legesque salubres, non habita ulla mei ratione, condant, tantum abest, ut id invitus videam, ut etiam adiutorem me ultro exhibeam. Verum spectemus annos sequentes! Ego interim cum doctissimis huius urbis Graecos evolvam, ut si Christus mihi huius biennii quietem concesserit, ut videar non parum promovisse. Idque ad meam gloriam haud dubie magis conducet, ad publicam utilitatem nescio an item. Annitar tamen ut utrumque accidat, et mihi prosim et patriae non desim. Vide in quam loquacitatem devectus Te mecum traham. Sed crede, amor in Te meus hoc facit. Tu iam tertio vale, h. e. perfecte vale. — D. *Praepositum* et D. *Henricum Utinger* plurimum meo nomine salutes; inter cives *Grebelios*, Conr. *Luchserum*, *Ammanum* et rel. Et *Ammannum* fortassis cum tota familia, si Tibi placet. Hic ridebis, sed recte.[6]

Inscriptio: *Glareanus* D. *Uldrico Zuinglio*, *Doggio*, Philologo et Theologo, vere amico nostro praecipuo.

XLV.

MYCONIUS ZUINGLIO S.

Proximis literis significavi tibi, quantum doleam, quod non perpetuo liceat mihi apud Te commorari, quantumque dolorem clam gesse-

---

1) *Claudius Cantuncula*, *Metiacus*, professor iuris utriusque et rector Universitatis *Basiliensis*; idemque Cancellarius Austriacus in Ensisheim. *Erasmus Zasius*que eum colebant et diligebant. Nonnulla iuridici generis scripsit ac praecipue ius canonicum contra Reformatorum aggressiones defendit. (Athenae Rauricae. Zasii epp.) 2) *Glareanus* ambiebat *Amminni* iunioris sororem, Mediolani studiis literarum operam dantis; at neque Canonicatum neque uxorem Tigurinam impetravit. Quo animo inde affectus fuerit, intelligere licet.

rim nuperrime, dum abs Te discedendum foret. Nunc aliam cantilenam canto, quae animum omnem perculit, dum his diebus ad me perveniret; non autem eodem modo, quo superior de abitione ab amicissimo. Scis et longe praeclarius, quam ego, quid proximo Helvetiorum concilio in *Baden* nebulo ille *Romanus*, qui apud nos est, de *Lutheranis* libris comburendis proposuerit, imo mandaverit sub excommunicationis poena. Primum scire volumus tuam de hac re sententiam, an sit obsequendum nec ne, postquam res fuerit in publicum pronunciata? deinde quidnam *Tigurini* tui statuant. Dicam ego nunc breviter, quid mihi videatur: excommunicationem plane contemnendam, non quod *Luthero* tam praetendam, sed quod pecuniam, quam pro libris exposui, invitus amittam; tum quoque, quod res sit iniquior, quam ut ullus obsecundet. Ubi enim unquam in Ecclesia auditum, condemnatum aliquem, qui non prius responderit, cur sic vel sic sentiat, quique id tamen semper efflagitaverit? Clamatur hic per totam civitatem, *Lutherum* comburendum et *Ludimagistrum*;[1] quum ego nunquam de illo dicam quicquam, nisi apud meos, idque rarissime, neque ex eo vel unicam sententiam depromam: quamvis sciam, quare me *Luthero* semper adiungant. Dico in scholis quae sunt Evangelica. Dico item, ubicunque res efflagitat, praeterea nihil. Sed quia haec cum his consonant, quae ille habet in plerisque locis, putant, ex *Luthero* esse, quae sunt ex Evangelio. Ob hanc causam facillime erit mihi respondendum, si ita opus fuerit. Adhuc tamen libros non libenter perdo; nimio emti sunt: non enim unum atque alterum habeo. Consulas ergo, et consilium tuum sequemur; et brevi et brevibus id facias plusquam rogamus. Vale felicissime. Id optat uxor, filius et omnes domestici. *Lucernae* raptim in die animarum. 2. Nov. 1520.

XLVI.

MYCONIUS ZUINGLIO.

Mitto ad Te, quae nuperrime adolescens quidam ex *Wittenberga* huc dedit, quae scio absque risu legere non poteris. Verum propterea mitto: nam si non risu digna forent de *Eccio* scripta, apud me potius retinerem. At ne te traham diutius, verba adolescentis subiungam. Sic nempe scribit: „Praeterea non potui me continere, quin tibi de supercilioso Theologo *Eccio* scriberem, qui cum D. *Martino* praecedenti anno in Gymnasio *Lipsensi* disputavit; qui iam *Lipsiam* reversus ad excommunicandum *Martinum*. Istum tamen populus neque audire, neque videre, neque postremo hospitio recipere vult amplius. Et ita manet in quodam hospitio, et non audet, ut anno praeterito solitus erat, per plateas divagari.“ Et hoc quidem studens *Lipsensis* bona fide cuidam in nostro gymnasio familiari de eo scripsit: rudem plebeculam tandem eius nequitiam cognoscere, ipsumque convivari, inebriari, scortari, demum ut duo scorta invicem pugna congressa sint eius causa,

---

1) *Myconium.*

quod uni plus numorum quam alteri fuerit elargitus. Atque harum rerum non ignarus *Melanchthon* hanc schedam de ipso edidit: *Germaniae sua libertus.* Quae nunc igitur reliqua salutis tuae spes est *Germania?* Terruerat *Alpes* et *Hercinium* iugum, *Rhenum*, *Danubium* et *Albim* nuper horrificis clamoribus ille Oeto, Encelado et Typhoëo immanior *Eccius*. Nunc autem et fulmina tibi et trisulcos Romani Iovis ignes, adeoque excidium minatur; *Sueviae* tuae infamis partus, bellua Harpyiis rapacior, hirco libidinosior, oto versutior, chamaeleonte mutabilior, dipsade venenatior, leaena audacior, crocodilo timidior; breviter monstrum, quo nihil magis varium ullo unquam seculo vidit hic sol noster, quem ait omnia cernere sapientissimus poëta, consutum ex mendaciis, vanitate, sycophantiis, insana gloriae fame, et conspurcatum libidinibus omnis generis. Felicem Germaniam, gentium victricem et dominam, si non *Eccium* tulisset *Suevia*. Porro autem, nisi prorsus iratos habemus Superos, et hanc pestem non Typhöia tela, non Stygos filia, sed veritas internecioni dabit, non illa quidem Saturnia, sed quae e sinu Optimi Maximi Patris egressa, orbi se quondam ostendit. Confide igitur *Germania*. Fabulae sunt Romani Ioves et fulmina bullae, quàs et ipse bulla, *Eccius*, vanas vanus iactitat. Vale!

Tu quoque mi *Zingli* vale, et responde ad Epistolas superiores. *Lucernae*. 6. Id. Nov. (8. Nov. 1520.) Raptim.

Scheda illa pressa circumfertur.

Myconius tuus.

XLVII.

Οὐλδερίχῳ τῷ Ζιγγλίῳ Οὐαλέντινος ὁ Σκοῦδος εὐ πράττειν.

Ὥσπερ οἱ πάλαι τὰς τῶν καρπῶν ἀπαρχὰς δήμητρι ἀναθέσθαι ἐιώθασιν, Ζίγγλιε πρὸ τῶν πάντων ἐμοὶ κεχαρισμένε, ἅτε τὰ τοιαῦτα τὸ πρῶτον εὑρηκύια, ὡς καὶ ἐγὼ τὸν πρῶτόν μου ἀπὸ τῶν ἑλληνικῶν ἀναγνώσεων ἐκτεθαλμένον τὸν καρπὸν τίνι μάλλον ἢ σοι ὀφείλεσθαι δοκοίην ἄν, ὅς πρῶτος μὲν ἀπαίδευτον ἔτι καὶ ἀδαήμονα ὄντα καλλίσταις ταῖς σπουδαῖς ἐπετήδευσας, οὐδεν ὥς με τὰ κάλλιστα μαθεῖν παραλιπὼν, καὶ τοῖς ἀπὸ τούτου διδασκάλοις τοῖς εὐδοκιμωτάτοις ἐπιτρέψας, ἀπόντος οὐ μεῖον ἢ παρόντος ἐκήδου, καὶ ἐπὶ τοσοῦτο ὡς μὴ τὸ σπέρμα ἐς γῆν πετρώδη καὶ δυσήλιον βεβλημένον οἴεσθαι, ἰδού σοι πρώτην τὴν ἐμοῦ πεῖραν, ὡς τὰ ἐπὶ ταῦτα ἐκεῖθεν τεκμαίρεσθαι δοῦναι. Ἀρχὴ γὰρ τεκμήριον τῆς τελευτῆς, εἰ καὶ μὴ ἐξέστη καὶ καλῶς διακειμένη· ἀλλὰ χρόνος καὶ ἄσκησις συνεχὴς τὰ τοιαῦτα ἐσποιήσονται. Διόπερ ταύτην μικρὰν καὶ ἐπὶ μεγάλῳ πόνῳ ἀκοσμήτως συλλελεγμένην ἐπιστολὴν ἵλαος καὶ προσηνὴς ὑποδέχθ. Συγγνωστέον δέ μοι τῆς θρασύτητος ὁιμαι, ὅτι ἄπτερος ἔτι καὶ ἀσθενὴς ἐις ἀέρα ἐυθὺς ἢ ῥοῦν· οὐ γὰρ πρὸς μῶμον ὅπου πάντα ἐπιτελῆ εἶναι χρὴ, ἀλλὰ πρὸς διδάσκαλον, πρὸς ἄνδρα χρηστὸν καὶ τὰ ἀλήματα ἐπανορθῶσαι δυνάμενον ταῦτα, οὐ κενοδοξίας ἀλλὰ γυμνασίας ἕνεκα, πέμπονται. Ὥστε ἐυχήμει καὶ τὴν σπουδήν μου τῇ σῇ ἐυνοίᾳ ἐξέγειρέ τε καὶ ὑπερόρα! Τελευταῖον δὲ εἰ μὲν ἀναγράψαι ἡμῖν ἀξιοῖς, διὰ τοῦτον τὸν ἄγγελον ἐξέσται· ὗτος γὰρ ἐν βρα-

χεῖ ἐφ' ἡμᾶς ἐπανέλευσεται, ὃν εἴ τι ἐυποιήσεις, ἐπ' ἐμοὶ δράσαι δοκεῖ. Ἔῤῥωσο εὐκαίρως πάντων τῶν φίλων φίλτατε. Ἐκ τῆς Λουτετίας μηνὸς ἀνθεστηριῶνος ἐπισταμένου πεντεδεκάτῃ ἀπὸ γενεθλίας ᾳ φ κ. (15. Nov.)

XLVIII.

ZUINGLIUS MYCONIO S.

Incertus animi sum, an mala quae nobis occurrunt (si tamen mala sunt) tibi significanda sint, homini supra modum clementiae misericordiaeque dedito: vereor enim, nisi praemuniero pectus tuum ἀλεξιφαρμάκοις, ne in tristitiam immoderatam incidas, tam et nostri studiosus. At mea precor tu eo animo feras, quo ipse fero; fero autem nunc aequiter, qui tamen primum in eiulatum et luctum plus quam foemineum prorupi, quod scilicet affectu repentino atque improviso obruerer; at mox me recepi, ut iam rursus mihi constem. Deo sit gratia. Aeque itaque feras, ut tandem rem aperiam, mortem germani nostri *Andreae*, optimae indolis adolescentis et spei maximae, quem heu pestis, sanguini, ut reor, nostro et gloriae invidens, ipso die Elisabethae, [1] necavit, ad summum post annum, modo vixisset, ad Te iturum, ut et Tibi et filio per eum licuisset sine sudore graecari. At tantum abest, ut cum Deo expostulem, ut et me offeram. Haec satis. Epistolam tuam adhuc expecto, et cantiones illas multivarias *Xylotecto* commendatas, quas nostri quotidie postulant. Vale, et me iam orbum ama, ut solitus es. Pestis alioqui nihil crudescit: nam intra mensem haud scio, an supra quatuor aut quinque homines interierint. Salvos opto uxorem, liberos, *Xylotectum*, *Provisorem*, omnes. Ex *Tiguro* ipso die *Catharinae* virginis. (25. Nov.) 1520.

Non habito domi nostrae, compulsus amicorum suasionibus potius, quam mortis metu, et mox redibo. Haec scribo ne mireris literas non solito more signatas. Salutat Te *Franciscus Zinggius*.

XLIX.

MYCONIUS ZUINGLIO.

Quo animo de fratris tui morte nuncium acceperim, non facile scripserim, amantissime *Zuingli*! Gladio pectus transverberabatur; loqui amplius nesciveram, breviter nihil in me erat, quod officio suo satisfaceret. Et lachrymas (verum dico) continere non poteram. Percellebar duplici flagello, altero propter te, quem sciebam fraterno adfectu permotum, altero propter fratrem. Cuius iuventutem, ingenium, bonitatem, humanitatem, aliasque virtutes postquam consideraveram, mirum quanto dolore fuerim adfectus. Taceo, quod omnis continuo spes graecitatis parandae exciderat, quam ex ipso adeptum iri plane confisus fueram. Quamvis hic adfectus non tantus extiterit, quantus

---

1) 19 Nov. „*Zindio* frater obiit ille adolescens magnae spei.“ *C. Grebel* ad *Vadianum*.

ille, qui ex vero in ipsum amore provenit. Sed quid faecrem? Postquam animum receperam, hominem fuisse cogitavi, tum quoque tuam aequanimitatem; inde vero restitutus sum, ita ut non in tantum dolerem; sensim autem huc deveni, ut pene gauderem. Nam haec cogitatio prorsus subiit: Deus forsitan ita voluit; e medio sustulit quam optime paratum adolescentem, innocentissimum, fidelem atque pium. Bene actum est cum ipso; quare dolendum haudquaquam ulterius, ni videri velis invidiosus. His, aliisque multis tandem me consolatus sum. Tu consolatione nihil indiges, qui habes continuo bonas literas consolatrices et sanctissimum Evangelium. Verum de hac re forte alias. Accepimus alium nuntium satis molestum nobis de iniuria quadam tibi illata proximo Helvetiorum conventu. Molestior fuisset, nisi considerassem bonum virum non posse laedi nisi a se ipso. Dicitur ex nescio qua contumeliosa concione ortum habuisse. Id quicquid sit, cave ne dicas, unde suspicio humani alicuius adfectus possit oriri. Hoc scribo, non quod id verear quod scribo, sed quia pravorum intellectus omnia, etiam sanctissima dicta in deteriorem partem detorquet. Non possum fieri, quin partes foveas *Caesarianas*. Vulgatum est, te aliquid scripsisse ad Ep. *Constant.* de causa *Lutheriana*. Si quid in re est, fac aliquando brevibus sciam. Aliam famam spargunt, per Helvetiam esse *octo*, quibus placeat *Lutherus*, in quibus tu primas obtines, *Xylotectus* et *Myconius* adnumerantur, *Glareanus* quoque. Nescio, qui alii sint. Concionator *Bernensis* [1] *Zuinglium* videre sic optat, ut secum constituerit aliquando advenire ad te. Luminis claritas oculos offendit mihi, ut amplius scribere nequeam. Vale, ac valeant tui quoque; atque scito, te meum esse. Candolent uxor et filius tecum supra modum ac salutem precantur. Epistolam mittam, posteaquam tempus erit finiendi. Iterum vale et fortiter Christum pusillis infundere perge. *Lucernae* Id. Dec. (13. Dec.) 1520.

Myconius tuus.

L.

GLAREANUS ZINGLIO SUO S. D.

Si vales, bene est; ego in tantis rerum tumultibus [1] utcunque valeo. Quod tam raras a Te literas accipio, nihil equidem miror. Quis enim tuto ferret? Ceterum senex ille, propter quem tantum laboris susceperat *D. Ioh. Fritz*, magna poenitudine sentit nunc, non recte tantis meis atque amicorum suorum precibus obstitisse. Hospes enim, apud quem 20 iam annos vixit, eum seniculum invalidum inutilemque penitus e domo extrusit. Augurabar sane hoc futurum. Nam agnovi hospitem *πανοῦργον* totum. Emit victum in coenobio quodam quoad vivet. Scripsit sorori pro nescio quibus rebus. Ego plane, quid fit, non intelligo. Et audio, tibi insidias strui a peccatoribus, quam rem vehementer doleo. Hydram vides. Hercules ut sis oportet. De *Luthero* prorsus nihil nunc audimus; adeo ista bella omnia turbant. A Theologis

1) *Berchtold Haller.* 2) Inter apparatus belli cum Caesare 1521 erupti.

Lutosis[1] damnatus, qui Parlamentum ad idem facinus adduxere. *Leonis*[2] mors nunciata erat; nondum tamen nova electio. Rex *Lutetiae* est, cum quo et *Budaeus*. De studio meo ex *Galataeo* intelliges atque ex *Urso*,[3] quos equidem Tibi commendo plurimum. Unum desidero, ut patria valeat. Habeo enim in animo ad venturam aestatem, si cum *Germanis* bellum non fuerit, non solum ire in patriam, sed etiam migrare. Deus O. M. benignitate sua rebus consulat humanis! Tu me amicis omnibus commendes velim. Et cura, ut recte valeas. *Herus* Avienusque Te maximopere salutant, totus denique S. P. Q. R. Salutabis nomine nostro D. Canonicos omnes, praecipue vero D. *Henr. Utingerum*, deinde cives omnes, *Ammannum*, *Grebelios*, *Luchsingerum* et si qui sint alii. Vale! Lutetiae 12. Cal. Ian. (21. Dec. 1520.) 1521.

LI.

CASPAR HEDIO ULDRICO ZUINGLIO
AMICO INTEGERRIMO S. D.

Nactus sum concionaturam *Moguntinam*, ut vocant. Successi *Capitoni*. Placet conditio, quae honestissima est. Evangelium audiunt avidissime. Verbum Dei alligatum non est. Monachi incipiunt frigere, tametsi ipsi quoque adnitantur praedicare scripturam. *Domitius* Paulum ad Romanos enarrat, sed ita, ut nulla adsit gratia, nullus nervus Paulinae sapientiae. *Frangilius* quidam IV Evangelia confundit, et meras fabulas immiscet. Piget populum auscultare somniis illorum et admonitus est per *Capitonem* aliquot sermonibus. Equidem nihil cesso, ut redeat pura doctrina Christi. Quod olim a Te desiderabam de collectionibus in Matthaeum, adhuc desidero. Poteris per *Frobenium* commode ad me mittere. Incertum est, quando sim rediturus *Basileam*, tametsi percupiam; et adhuc istic sunt libri mei, vel forsan in itinere. *Lutherum* hic combussimus ex decreto Pontificis, sed ridicule. Et sunt, qui deierant, non fuisse *Lutherum* sed *Silvium Aeneam*; quidam *Eccium*, aut *Silvestrem*[4] fuisse asseverant. Quicunque fuerit, facta est haec contumelia *Martino*. Parum abfuisset, quin *Aleander*[5] fuisset iniectus merdae. Decretum fuit in consilio Principum, ut *Martinus* veniret *Wormaciam*, redditurus rationem scriptorum. Dii boni quam obstant Legati *Romani!* Nolunt ut audiatur homo haereticus. Minantur multa. Sed frustra, ut opinor, conabuntur. Audiemus brevi, quo res vergat. Rogo te: si potes, ad me semel scribe de rebus omnibus! Vicissim facturus sum. Iam non licet melius. Saluta amicos omnes, *Leonem*, *Osualdum*,[6] et si qui sunt alii. 1520. Thomae Apostoli. (21. Dec.)

Caspar Hedio, tuus.

---

[1]) Theologi *Sorbonnenses*. [2]) *Leo X.* Papa obiit 1. Dec. [3]) Habio, Tigurino. [4]) *Sylvester Prierias*, qui primus post *Eckium* adversus *Lutheri* theses scripsit. [5]) *Hieronymus Aleander*, nuntius Papae in Germania. [6]) Leo Iudae et Oswaldus Myconius.

MDXXI.

I.

M. IOH. ALEX. BRASSICANUS [1]

DOCTISSIMO VIRO D. ULDRICO ZUINGLIO, DUREGI PAROCHO OPTIME MERITO, DOMINO AC AMICO MODIS OMNIBUS VENERANDO S.

Salve *Udalrice*, undecunque doctissime atque carissime. Praeteritis iam tribus perpetuis annis, cum adhuc apud b. Virginem *Eremum* ageres, multas ad te literas dedi. Quam doctae fuerint, nihil equidem pronuntio; scio insigniter humanas fuisse. Tamen omnibus amicitiae literariae officiis differentissimis calculis omnium intellexi, *Zuinglium* nemini non quantumvis indocto, modo bonis literis dedito, respondere. Tandem quod coniectura quadam accipere potui, re ipsa ad ambas aures usque expertus sum. Agebam id temporis *Constantiae*, Practicae adipiscendae causa: nam in Theoricis Iurium studiis nonnihil iam promovimus. Dabam literas sacrifico cuidam ut indocto, ita omnium perfidissimo; simulabat iis se miraculificam illam Virginem accessurum; at nihilominus per aliquot dies intra muros delitescebat plane nesciens, quae forent inguinis et capitis discrimina. Postquam haec rescivi committendum minime duxi, quin ad te scriberem, virum adeo doctum, doctisque omnibus tam egregie faventem. Quod si cuiquam *Zuinglius* assidue versatur in ore, certe is est *Brassicanus*, *Zuinglii* encomiastes perpetuus atque adamantinus. Verbis non tantum hoc agitur negotium. Scripsi Saturnalitiis illis Alcedoniis panegyrim elegiacam, ubi omnes *Germaniae* docti suis coloribus illustrantur. Per gratias illic nostris punctis et tertios et quartos superat *Zuinglius*. *Basileae* iam foeturam *Cratander* excudit. [2] Brevi videbis. Quod si *Zuinglii* eruditioni humanissimae, tum humanitati eruditissimae nondum satisfeci, dubio procul crescentibus annis atque ingenii dotibus multo reponam foenore. Patruus meus D. *Lud. Brassicanus* te mirum in modum laudat atque veneratur. Non minore canali Te *Faber* noster, Doctorum omnium asylum, commendat. Vale itaque vir eruditissime! Christus O. M. faxit, anni nunc ineuntis felicem aliquando colophonem sortiare. *Brassicanus* se *Zuinglio* tantis nominibus commendat, ut qui semper commendatissimus esse cupiat. Quam primum poteris, scribe! Non

---

[1]) *Io. Alex. Brassicanus*, teutonice Kohlreuter, Doctor Iuris aulae Episcopi Constantiensis operam dabat; eximiam, Manuscriptis locupletem bibliothecam habebat, unde complura in lucem edidit, praefationibus aut etiam scholiis instructa. Ipse quoque nonnulla scripsit, praesertim poëtica, Elegias, Dialogos, Xenia, Epigrammata. Addictus Fabro, quem eruditioni favere verique studio diu credebat, Zuinglioque idem amicus, ne ab se invicem abalienarentur, sollicite cavebat. (Gesner.) [2]) *Andreas Cratander*, unus praecipuorum Typographorum ac Bibliopolarum *Basiliensium*, viris eruditis uti correctoribus in officina sua solebat, ut Ceporino, Oecolampadio, Macrino etc. A *Zasio* et Bebelio non ita bene audiebat. (Wirz. Zasii epistolae.)

tam Hero Leandri sui, quam tuas, h. e. hominis non minus docti, quam sinceri, literas expecto. *Constantiae* ex aedibus D. *Io. Fabri*, Literatorum hospitis cum literatissimi, tum liberalissimi. 7. Ian. 1521.

Tuae praestantiae bis per omnia deditissimus, M. *Io. Alex. Brassicanus*, Eques auratus, Poëta et Orator a Caesare laureatus aet. suae a°. 20.

II.

MYCONIUS ZUINGLIO SUO CARISSIMO S.

Vix respondere ad literas Tuas possum, *Zuingli* carissime. Adeo totus sum in moerore ob quotidianas adversariorum infestationes, quae non aliter me impellunt, quam procellae marinae navem aliquam. Et tamen, qui illi sint, nonnisi ex coniectura novi; atque si nossem, ne mutire quidem auderem, quia Primates nostrae civitatis sunt. Non ita longe ante hanc diem vocabar a Dominis meis, prohibebarque, ne *Lutherum* discipulis legerem, ne nominarem, imo ne in mentem eum admitterem: qui tamen neque in Scholis, neque in ore mihi unquam fuerat, nec etiam in animo eo pacto, ut aliquid ex ipso meis vellem infundere. Quid enim illo opus, habenti Evangelium; quid, habenti Paulum, aliaque Novi Testamenti quae sunt? Mox deinde talis hic fiebat concio, nominatim in haereses *Lutheri*, ut nemo non moveretur mirifice. Plerique contra me sermonem institutum putabant, quem tamen ne tantillum quidem adficiebat, utpote nihil ad me pertinens. Nihilominus, cum mecum *Xylotectus* Senatorem quendam praeteriret, statim post invectionem sic impetebamur: Vos discipuli *Lutheriani*, cur non defendistis Magistrum vestrum? Nos vero tacendo respondera-mus. Insuper in proxima concione, de oranda Dominica oratione, hic tametsi nihil erat mihi non maxime consentaneum, tamen quia is, qui sermocinabatur, invehendi rationem servabat, existimabatur oratio contra aliquem comparata. Et, si quem suspicarentur, praeter me nemo erat. Hinc novi inter populum contra me tumultus, qui in tantum denuo creverunt, ut in Senatum pervenerint. Ibi nihil non tractatum adversus *Myconium*. Huic *Lutherianus* eram; illi novorum dogmatum seminator; illi seductor puerorum, alii nescio quid aliud. Huc res devenit, ut Senatus consulto vocatus sim iterum ad Dominos meos, ad audiendum ea, quae de me fuerant acta per Senatores. Haec scribere epistolam longiorem exposceret; quare nunc supersedeo. Iam rem putaram in vado esse, et ecce novam inveniunt tragoediam. Scripsit aliquis literas famosas, posuitque nescio quo, ut commodum dicto Concionatori in manus venirent; et hoc quoque mihi adscriptum, sive discipulis meis. Quae res tamen tam a me est aliena, quam a te. Ita me Deus amet! Interim nemo non in me concitatur. Quid igitur faciam, tantis immersus turbationibus? Quo me vertam? Quid inceptem, ut ex huiusmodi vexationibus innocens liberer? Nulla diligentia, nullum officium me eripiet, tametsi iurare audebo, ad diligentiam, qua usque huc usus sum, nihil me addere posse. Sed audi, quae huius interpretatio: Ad ostentationem, inquiunt, me omnia facere. Consilio igitur,

si poteris me adiuva, per Deum immortalem oro. Scio nunc, quid cogites, me tepidiorem esse in fide erga Christum, quam putaris. Dico Tibi, si Christus non esset, iam olim defecissem; nihilominus consolationem Tuam desidero. Praeterea de ludo *Rhoetorum* ne verbum quidem constat, imo nescio quid dicas. Caput de Ecclesia mitto. Epistola mea vel limace tardior. Quid enim scriberem sic vexatus, imo sic laboribus scholasticis obrutus. Huc enim conditio mea recidit, ut qui prius libere ac lubentissime docuerim, nunc coactus faciam omnia. Vale in Christo! Id et mei semper optant. *Utingerum* salvum opto, qui nuperrime huc scripsit quam fortis sis in Christo praedicando. *Lucernae* 6. Id. Ian.

Myconius tuus.

III.

DOMINE REVERENDE, DOCTISSIME, INPRIMIS GRATIOSE, DILECTE!

Vestrae dignitati in omne tempus nostram officiositatem libentissimam cum omnium honorum delatione praefamur. Domine inprimis gratiose, amice, dilecte! postquam nuper Vestra dignitas, in oppido nostro dum versaretur, cum nostris ambobus Scultetis contulit sermonem de mutatione nostri plebanatus[1] et existimavit, duumviros de nostro senatu deligendos esse, qui rei deliberandae interforent, idque iam relatum est ad nos per hos ambos nostros Scultetos: nobis consultantibus videbatur, nostrum non esse alicui de nobis hoc negotii committere, quandoquidem nos eius plebanatus non sumus collatores.[2] Quapropter ad Vestram dignitatem nostra petitio ingenua redit quam diligentissime potest, ut Vestra dignitas hoc a nobis placide accipiat in eaque causa porro agere velit, quod in honorem Dei omnipotentis, et nobis nostroque oppido commodo decorique futurum sit, prout Vestrae honestati amicitiae et caritati nos rem omnino concredimus; gratiasque simul agentes dignitati Vestrae quam maximas pro studiosa qua in nos estis voluntate, atque pro opera et labore, adhuc eam in rem insumto, pollicemur, sicubi de Vestra dignitate et de Vestris quid mereri debitaque referre possimus, nos omni tempore Vobis officiosos praesto adfore. Datum die Lunae post Hilarium (post 13. Ian.) anno 1521.

Scultetus ac Senatus Badenae.

Inscriptio: Reverendo, doctissimo Domino, *Ulrico Zuingli*, Magistro artium liberalium, Plebano apud Praeposituram *Tigurinam*, nostro inprimis gratioso, dilecto Domino.

3.

Eerwürdiger, wolgeleerter sunders günstiger, lieber Herr!

Uewer Würde syend zu aller zyt unser ganz gutwillig Dienst mit Erbietung aller Eeren zuvor. Sunders günstiger, früindlicher lieber

---

1) *Zuinglius* commendaverat *Erasmum Fabritium Lithopolitanum*, quem plebanum optarent. Ep. 6. 2) Sed monasterium Bernardinorum Wettingae.

Herr! alsdann vergangener Tagen Uewer Würdi, als die in unser Stadt gewesen, mit unsern beiden Schultheissen Red hat gehalten, berührend den Tusch oder Wechsel unser Lütpriesterei halb, und vermeint, dafs wir zwey von unserm Rath zu der Sache verordnen wölltten, die daby wärend, so man davon reden wollte; sölichs ouch die hemelten unser beyd Schultheissen an uns bracht: und so wir nu den Handel betrachten, will uns nit bedunken, dafs es uns gebürlich sye, von uns iemand darzu zu verordnen, diewyl und wir sölicher Lütpriesterei nit Lehen-Herren syend; und ist desshalb an dieselb Uewer Würdi unser ganz fründlich bitt, mit höchstem flys wir immer mögend, dieselb Uew. W. wölle sölichs von uns im besten vermerken, und fürer darin handlen, das zu Lob Gott dem Allmächtigen, auch uns und unser Stadt zu Nutz und Eer dienen möge, und wir derselben das auch aller Eeren, Fründschaft und Liebe sunders wol getruwen. Sägend ouch hiemit derselben Ue. W. üwers fründlichen guten willens gegen uns tragende, ouch der Müe und Arbeit harin bisher bewysen, mit höchstem flys Dank, mit Erbietung, wo wir sölichs um dieselb Ue. W. und die Iren verdienen und beschulden können, soll uns dieselb zu aller zyt ganz willig erfinden. Datum Montag nach Hilary A. 1521.

Schultheifs und Rat zu Baden.

Aufschrift: Dem Eerwürdigen, wolgeleerten Herrn Ulrich Zwingli, Meister der fryen Künste, Lütpriester zu der Propstei Zürich, unserm sonders günstigen, lieben Herren.

IV.

FRANCISCUS CERVINUS [1]

D. M. HULDRICO ZUINGLIO, VIRO INSIGNI UTRIUSQUE LITERATURAE PERITIA PRAEDITO, AMICO MEO EXIMIO, TIGURINO PASTORI S. P. D.

Longissimo sermone Tecum utendum esset, si omnes animi mei affectus in sinum tuum effundere conarer. Cum id propter exiguas ingenioli mei dotes non potis est, singula ad unguem, ut cupio et animus desiderat, enarrare. Verum impatientissima animi mei impatientia me pepulit, ut Te literis meis, utcunque essent, interpellarem. Licet satis superflue mihi constet, quam longe indignus sim talem virum meis sciolis gerris offendere. Tu tamen pro tuo candore, uti soles, non meae vel temeritati vel ineptiae, sed eximio amori, quo soleo omnes literatos ac doctos prosequi, imputes rogo. Etenim cum ego homunculus nullius rei scientia praeditus, vel parum doctus, doctos tamen vituperare non possum audire. Nec non, ubicunque laudes eorum extollere valeo, eosque a quibusdam calumniatoribus sive rabulis defendere possum, summam operam impendere soleo, et quantum pro viribus con-

1) Verosimile Caplanus *Charonae*. Fortasse *Hirzel* genere. Illic enim *Hirsch* pronuntiatur *Hirz*.

tingit. Sed ut perveniam, quo volo: Nosti, ni fallor, tui apud nos successorem sacerdotii [1] (olim apud *Eremitas* tuus erat suffraganeus), hominem, inquam, omnium, quos terra sustinet, sceleratissimum. Is ut est sua sacra temeritate audacissimus, palam in bonas literas apud nos, praecipue in Graecas, et in viros omnium disciplinarum peritissimos debacchatur. Ita apud stultam plebeculam sibi cupit aucupari famam, cuius certe avidissimus. Sed illud maximopere laetor, quoniam, dum suam conatur ostentare eruditionem et copiam, suam prorsus inscitiam atque inopiam prodit. Nam plebeia gens, non tam ignara, quin non etiam quandoque sapiat; ipse tamen ita in sua insania induratus, ut non vereatur suam stultitiam tam temere manifestare. Imo cum doctissimis viris, nullis demptis, se passim gloriatur literis certare. De qua re *Glareanus* noster testis praesentissimus est, qui sibi, cum proxime nobiscum degebat, [2] nares egregie coram omnibus sacerdotibus (aderant eo tempore complures alieni) et quibusdam maioribus nostris, inter prandendum emunxit. Illic si quidem magis mutus quam piscis, neque mutire contra eum audebat. Mortuo tamen nihilominus Poëta verba fecit: stat namque et perdurat in suo firmo proposito, et saxo immobilior est; decrevit tamen idem semper et perpetuo in huiusmodi hominum genus, ut fatetur, saevire. Graecas literas mirum in modum odit, et Te inprimis, quod tantopere in ipsis invigilas. Ut autem Homericis utar verbis, damnat quod quisque ignorat. Solum suum pulchrum (quod sibi videtur) clypeum Thomistarum colit, suspicit ac veneratur, veluti quasdam reliquias. In quo ait, se singula, quaecunque vel cupiat vel velit, invenire, et ex eodem ab omnibus argumentis se defendi posse. Nihil tam rarum esse affirmat, quod non in eo reperiatur. Hunc sane librum neminem videre sinit etiam quantumcunque charus sit. Solummodo mihi permisit, sed ideo, quia sciret, nihil me in eo intelligere. Tanti miser et perversus homuncio suas ineptias facit. Conabar hercle, si quandoque dabitur otium, ei auferre et ignibus commendare. Quod si Deus, ut spero, aspiraverit, simul et stultitiam et omnem scientiam videbor abstulisse et concremasse, ne nos suo foetido argumento omnes in posterum (ut ipse sibi confidit) vincat. Sed timeo nonnihil, ne nudo vestimenta detraham h. e. peiorem reddam. Ah quoties Te coram quibusdam Theonino suo dente rodit! Proh pudor, quanta convitia in piissimum *Erasmum Roterodamum* coniicit! Vocat ipse eum Glossatorem (putat hac dictione gloriae suae magnam attulisse ignominiam) propterea quod glossantes *Thomas* et *Scotos* aliquo loco dixerit, et Gloss. per duplex SS scribi designat. Vocat itaque plerosque doctos et eruditos viros hoc nomine, videlicet Lumpenfrager sed ipse sibi hoc nomen servet. Ostenderat etiam nuper quoddam argumentum in *Hieronymo* novo ab *Erasmo* restituto in glossemate de Spiritu S. (quidquid autem sit aut quisnam locus sit, plane memoria excidit: ob oculos librum clauserat, ne plus reperirem), quod minitabatur

---

[1] quum vicarius esset designati quidem, sed *Parisiis* adhuc disciplinis et artibus vacantis *Valentini Tschudii*. Vid. Ep. II. 1519. Mt. 5. [2] Maio 1520.

cultello, me vidente, eradicare: aiebat enim falsissimum esse. Tam impudens et temerarius esse solet apud quosdam, cum neminem adesse existimat reclamatorem. Quid dicam de *Luthero*? Mirum dictu, quantis sycophantiis et detractionibus eum constrinxerit. Nempe quum in proxima dominica concionaretur, manifestissimo nefandissimoque ore eum verum in cancellis haereticum proclamavit, alludens ipsam ad historiam D. *Hilarii* (erat enim eius dies tunc celebris), [1] et ad istiusmodi comparationem eum introduxit. O impudentissimum os! o linguam tartareo veneno imbutam! quae tales viros suis nefandissimis machinamentis molitur extinguere. Demum orationi suae subiungens, omnes *Lutheri* fautores, imitatores, ipsi adhaerentes, ipsiusque defensores aeque atque ipsum, geminata voce dixit esse haereticos. Hoc audito non parvus animulum meum cruciatus invasit, ita ut pene prae ingenti dolore lacrimas effundere coactus fuerim. Solet eo modo pleraque alia in Te torquere, quod me et plerosque alios satis male habet, cum Te mihi carissimum, et de nobis bene meritum ita diffamari audimus. Paulo post inter potandum, accepto poculo (quum de *Luthero* fiebat sermo) ipsum verum viventem daemonem esse; sin aliter, ait, (neque se volens signo S. crucis muniri): haec potio cor eius defrangat (soll ihm das Herz abstoßen). Ah quid dicam, mi humanissime *Uldrice!* Eodem die, quum ea omnia peracta sunt, iactatus est sese, coram quibusdam, brevi *Tigurum* petiturum, et Tecum de *Luthero*, qui eum defendas, inire disputationem et (dicam germanice) will dich ushypen und usspytzen, [2] omnesque *Luthericos* imitatores depugnare. O ingentem confidentiam! Num cogitat, quid dicat? Num facti piget? Minime gentium. Neque color eius usquam pudoris signum indicat. Emit praeclarissimi huius viri omnia opera, non ut legat, sed ut convitiari possit, sed ut scelestissime criminari possit, sed ut inficere atque atro carbone hominem notare possit. Ita se facturum mihi dixit. Igitur si veniet, ut sua stat sententia, sis praemonitus, atque eum commendatum habeas, ut dignus est. Verum Tu rem pergratam non solum, sed et gratissimam faceres tum mihi, tum ceteris, qui me talia tibi significare de ipso rogarunt, atque, ut ita dicam, pene coëgerunt, si huius hospitis adventum egregie excipias, et a planta usque ad verticem ei rem omnem denunties, dehinc eum verbis quantum potes perstringas, atque cum eo iniuriam hanc expostules, quo desinat parum tantae temeritati indulgere, piscatorque ictus sapiat. Denique si quid negat, testis ero et omnes nostri Sacellani. Produc literas meas ad oculos illius! non ego metuo si resciscat, quid et qualia de ipso scripserim, et coram quandoque ausus fui dicere. Imo et hoc adde, eum publice dixisse, in dedicatione *Molliana*, [3] praesente M. *Gregorio Büntzlio*, D. *Io. Varschonio* [4] et quamplurimis honestis Presbyteris (qui omnes huius rei testes erant, eique maxime ob hanc causam indignati sunt) de R. *Cardinali Sedunensi*, quod sit (ut eius verba teutonice exprimam) ein Bub, ein Schelm, ein Lecker, und er gange mit

---

1) 13. Ian. 2) exprobrare, exsibilare. 3) festo dedicationis ecclesiae loci, qui dicitur *Mollis*. 4) *Bünzli*, parochus aut Caplanus *Weseni*; *Varschon* sive *Warschon* parochus in *Kerenzen*.

Büberey und mit Schelmworten umb, und syg ein Böswich in der Hut, und sy erhyget und erlogen, womit er umbgange, et illa ait se compertum habere ex confessionibus, dum Tecum in *Heremo* fuit, cupitque talia de se ipso ubique dici, quod talia dixerit. Nec non vult omne quod vel agit vel dicit, talium rerum seu ignominias sive debacchationes, contra aliquos ab ipso allatas, undique manifestari. Talis gloriosulus Thraso est, et tam nefandus. Nescio ego certe, cuius tum conditionis, tum probitatis hic *Cardinalis* homo sit, neque eum unquam vidi; sed quod saepius audivi e M. *Io. Hero* tuo, qui olim eius choraules fuit, esse ipsum hominem modestissimum, peritum, liberalem, munificum, pium ac probum. Tamen et hic histrio hoc etiam fatetur, eum quondam honorifice tractasse: non solum muneribus, sed etiam prandiis et auro eum dotavit, sed pro tali beneficio tales rependit gratias. Tam insignem impudentiam expiscare ab ipso, qua ratione talia fecerit. Tales, mi *Huldarice*, habemus *Glareani* animarum procuratores; qui Christo suas oves ipsis commissas ita lucrifaciunt: profecto non Christum, sed se ipsos, sed homines praedicant. Ut summatim exponam: Quicquid olim per totum decennium in populo instaurando et ad veram fidem confirmandam operis apud nos desudasti, singula hoc illaudatum scelus, suo stultitiae spiritu funditus evertit, quoniam, ut vulgus hominum a natura aliàs proclive est a malis ad peiora simul cum hoc nequissimo nebulone pleraque pars eversa est. Illa omnia tuis sermonibus contraria sermocinatur, quamvis ego pro vero nescio, qui Te semel duntaxat interim quod *Glareanae* fuerim, vel dicam in vita, audierim; sed communis populus ita mihi praedicat. Ut certe verissime dixerit Propheta: Cum sancto sanctus eris, et perversus eris cum perverso; et: qualis pastor, tales sunt et suae oviculae. O Iupiter, confinge hanc sordidissimam cloacam tuo telo trisulco! Eiusmodi monstrum solem purum aspicere? qui audet auras undique vitales suo aconito, Cerberi spuma nocentius, inficere. Proh Deûm atque hominum fidem! nisi iusto olim supplicio hoc execrandum malum puniatur, animus tanta ira tantoque dolore affectus nunquam mecum in gratiam redibit. Vah! hoc est esse Sycophantam et calumniatorem. Utinam binis quadrigis revinctus in diversa intentis ad amussim hoc praesens venenum dilaceraretur, quo dignas scelerum suorum poenas exsolvere possit! Dignus siquidem, cui multa contingere debeant mala. Lubet et inter illa facinora hoc quoque recensere, quod pene exciderat: *Lutherum* olim in concione inclamavit Ecclesiae christianae et totius Christianitatis subversorem, et commutato nomine *Luther*, quod sonet clarum, perspicuum sive candidum, eum vocavit *Martinum Trüb* et *Dunkel*, quasi dicere vellet *perturbatum* vel *obscurum* vel *tenebrosum*, Te interim non minus quam ipsum verbis oblique perstringit. Similiter et facit de *Erasmo*, quem semper suo nomine, ut prius dixi, Lumpentrager nuncupat. Horum quum audio denigrare famam, molestissime fero, simulque *Taureolus* [1] noster, qui non doctus habetur admodum, eruditorum tamen egregius

1) Fortasse *Oechslin* (qui idem *Bovillus* vocabatur), postea parochus in *arce* ad *Lithopolin*.

defensor est, et Te minus sinit vituperare, quam alius ullus, qui quasi gladiatorio animo, proque focis atque aris, cum illo Zoilo quandoque dimicat, semelque parum abfuisset (nisi D. *Adamus* de *Mollis*, qui eo tempore praesens erat, caduceatorem egisset), quin hunc scorpionem, in suis aedibus, inter bibendum, pugnis et gladio (ut est homo bellicis moribus) affecisset. Si Te audit laedere, non patitur homo, et minus quam venenum: ita Te amat ac colit. Etiam cum maioribus quibusdam quandoque Tui gratia rixatus est. Sunt nempe aliqui (hic sit dictum) eorum, qui Tibi non admodum bene favent, ut percipio, propterea quod eorum ulcera quandoque tetigeris; huic bestiae nostrae (pastoris enim nomine indignissimus est) in omnibus applaudunt et sua dicta velut divinitus confirmant, et sic fit longe magis quam est impudentior. Sed quaeris fortassis: Quinam ii sunt? Inquam. *Francigeni* isti, qui Tibi magis noti sunt, quam mihi, et quos olim egregie (ut peritus es) suis depinxisti coloribus.[1] Hinc illae lacrymae! Haec est illa invidia, quam ex veritate Tibi nobiscum parasti. Tu ne crepitum digiti pendas horum invidentiam! Tui tantum pergas esse, ut facis, similis, et ne a coeptis tuis desistas, Deum O. M. enixe rogo, et ut Te servet in aevum Phoenicem, et spiritum suum uberius copiosiusque mentibus tuis infundere dignetur, quo multo latius ei suas dispersas oviculas iterum in unum corpus redigere atque lucrifacere possis, et diu Te superesse faciat, quo magis ad publicam utilitatem conferre valeas, eiusque gloriam diu occultatam ad lucem deferre queas! Amen. Sed quid ego currentem incito, aut memorem commonefacio? Certe Sus Minervam docet. Tamen Tu ne aegre feras! Quae vel scripsimus vel monuimus, bono et sincero animo, atque aliorum instinctu, fecimus. Praeterea plurimum gaudeo, tuam iam famam passim, atque per totum orbem indies magis magisque divulgari et exerescere. Nam Te a compluribus undique audio commendari (praecipue a *B. Rhenano*, a quo nuper recepi literas, quae Te in coelum usque attollunt) demto hoc solo monstro, quod dii deaeque omnes funditus eradicent. Finem imponere cogor de illo nequissimo nebulone, ne corculum, interim quod semper eius mentionem facio, nimis increscat, et antiquum vulnus refricet, simulque cum ipso deliret et insaniat, ut mihi magis videar inferre damnum, quam sibi. Subtimeo autem porro nonnihil, prolixas meas nugulas stomachum tuum offendere. Verum si scirem, in posterum abstinerem a talibus. Libenter vellem, si me per literas moneres, quo pacto rem gratam Tibi facere possim. Perpurgavi nunc stomachum meum. Non forem neque nocturno neque diurno tempore quietus, si talia adhuc in me laterent. Igitur Te rogatum habeo, meae rudi Minervae ignoscere velis. Existimo me iam post purgationem animum recepisse, et quasi revixisse, qui antea, dum illa in me essent, totus perculsus eram, quum illa quae volui Tibi chartulis assignavi. Sed de iis sat est, ne catalogus ultra modum extendatur. Dixerat mihi *Herus* tuus, ut Tibi exscriberem officium *Bessaniorum*.[2] Illud cum saepe conatus eram adire, tamen

[1]) qui principum exterorum stipendiis militiaque mercenaria vivebant.
[2]) *Veseniorum*.

negotia, quibus in dies distrahor, me impediebant; et ipse librum domi in arca semper clausum habet, et cum mihi bene licuisset per otium, ipse aliunde vagans absens erat. Si cupis tamen adhuc, literis mihi manda et iube! Ego relictis omnibus negotiis tua iussa capessam curaboque, quo Te voti compotem reddam, et fac, ut nobis pro illo officio aliud Trium ad socios scribatur. Ego illico illud parabo, si scripseris. Ob Germani tui mortem certe quantum ego doleo, omnesque *Glareani*, qui eius notitiam habuerunt, vix verbis consequi queo. Peragimus ei nobiscum primum, septimum et tricesimum diem funeris eius. Faxit Deus omnipotens ut anima ipsius (uti confido) in pace sempiterna requiescat. Postremo haec qualiacunque sunt, tuum efflagito splendorem, boni consulat, non literas, sed animum inspiciat, nec me vagum vel plenum rimarum intelligat, aut fucatum amicum, et adulatorio Te aggredi animo. Prorsus istam opinionem a me amotam esse volo. Si quid habes, quod occulte aut manifesto fieri velis, vel verbis vel factis, confide mihi constanter! omnia tua negotia diligentissime procurabo, et sis certus, ut dixeris lapidi et luto. Sum, ut ingenue fatear, Tui quam studiosissimus, et quoties tuum audio recitare nomen, seu ab aliis, seu aliâs mihi in mentem de Te tua suavissima recordatio venerit (ut saepissime contingit) toties maiori in Te amore accendor et inflammor, et Te amabo, velis nolis. Qua ratione me rogo commendatum semper habeas, meque in numerum tuorum amicorum inscribas rogo. Vale felix, et cura ut recte valeas. Valemus nos omnes bene et optatissime, quamvis acerbissima pestis nos pene cruciasset. Sed rigor hiemis et ipse Deus eam refrenavit. Cupimus quamplurimum de Te scire, qua fruaris aura. Iterum vale! Ex officina nostra *Glarcanica* X. Cal. Febr. (23. Ian.) Ao. a nativ. Christiana 1521.

Tuus obsequiosissimus *Cervinus*.

Salutant Te D. *Adamus*, D. Io. *Varschonius*, D. M. *Io. Herus*, D. *Iac. Taureolus*, *Georg. Engelhart*, *Fridol. Beldy*, *Henr. Hessius*, antiquus Quaestor *Fridl. Hirudaeus*, *Osald. Elmcrus*, *Conr. Hessius* [1] atque eius mater.

Inscriptio: An Mr. Ulrich Kylchherr zu Zürich.

V.

BRASSICANUS ZUINGLIO.

Ornatissime vir! Dedi nuper ad Te literas, amicitiae Tuae inaugurari cupiens. Verum adhuc plane nihil responsi accepi. Timeo, me veluti fucum de ignavo pecore a septis eruditionis Tuae abigi. Per Musas rogo, responde vel tribus verbis *Brassicano* tui nominis amantissimo. Certe, nisi fallor, per nebulam, *Brassicanus* Zuinglii buccinator omnium maximus est. Cursim. Ex aedibus D. *Vicarii*. *Constantiae* 31. Ian. 1521.

---

1) Nomen gentilicium *Hessius* hoc loco est *Häsi*.

VI.

ERASMUS FABRITIUS

VIRO ET DOCTO ET CHRISTIANO ULDRICO ZUINGLIO TIGURINO S.

Succenses fortasse mihi, nec immerito me hercle, qui tam sedulo rebus meis invigilans nihil tamen responsi hactenus abs me acceperis. Dignus esset *Erasmus* gravi atque acri animadversione, utpote qui *Zuinglio* suo, velut alteri Parenti amato, in re tam seria velit illudere; verum non caret, quo sese tueatur. De episcopatu *Thermopolitano*, quem equidem Tu facile mihi subeundum persuasisti, [1] nihil certi habeo, quod vel adhuc respondere possim; atque eo magis abest, ut hucusque potuerim, quandoquidem nondum satis explorata mihi est, quae sit ea in re cum genetricis, tum germanorum, sororii ceterorumque amicorum et affinium sententia. Nempe cum de ea re pauca quaedam Matri detegerem, videbatur mihi non multum obluctari primum; ceterum ubi cum praedictis rem confert, obstat plus quam dici queat, utpote mulier levi opera inducta eorum consilio, qui felicitatem huius mundi commodis metiuntur. Et quanquam haud ignarus essem eius Evangelici: Si quis venit ad me et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus: arbitrabar tamen, eam rem tempore successuram ad votum; sed ecce contrarium evenit. Etenim quo longius expecto, hoc magis obstrepunt, interdum etiam cum convitiis minitantes nescio quod ruiturum coelum. Ego qui rem eiusmodi Te consultore lubentissime obirem, non ausus sum tamen prorsus meis contraire: aiunt enim, et *Bovillum* nostrum id ipsis consuluisse. De quo profecto non ambigo: ei enim magis arridet primum illud tuum consilium, quod, ubi abs Te discedebam, ipsi scripseras. Itaque coactis meis copiis in arctum, diu fluctuans haesitansque qua erumperem (nolui enim negare Tibi christianissime videlicet suadenti, neque tutum ratus sum, citra meorum assensum tam arduam provinciam subire): demum id optimum factu arbitratus sum; scilicet, ut cum D. *Administratore*, M. *Leone*, M. *Luca* [2] et M. *Franc. Zinkio Lithopolim* venias post Festum Paschae: nuper enim cum Abbas noster fuisset in *Heremo B. Virginis*, sponderunt omnes hi, ad se velle venire, quamprimum effluxerit sacer ille dies Paschatis. Itaque Te rogo per christianam caritatem, ut una cum illis advenias: nihil non spero tua praesentia me adsequuturum. Id si feceris plane rem Tibi cordi esse ostendes. Vale dulcissime anime mi! Ex domo genetricis meae. *Utingerum* hominem vere christianum salutato, *Margaritam* item famulam tuam, et reliquos quos ex animo christianae sinceritati favere noscis, velut sunt: *Praepositus*, *Nic. Bachmann*, *Gaspar* [3] noster, tuique adiutores. Unum est, quod Te

---

[1]) Vid. Ep. III. Senatus *Badenae* ad *Zuinglium*. [2]) M. *Lucas*, unus diaconorum Eremi. [3]) *Gaspar Megander* (Grossmann), concionator nosocomii; unus decem illorum virorum, qui supplicationem ad episcopum sub-

rogo, Praepositum interroges, quis vineam sacerdotii mei hoc anno possideat: putabam eius fructus hoc anno ad me pertinere. Scribes ad me de omnibus, si modo licebit per occupationes, quibus ut bonus pastor diu noctuque conficeris. Rursum vale. IV. Nonas Martias (4. Mart.) 1521.

Erasmus ille idem tuus deditissimus homuncio.

VII.

BURCHARTUS WIRZIUS ZUINGLIO S. D.

Ecce ut nugigerulus hic iterum te nugis obtusum veniat! Quin tu huic semel iubes, ut una cum istis nugis abeat, quo dignus sit. Atqui, sat scio, te non in nugigerulum hunc, sed potius in me puerum tam temerarium, tam audaculum collaturum; ut qui ausim, imo, quem non pudeat Te virum occupatissimum interpellare, nugasque obtrudere nugacissimas. Sed quid facias puero de te bene mereri studenti? Silentium impones? Sic nec bene de Te, nec male mereri potest. Aut non respondebis? Ne sic quidem fortasse valde bene de Te merebitur, cum nesciat, an gratum faciat tibi, viro tanto, munere, quo fungeris honestissime, Evangelico occupato. Age, mi *Zuingli*, per pueriles nugas meas studium tuum pertinax nequaquam impediri debet; quin potius, si scirem, studio tuo vel minimam horae partem per me, et meas hasce detrahi nugas, tacerem perpetuo. Etenim apud me non minimi commissi loco habetur, studia alicuius, praecipue sacra impedire ac morari. Exemplum cepi a *Iacobo*,[1] Praeceptore meo, mihi charissimo, qui citius, quam a studiis impediri pateretur, pugnis bene caedi praeoptarit. Adeo sacra res illi studium, adeo rursum ab illo retrahi detinerique peccatum esse videtur. Sed iam mihi videre videor ut satis obtuderim te, mihi benignissime auscultantem. Idcirco Epistolium meum puerile hoc claudam modo, ut exoratum Te velim, ne si forte vel in hoc vel in prioribus peccaverim epistoliis, id mihi vitio vertas, sed potius pueritiae atque ignorantiae meae tribuas. Vale. Saluta nomine meo parentes meos iisque me commenda. *Basileae* die S. Gregorii (12. Mart.) 1521, aetatis vero meae 14.

VIII.

IACOBUS NEPOS DOCTO D. UDALRICO ZINGLIO AMICO INTEGERRIMO S. D.

De *Rhetorum* scholis nihil quod sciam dixi; si tamen casus sic accideret, tuum in hac re consilium sequerer. Uxor mea proxima est

---

scripserant, atque Zuinglii sermones assidue calamo excipere solitus erat; postea socius reformationis Bernensis; unde tamen, quum formularum vinculo ingravescentia odisset, per ambitum Buceri aliorumque ecclesiastarum Luthero faventium 1538 cedere coactus, Archidiaconatum deinde Turici adeptus 1545 obiit (Hott. Helv. Hist. Eccl. III. 415.)

[1]) *Iacobus Nepos Basileae*, cuius disciplina mensaque utebatur.

partui, ut iam non commode hinc possim migrare. Nihil tamen hoc obstaret, quin talem conditionem acciperem. Non minus itaque tibi gratias agendas duco, quam si iam omnia in tuto essent. De *Geroldo Meier* [1] quod scribis, gaudeo. Itaque si in rem iuvenis arbitraris esse, neglecto meo privato commodo post festum Paschae fac huc mittatur. Nosti quanti *Burchardum* [2] doceam; de illo autem iuvene faciam, quod vis. Nosti quam curta sit supellex mea; quare fido patrono opus est. Praeterea uxor mea est frequens in ministerio, ut iuvenes sint mundi; est enim ipsa munditiei non negligens. D. *Heinr. Lythi*, tibi adiutor, de quodam iuvene e familia *Wirz* mihi tradendo narrabat; qui cum nihil mandati a te haberet, excusavi, arbitratus, si aut in rem meam aut iuvenis foret, Te in hac re non siluisse. Hoc quidquid est, tuae mando fidei, posthac tuum consilium secuturus, quod cum semel neglexerim, pudet pigetque. Volebam fugere labores et molestias, cum totus mundus his plenus sit. Parentes *Burchardi* velim admoneri, ut non obliviscerentur, quin filio vestes mitterent, ne secus, quam par est, sit vestitus. Iuvenes mihi commissi ad publicum ludum literarium ire permittuntur, donec tenacius imbibant partium inflectiones; ego autem paedagogi vice fungor. *Frobenius Erasmo* caminum aedificat, quem mox affuturum spero. Id si fiet, scies. Nihil novi apud nos. Vale! Quid *Vormatii* fiat de *Lutheri* negotiis, desideramus scire. Si quid praestare possum, in quo Tibi gratum faciam, iube, impera, coge! [3]

Tuus est *Iacobus Nepos.*

IX.

IOACHIM (AM GRÜT) [4]

REVERENDO VIRO SACRARUM ET BONARUM LITERARUM PERITISSIMO, D. HULDRICO ZUINGLIO, PLEBANO THURICENSI, MAIORI SUO OBSERVANDO S.

Rudis haec mea, qua balbutior, Minerva, hucusque vetuit aliquid literarum ad Te dare. Scio enim male apud te audire, quicquid incul-

---

1) *Geroldus Meyer*, filius *Ioannis Meyer* de *Knonau* et *Annae Rheinhard.* Orbatus 1520 patre. Nepoti hoc anno, et aliquanto post Glareano traditus est eruidiendus et alendus. Mater 1523 nupsit Zuinglio. Ad hunc adolescentem Zuinglius misit pulchrum illum libellum pro munusculo balneatico. Cum Zuinglio cecidit 1531 in praelio Capellensi. 2) Wirz. 3) Ex epistola perspicitur, eam scriptam esse aliquamdiu ante festum Paschale. 4) Quantum coniectura assequi licet, scriptor huius epistolae *Ioachimus am Grüt*, Tigurino senatui secundus ab actis, quum nemo alius huius nominis comperiatur princeps ab actis, antea ludi magister *Rupertivillae*, unus subtilissimorum et eruditissimorum adversariorum, qui Zuinglium Turici exercebant. Expeditioni pro Papa 1521 velificatus est. Eundem senatus, utpote veteris cultus tenacem, ad Papam misit, exacturus quod stipendii restaret pro isthac expeditione. E contrario Papa reditum postulabat ad veterem cultum, quem legatus hinc magnopere suadere coepit. Ut reformatio Tiguri plenam victoriam consecuta est, demigravit rursus *Rupertivillam*, postremo Romam, ubi obiit. (Hott. Helv. H. E. III.)

tum et ingenio tuo amplissimo indignum advenerit. Cum autem humanitate tua genuina me amicorum tuorum numero, quod singulari fortunae tribuo, ascripseris, idque coram ac literis saepius probaveris: animum sumsi, confidens, quamvis ipse doctissimus, me imperitum, doctos tamen intimis visceribus observantem, non aspernaturum. Binas quas ad D. *de Anwyl*[1] dedisti literas ab eo accepi, legi, et sibi pro virili meo declaravi. Modica enim eruditione adminiculatur, ingenii est capacissimi, et si verborum intellectus eum fugiat, sensus tamen cognitio non praeterit; quodque semel animo concepit, vena innata, quam ditissimam habet, concinna locupletatur, sua opportunitate divulgat, teque semper tanquam numen praedicat, languet corpore, sed vivit spiritu. Et quod alii iurgiis intentant, ipse rationibus et scriptura confundit. Non taedeat igitur laboris, eum tibi scriptis communifacere, ut illis tanquam calcaribus (quamvis per se acer) admonitus in tui defensionem progrediatur. Ceterum veniet *Thuregum* Ecclesiae maioris *Constantiae* concionator noviter electus, legationis munere cum adiunctis fungens.[2] Eundem ex asse tuum, satis hominem et doctum et humanum, misso nunc negotio demandato, suscipias et tractes. Cupit enim ex animo familiaritatis initia tecum inire, et illam corde magis, quam verbis et ostentatione, ne alios laedat, stabilire. Ex paucis multa intellige. Timeo enim insidias ab eo, quem iure Tantalum nominasti. Per Christum Te obtestor, schedam hanc Vulcano demandes, ne ansam cuiquam contra me praebeam. Dominum meum et Praeceptorem *Utingerum*, cui multa debeo, salvum dicito. Audivi eum carne vesci, sed modestiae eius confidens, eum excusavi. Utinam a carne consuetudine quasi sua abstineret! Sed habet miser ut amans ille Plautinus: Ioco parcat uterque. Ex *Constantia* 6. Apr. 1521.

Tuus ex animo deditus *Ioachim*, Secretarius.[3]

X.

BALTHASAR TRACHZELUS[4] CURATUS ARTENSIS REV. D. ULDRICO ZUINGLIO, TIGURINORUM EVANGELISTAE, HOMINI DOCTISSIMO S.

Cum scrupulus quispiam ingruit, ad Te, vir venerande, veluti ad sacram, ut aiunt, ancoram confugio. Quapropter quomodo hae duae dominicae orationis petitiones, scilicet: „Sanctificetur nomen tuum," et: „Adveniat regnum tuum," in vulgus, quo probe capiat, transfundi debeant, Te literis mandare velim, quae instanti cum nuntio huc advolent, rem facies grato quidem gratius. Deinde cuncta mihi prospera,

---

1) v. I. 117. 2) *Ioannes Wanner*, a *Kaufbeuern*, concionator templi cathedralis, ab Episcopo cum prima deputatione propter primos reformationis conatus Tigurum missus, mox eius amicum manifestum se praestitit. 3) Adnotatio *Simmleri*: Hottingerus I. H. quaerit: „Ad Ioachimum am Grüt?" et adscripsit: „Insidiae *Zuinglio* tentantur." Sed *Ioachimus* de se loqui videtur. — Sine dubio. 4) Vid. Ep. II. 1520.

diis gratia, succedere Te inscium esse nolo. Quanquam locum D. Virginis *Eremitanae* missum facere coactus sim. In causa haec sunt, quod Cooperator meus una cum nostratibus Marti militat. Verum negotium coeptum olim, Iesu favente, perficere spes est. Praetereo cetera, ne Te meis naeniis fatigem. Atque si id unicum proposuero, finem faciam scribendi, quod Tibi semper quam commendatissimus esse cupio. Quoad enim spiritulus hos reget artus, habebis me, cui imperitabis pro voto. Vive felicissime. Ex tugurio nostro XI. Kal. Mai (21. Apr.) 1521.

Balthasar Trachzelus, Curatus *Artensis*.

XI.

BURCHARDUS WIRZIUS

AN DEN EHRW. HOCHGEL. HR. MSTR. ULRICH ZWINGLI LEUTPRIESTER ZU ZÜRICH S. D.

Eloquens omnino mihi viderer et plane aliquis, si Te vi quadam persuasoria adegero, *Ulriche*, ut credas, meas fuisse meoque excogitatas ingenio literas, quas per aliquot iam menses meo nomine scriptas accepisti. Miror itaque, quid *Iacobum* praeceptorem meum per literas quaesieris, quisnam nomine meo admodum saepe ad Te scribat, quasi vero ego, interim dum *Basileae* vel sola studii causa sum, non tantum in literis profecerim, ut vel epistolium quantumvis leve, quantumvis exiguum, quantumvis denique humile, scribere queam. Mihi crederes velim, *Ulriche*, me mihi, meisque Parentibus inutilem filium futurum, si hactenus non profecissem tantumdem, ut etiam sine cortice, quod aiunt, nare queam, si sic vel casu contingat, vel necessitas exigat. Quid enim aliud facerem *Basileae*, quam ut studio, propter quod potissimum hic sum, bonis literis naviter ac pro viribus incumberem? Quid putas, dicturos Parentes meos, quos Tu me melius, et intus (quod aiunt) et in cute nosti, si his rem familiarem, aut certe pecuniariam, ingenti cum labore partam, tum etiam tenaci quadam parsimonia conservatam, sine emolumento prodegero profuderoque? An patienter laturos arbitraris? Quid enim dicturos putas, si olim dum *Turegium* rediero, me interea temporis nihil profecisse intelligant? Nonne se laterem lavasse, me vero oleum et operam prodegisse proverbio conquerentur? Nec video, qua me ratione, saltem verosimili, coram his purgavero, si quid huiusmodi obiecerint: quando otium meum literarium tam liberaliter foveant, tam benigne sumtum administrent, ut si non ob aliud, tamen vel ob hoc unum peccatorum meorum timerem, si non noctibus, atque diebus pro mea virili ac ingenioli mei capacitate literis insudarem. Soleo saepenumero mecum ipse cogitare, quid cogitent parentes mei amatissimi, quorum crumena non secus vincta est, atque cupidinum, quoties pro me, aut mihi pecunia eroganda est. Sic praeterea mecum cogito: esse plane (iuxta proverbium) pondus inutile terrae, si nihil proficeres, si parentes spe bona iampridem de Te concepta fraudares. Cum itaque sic quam possum altissime in me descendo, ad studia literarum sic reaccendor, ut prae literarum amore ferveat ac flagret quic-

quid librorum intueor, adeo ut omnibus quotquot hic sunt studentibus, cum in literis politioribus, tum in linguis tribus, me brevi equis (quod aiunt) albis praecursurum confidam. Age igitur, mi *Zuingli* literas, quas *Burchardi* nomine scriptas accepisti, etiam *Burchardi* manibus, calamo et ingenio scriptas credito. Vehementer enim puderet, literas vel ad Te vel ad alium quemvis dare ullas, meum nomen prae se ferentes, ingenio vero alterius excogitatas. Quid enim hoc aliud esset, quam viro integro literis imponere adulterinis? Nec velim e styli elegantia me veluti leonem ex unguibus existimes, nam praeterquam quod *πολλάκι τοὶ καὶ μωρὸς ἀνὴρ χαταχαίριον εἶπε*, ut *Aeschylus* inquit, etiam hoc unum mihi hactenus studio est, ac fuit semper, dum literis operam dedi, ut elegantia quaeque, si non consequar, saltem pro viribus imiter. Sed non dubito, quin Tecum ipse clanculum sic mussaturus sis: *Burchardus* non persuadebit, ne si persuaserit quidem, se tales, tam elegantes scribere posse epistolas, cum nuces (ut dicitur) nondum reliquerit; et ut aetate puer adhuc, sic in literis etiamnum alphabetarius est. Quem si *Turegii* natum non scirem, e Creta ad nos traiecisse sancte iurarem. Nunc cum *Tigurinum* eum natum esse constet, quid faciam? Dicamne hominem eum esse mendacem, qui mihi iam aliquoties non literis, sed literarum inscriptionibus imposuerit? Non faciam, ne si fecero quidem; nec fidem habebo homini, ne si habuero quidem: adeo magna mihi cum illius parentibus, illis vero rursum mecum non minor familiaritas intercedit. Age mi *Zuingli*! rursumne mihi huius epistolae exordium repetendum est? Cum dixi, eloquentem me mihi omnino videri, si Tibi persuasero, meas nec cuiusquam alterius fuisse literas, quas nomine meo inscriptas superioribus aliquot mensibus accepisti. Quid adhuc dubitas? Si mihi fidem non habiturus es, saltem illis habeas rogo, qui scribentem me circumsteterunt, quorum unus omnium fide dignissimus fuit *Iac. Nepos* Praeceptor meus, animo mihi carissimus. Quod si hic Tibi fidem facturus non est, non video, quem Tibi fide digniorem in testem produxero, nisi si *Conrado Corvino* aut *Zeppio*, et ceteris quibusdam condiscipulis ac contubernalibus nostris maiorem fidem habiturus es, quam vel mihi, vel Praeceptori meo *Iacobo* habeas. Si nihil aliud fidem facit, ut meas credas fuisse literas, fidem faciat quaeso vel sola puerilis ista styli mei *φράσις*; ex qua cuivis vel mediocriter docto, nedum Tibi viro doctissimo, perspicuum esse potest, quis sim quisque fuerim, qui toties iam ad Te scripserim. Nonne puerilia cuncta? Nonne pueriles Tibi videntur epistolae partes? Et quis tandem ego Tibi videor, qui hanc scribo? Nonne puer? Puer mehercle, puer cum sim. Iam igitur persuasum Tibi opinor, vir piissime idemque humanissime, meas fuisse literas, nec cuiusquam alterius: non quod ego persuaserim, sed quod rationes adduxerim, quibus velis nolis credas oportet: quum firmiores sint quam quibus tenere contradici queat, veriores etiam quam quibus credi non debeat. Vale. Prodiit iam pridem Epistola quaedam de M. N. (Magistris Nostris) *Lovaniensibus*, incerto auctore tuo nomini adscripta,[1] quam Tibi dono

[1]) Vid. Ep. V. 1518.

misissem, si nondum istuc perlatam putassem. Iterum vale. *Basileae* postridie Quasi modo [1] Ao. Dom. 1521.

XII.

M. BUCERUS [2] ZUINGLIO S.

Salve, vir pientissime! Tam vitae, quam doctrinae Tuae atque constantiae suavissimus quidam odor, amoene adeo, quotquot sunt per *Germaniam*, veritatis studiosis adblanditur, ut me quoque, non incognitum modo Tibi, verum etiam obscuriorem, quam qui innotescam, invitarit iam pridem ad amandum Te plurimum, nunc etiam audere fecerit literis Te compellare, hominemque ignobilem Tuae charitati commendare. Certus enim sum: qui Evangelium tam doces fortiter; et vivis adeo sincere, citra delectum, nulloque personarum respectu, quemlibet proximum, non verbo tantum et lingua, sed opere veritate diligis, quantumvis sit terrae filius, nulloque nobilis merito. Quo nimirum nunquam satis laudata illa sese Eleemosyna exerit maxime, quando videlicet miseria est certior. Iam hic frater ab obsequio mihi fuit, amans scilicet bonarum literarum, atque Theologiae sincerioris, qua causa, cum, compellente iniquitate atratorum, quos falso Praedicatores appellant, nuper reiecta cuculla, in Christianam me libertatem asserui, misere ab *Hochstrato*, et huius farinae reliquis affligitur, neque alia patet liberandi eius fenestra, nisi, si vale ipsis dicto, in communem se Christianismum restituat, hocque iam agit. Cum autem *Helvetius* sit, Tuque apud hos habearis, quod par est, magno in pretio, non dubitat, quin Tuo patrocinio, si uti contingeret, acturus esset ex sententia hanc causam; oravit, se Tibi commendarem. Cui cum plane negare (ita de me meritus est) nihil queam, quanquam ipsi mihi opus iure sit apud Te commendatore, morem gessi fratri et amico. Per Christum igitur Te obsecro, cum ea sit cum vitae tum doctrinae apud atratos perversitas, cum pertinacius nemo Evangelio adversetur, ut ex senten-

---

[1]) Post eam, quae prima festum Paschale excipit, Dominicam. [2]) *Martinus Bucerus*, *Schletstadiensis*, natus 1491, quindecim annos demum natus monasterio Dominicanorum se devovit; *Heidelbergae* theologiam didicit linguasque antiquas, et concionator factus est apud Principem Electorem *Palatinum*, *Fridericum*. Mentis aciem de religione quum scripta Erasmi curassent, ac Lutherus animum ad reformationem incendisset ciendam, eumque concionans proderet: dum iter facit in Belgium, monachis insequentibus fuga salutem quaerere et apud *Franciscum* a *Sickingen* portum petere coactus est. 1521 Lutherum convenit in comitiis Wormatiae; 1523 Argentoratum profectus professor ibi et concionator cum sociis suis, Zello, Hedione, Capitone, et aliis reformationem introduxit. Infinitum laborem insumsit conciliandis inter sese Theologis Germanis et Helvetiis, sic tamen, ut ruptura deterior fieret, diversam mentem ac sententiam quibusdam phrasibus oblinendo. Hinc formularum confessionis auctor extitit, Protestantes ab se invicem tamdiu distrahentium. Zuinglio istiusmodi placatio male placebat. Idem Bucerus reformationem in Gallia vehementer adiuvit, in Anglia tandem, ubi 1551 mortuus est. (Adami et alii.)

tia Christi esse non dubitem, bonos omnes ab illis desciscere; velis adesse afflicto, et nisi aliud sentis, dare homini consilium, ut Christiano olim liceat esse, hoc est, in Domino libero. Me si refert nosse, *Martino Bucero* nomen est. Municeps et Patronus meus est amicissimus Tibi *Beatus Rhenanus*; obnoxius eram sodalitati Dominicali, a qua nuper assertus sum in communem Christi religionem auspiciis, spero, Christi. Iam a sacris sum *Friderichi Palatini*. — *Lutherum* scias captum[1] quidem, sed nisi me fallant omnia, minime ab hostibus. Res mire celatur, et prudenter sane. Speramus hic, edictum quod *Romanistae Caesari* dictaverant in studiosos Evangelii crudelissimum, nequaquam edendum. Tantum potens est Christus. Migrant hic in orbem alium multi *Hispanorum* et *Italorum*, praesertim purae religioni qui negotium exhibuerunt Episcopi, Comites, Nobiles, alii. Sed et Dominus de *Schiners* iam agit animam. Christus omnia bene vertat. In quo vale felicissime, bonique consule hanc meam audentiam. Apud *Vangiones* X. Cal. Iun. 1521.

M. *Bucerus* tuus quantus est.

XIII.

ZUINGLIUS MYCONIO.

Brevibus respondeo his, quae percunctatus es. Molae huius argumentum, quod in schedae prima facie occurrit, a *Rhaeto* quodam laico, sed egregie docto in sacris literis quantum scilicet licuit latine indocto, concinnatum est, ac ad me transmissum. *Martinus Sänger* is est.[2] Ego vero argumento perspecto, quod ille ad *Lutherum* incommodius traxerat, ad Deum et Christum rectius trahi putabam; et cum non esset tantum otii, ut Rhythmos compingerem, tradidi argumentum ipsum *Iohanni Fuessli*, fusori isti surdastro in vico *Rennweg* habitanti,[3] ei, inquam, (ut hominem recte noscas) qui mihi pro suggestu docenti ad laevam semper adstat, unde et verba illic vides quaedam nobis peculiariora, quae ille nimirum ex frequenti auditu nostri (ut fit) imitatus est.

---

1) Quum Wartburgam abductus esset. 2) Titulus huius scripti est: Carmen breve, quod nuper rusticus Thurgoviensis D. *Martini Lutheri* eiusque doctrinae in laudem adversariorumque in ludibrium confecit. Auctor *Martinus Sänger*, oriundus ab oppido *Mayenfeld*, Scultetus ibi, iam 1509 legatus suae terrae in Francogalliam, aliud scriptum edidit in gratiam reformationis. Vid. Epist. XLVIII. 1522. Cum Bullingero quoque necessitudinem idem coniunxit. (Wirz I. 530. Hott. Hist. Confoed. I. 420.) 3) *Ioannes Füssli*, natus 1477, quum annum 17. ageret, in senatum maiorem delectus, et armamentario praefectus est, auctor Chronicorum usque ad 1519 continuatorum et scripti adversus Hier. Gebweileri apologiam Romanae ecclesiae eiusque ceremoniarum hoc sub titulo: Responsio rustici Helvetii in scriptum futile Magistri H. Gebweileri, quam Zuinglius praefatione instruxit. Priusquam Zuinglius Turicum venisset, conqueri solebat, Clericos nihil docere cum ratione, librorumque sacrorum imperitos esse. Ipse et Henr. Räuchli Quaestor desierant sermonibus sacris interesse, donec Zuinglius prodiit. Quo audito ita censebant: „Hic est orator veritatis, Moses aliquis ex Aegypto educens." (Wirz.)

Is enim Rhythmos omnes fecit, quibus quidem verbis nonnulli pervincere voluerunt, nostram esse opellam, donec admonerem hominem, pateretur rem palam de se praedicari factam; nihil prorsus apud nostros esse periculi. Hoc tamen feci, loca illi ostendi pleraque in sacris literis, quae ille diligenter volvit, et figmentum mecum contulit, quod mire ob sermonis simplicitatem et claritatem placuit, imo, quod sermo prorsus esset Helveticus, affecit, ut eclerius extrusum sit, at incorrectius. Figuram una cum illo finxi, Rhythmum primum, titulum scilicet ipse feci, et praeter hunc nihil prorsus. Recte vero consuluisti huic mulierculae, quaecunque tandem sit, modo pauper sit, ut confessorem adeat. Nam si missio est publica, ipsaque pauper, non puto admodum sceleratum esse: nam mali inter malos vivimus et ingeniorum habenda est ratio, ne pereant. Si autem dives est mulier, nullo pacto illi consulas, ut hac pecunia, qua Christus venditur (hi enim qui venduntur Christi sunt, et quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis) suos alat. Satis est. Vale. Ex Tiguro ult. feria Pentec. 1521. (post 17. Maii.)

Huldr. Zuinglius.

Cetera omnia *Cunhardus* ipse narrabit.

XIV.

BEATUS RHENANUS ZUINGLIO

CONCIONATORI TIGURINO S. P. D.

Qui Tibi has literas reddidit, divi Dominici sodalis est, vir haud dubie optimus atque mirum in modum eruditus, etiam in politioribus studiis. Nam talem esse docent amicorum literae, quibus mihi commendatus est, et ipse congressus etsi perbrevis, evidentius comprobavit. Habet negotium quoddam, in quo tuam quoque desiderat operam. Rogo ut amicum hominem diligenter adiuves. Quale vero id sit, ipse suo ore referet. De *Luthero* multa narrabit. Bene vale mi *Zuingli*! *Basileae* in die celebrationis corporis Christi (25. Mai) 1521.

XV.

GLAREANUS ZUINGLIO.

Mirari antea solebam, suavissime *Uldrice*, nunc etiam obstupescere, quod tam longo tempore nullas prorsus a Te accepissem literas, exceptis istis nuperis. Quae ideo mihi gratae fuerunt, quod Te salvum declarabant. Timebam enim vitae tuae supra modum. Iratus tamen iis eram, quod non multo longiores. At qui eas attulit, vice epistolae de omni fortuna tua quaerenti mihi fuit. Gratulor fortunae tuae mirum in modum, nec solum Tui causa, ut Tecum iocer; sed mei potissimum gratia. Video enim quid mihi nunc sperare debeam. Constitui itaque ad proximum Pascha, si prae bellorum strepitu licebit, in patriam migrare; habebit illa alicubi angulum pro mea tenuitate. Et stabilivi melius agros meos, et felicius hoc anno studui. Nam absoluta Iliade nunc Odysseam adgredior. Ceterum sacerdos ille, honestus profecto

vir, multas de Te laudes praedicat, neque vero id frustra apud me, quippe qui eas avidissime audio, tametsi non erat opus. Novi Te. Vino vendibili non est opus hedera. Laboravit autem idem in re ea, pro qua missus est, et diligenter et magna cum industria. Sed senilis ista *Iasparis* pertinacia nulla diligentia vinci potuit. Adiuvi et ego, quantus quantus eram, sed surdo cecinimus cantilenam: nec persuadetur, nec a proposito discedit: Ac si dura silex aut stet Marpesia cautes. Dolet mihi vehementer, quod eius exciti literis tantum itineris, in tanto praesertim aestu, homo iste maximus natu una cum cive suo frustra propemodum fecerint. Accepi eum hospitio, et ob civitatem Tigurinam, quae me ubique suum habet praeconem et ob Collegium vestrum, a quo saepe honeste exceptus sum conviviis. Porro literae tuae tantum stimuli addiderunt, ut iam coactus id fecisse videar. Verum ipse honestissime ubique solvit, quem equidem Tibi non secus atque Tu eum mihi, unice commendo. Cui Tu ex meis literis apud consanguineos de summa in ea re diligentia testimonium dabis. Vera etenim scribo. Nihil omisit earum rerum, quae fieri potuerunt.

Iam de *Luthero*, ut multa scribam non est visum operae pretium, quum ex *Scudis* omnia facillime intelligere potes. Magnus ille est. Mataeolagi nostri sese dignum egere, ne scilicet vel nostra aetas Pharisaeis careret. Damnarunt Triumviri, [1] *Beda*, non tamen venerabilis, *Quercus* et quidam *Christophorus*. Nomina sunt horum monstrorum etiam vulgo nunc nota, *Belua*, *Stercus* et *Christotomus*. Mirum vero quam Monachi omnibus practicis, ut vocant, nunc discursitent. Ego sane *Lutheri* pene nulla habeo opera, excepta unica captivitate Babylonica, quae mihi tam impense placuit, ut illam ab initio ad finem usque *ter* magna admiratione legerim; ubi, Deum testor, discernere nequeo, an eruditio illa summa animi istam libertatem, an ea *παῤῥησία* iudicium vincat: ita ex aequo mihi certare videntur. Longior esse nolui, quod omnia *Scudi* et elegantius et brevioribus enarrare possunt. *Faber Stapulensis* ab urbe longe abest ad XX lapidem, neque ullam ob causam, quam quod convitia in *Lutherum* audire non potest; tametsi *Quercinus* ille Theologus neque a *Fabro* neque ab *Erasmo* etiam temperet. Tu interim vale, et ita perge ad astra tendere iter. *Lutetiae* 4. Non. Iul. 1521.

Iänni im Haag 5 coronatos dedi bona fide. Salutat Te S. P. Q. R. Inprimis vero *Galateus* et *Herus*. Saluta nomine nostro D. D. *Engelhart*, *D. Henr. Utingerum*, *Binderum*, *Grebelios*, et quos nominis nostri studiosos existimes. Rursus vale et nos ama! id enim nos impense facimus.

---

1) Theologi *Sorbonnenses*, inter quos *Natalis Beda* literis polemicis contra *Fabrum Stapulensem*, *Erasmum* ac *Lutherum* excelluit. Fervor eius postea non temperavit a carpendo Rege Francisco, quod quidem non impune fecit, condemnatus quippe ad poenitentiam ecclesiasticam atque in monasterium relegatus.

XVI.

MYCONIUS ZUINGLIO

VIRO CHRISTIANISSIMO, AMICO PRIMO S.

Scio quod multis hac tempestate vexaris casibus; non tamen potui ad Te non scribere etiam quae me premunt, atque consilium, imo instructionem petere, quemadmodum in iis foret agendum. De libero arbitrio novisti, quae hactenus sunt servata, et quae hodie de ipso disputentur. Quae illi dicunt, plane non accipimus; quae alii, ita tenemus, ut tamen semper aliquid me perturbet. [1] Hoc autem inprimis, quod vulgarium illud videtur confirmari, quo dicitur: Nihil refert qualiter vivam. Nam si sum electus ad vitam, male agere non possum, imo vitae aeternae sum certissimus; sin minus, frustra laborem, etiam si manibus pedibusque adnitar, ut agam quam optime. Quod si verum est (ut a quibusdam etiam bene sentientibus conceditur): posset Deus condemnari iniustitiae. Me capis. Sin autem minus verum, videntur hodierni illi aliquo pacto aberrare. Iam non opus habeo, neque tibi laborandum est, ut vel Pauli cap. IX. ad Romanos mihi proponatur, vel Augustinus, vel Hieronymus contra Pelag. vel Ambrosius de vocatione Gentium, qui omnino cum Paulo convenit: nam illos novi; sed ut illam vulgarem sententiam tua sententia confutes, vel adprobes, si vera sit; idque brevibus: pluribus enim nihil opus. Suffureris Tibi aliquot momenta, ut mihi obtemperes, rogo. Praeterea scis, ut *Artenisis* Parochus ille concionatus sit de Sacerdotum matrimonio exemplo Zachariae et Elisabeth, tumultumque incidisse ob eam causam, ut ancillam suam ad me transmiserit. Haec ergo (ut breviter dicam) ad meos dixit, non ad me, nuperrime Parochum hic fuisse (fuit enim hic) hac de causa, ut sese sibi matrimonio coniungeret, tuo iussu. Atque ita factum. Miror ego, an iusseris, idque hac de causa: nam videretur temere factum, non dico iniuste, et contra Deum, nisi forte in quantum generaret offendiculum. Consultius enim mihi videretur, si suasisses, ut dimitteret potius, usque dum res aliam nanciscerentur faciem. Non enim nescis, quam prorsus hominem christianum, et maxime eum, qui aliis praeest, Paulus scandalum vitare velit, nempe ut peccata iudicet si scandalo sint, quae praeter id peccata non sunt. Fac sciam, an res ita habeat, nec ne. Postremum hoc mihi necessario expones. Venit in manus meas *Platina*, qui vitas Pontificum scribit. Is memorat de *Constantino*, quantis divitiis Ecclesiam Romanam dotarit. Deinde pene inter optimos recensentur Pontifices, qui hunc imitati nihil omiserunt, quod ad templorum exornationem pertinuit. Mihi videtur, nihil ab illis potuisse fieri perniciosius, et tamen eos damnare facti non audeo. Certiorem me facito quam brevissime, si quando licebit per otium. Vale et age viriliter, et confortetur cor tuum, et sustine dum. Me redames volo. Salutant Te mei, inprimis uxor et filius. Raptim. *Lucernae.* XI. Iul. 1521.

Myconius tuus.

---

1) *Erasmus*: de libero arbitrio; *Lutherus*: de servo arbitrio.

XVII.

CAPITO ZUINGLIO,

THEOLOGO INTEGERRIMO, CURATO TUREGI APUD HELVETIOS, DOMINO ET AMICO SUO OBSERVANDISSIMO S.

Memoria Tui maiorem in modum me solatur, ubi tam varias perturbationes videro exortas praetextu fidei. Nam ex animo es inter raros Christianus, nescius fuci. Nihil hic audis, nisi furias utrinque. Reverendissimus *Cardinalis Moguntinus* quantum potest Evangelium ut praedicent, praecipit, citra perturbationem vulgi, sinceriter, absque tam atrocibus affectibus; nec vult ut quisquam clamet in *Lutherum*. Nuper venit Provincialis Ordinis Minorum, instructus magna authoritate, petiit auxilium, ut dicebat, Principis mei, et literas, ut possit concionari per Dioeceses contra *Lutherum*. Quid ad haec Princeps meus? Cordatissime respondit, sibi non probari huiusmodi institutum: non esse sic mutuis convitiis debacchandum. Neque eam sibi viam ad tranquillitatem videri; gratum tamen admodum ipsi, si firmarent pure et simpliciter dicere Evangelicam veritatem, citra atrocem notationem; suapte sponte veritatis luci cessuras tenebras erroris. Nihil se prius in votis ducere, quam audire, qui sinceram Christi imaginem inculcarent, alieni ab impudentia fratrali, plus quam cynica. Id verbi tamen ego adieceram, approbante Principe. Ceterum, diversificantur discinduntur que varias in partes asseclae *Lutheri*. Novum Sophistices genus invehunt, omnia partim rapiunt ad quaestiones, ad contentiones verborum, partim ad furiosos affectus, praesertim Fratres, quo consequuntur, ut bona pars vulgi eos aversetur; et Monachis barbarioribus frequentius operam dant. Metuunt etiam suae Tyrannidi quidam ex Proceribus, postquam viderint, undique conspirare et quiritari multitudinem. O inconsultam temeritatem, o acerbam pietatem! Adde quod acutissime ex *Celso* et aliis rimentur, quae ad calumniam Christi torqueri valeant. Tu perge, mi *Zuingli*, Tuo more; sincere dicas et lenitate summa, qua Christus de mundo splendide triumphavit. Cessi officium Concionatoris, forte haud paulum occupatior, quam olim: tot curis undique distringor. Est omnino ordo aliquis servandus civitatis christianae; emendandi mores recepti, non subvertendi. Dissui, non rescindi potest antiqua consuetudo. Haec ocissime. Nam libuit in sinum amici profundere nugas. Utinam coram daretur! quam prolixe Te acciperem! Vale IV. Aug. *Hallis*, oppido *Saxoniae*, ex arce *Magdeburgensi*. Ao. 1521.

Capito tuus.

XVIII.

FRANCISCUS [1] ULRICO SUO SALUTEM.

Hortaris me, ut, dicta Tibi a Consule die Tibi haud desim, cui causa haec tua aeque ac propria cordi est. Literas equidem scripsi et

---

1) Zinkius, de quo Vol. I. p. 491.

ad Te mitto, quibus Senatus plane vereque rem intelliget. Tu, ut nosti, cordate age, et in Domino confide, qui Te aliquando ab iis liberabit aerumnis. [1] Dolet manus, ut vix, quae volui, scribere potuerim. D. *Vadiano* me commendes, et quando redituri sint ipse alterque Medicus ad S. *Galli* oppidum, hoc nuntio me certiorem facito, ut eos

---

[1]) Lucem huic epistolae affundit partim, quod Zuinglius ipse in Expositione Articulorum XXXVII. Vol. I. p. 354 — 356. memorat; partim literae Zinkii ad Consulem ac Senatum Tigurinum, Eremi die Martis post adsumtionem Mariae 1521, quas epistolae ad Zuinglium addidit, huius argumenti:

„*Ampli*, *Severi*, *Graves* etc. Nuperrime, quum causa Vestri Plebani, M. *Huldrici Zuinglii* ab Amplitudine Vestra cognita est, ego quoque semel iterumque cum hoc Domino Plebano comparui, ea mente, si res peracta esset, ut ipse coram referrem, quid eius rei egomet compertum haberem. Nunc autem, quoniam in morbum incidi, ita ut praesens adesse nequeam, scripto referre volebam atque rem declarare, ut ea vere evenit, nihil quidem praetexens aut celans, ut animi piorum aliquantum sedentur. Nam mihi certe plus ponderis ei causae tribui videtur, quam recte aestimata in se habeat. Hoc omnino verum est, Domini mei clementes! Magister Huldricus ex aliquot annis *Claronae*, *Eremi* ac deinde *Tiguri* annuum salarium a *pontificia* Sanctitate accepit, quam ego, ut famulus, ei aliquoties tradidi nullam aliam ob rationem, quam ob suam penuriam et egestatem, praesertim dum apud Vos *Tiguri* degebat. Et profecto si suppetiae istae defuissent, haud potuisset rem familiarem apud vos tueri; quapropter non semel apud me et alios conquerebatur. Nihilominus id praemii tam moleste tulit, ut optaret praedicaturam apud vos abdicare, in animo habens reverti *Eremum*; quod ei tamen concedere nunquam volebam, sed pro virili dissuadebam, ut ne populo evangelica eius doctrina subtraheretur. Praeterea manifestum est, ut nec Papae neque Caesaris aliorumve Dominorum gratia vel transversum digitum ab Evangelio discesserit, sed verum semper affirmaverit atque in vulgus fideliter pronuntiaverit. Nam si flecti sese passus esset, ut rationibus Pontificiae sanctitatis pro facultate sua velificaretur, oblati sunt ei quotannis centeni floreni; item praebendae Canonicae *Basiliae* aut *Curiae*, quorum tamen nihil ei arridebat. Ipse quoque arbiter interfui, quum Domino Legato *Pucci* ingenue fassus est, ipsum pecuniae causa rebus Papae agendis non inserviturum, sed cum populo verum, cuius conscius esset, communicaturum ac docturum esse, quod ipsi optimum videretur. Quo circa penes Dominum Legatum esse volebat provisionem ipsi dandam aut non. Quo quidem audito D. Legatus eum demulsit: etiamsi Pontificiae Sanctitatis amicus esse nollet, sese tamen eius esse amicum, quoniam non id egerit, ut Zuinglium ab suo proposito ullum in modum deflecteret, sed modo inopiae eius prospexerit, et quo commodius viveret librosque coëmeret, etc. Clementes Domini mei, haec res ipsum tam male habuit, ut saepe numero apud me gravaretur atque idcirco praedicaturam renunciare voluerit, quoniam nimis difficile foret, hoc subsidio carentem rem familiarem tueri etc. Haec igitur Vobis Dilectis indicatum volebam, non ut Magistrum Huldricum infitiarer subsidia sumsisse, sed ut Vos certo cognosceritis, qua ratione sumserit, et quibus momentis adactus, ex optima parte perspiceretis. Nam si qua sollicitudinem possim cavere ac Vestrae Sapientiae ministerium officiosa cum voluntate praestare, nunquam non paratus fuero.

Vestrae Sapientiae submissus famulus *Franciscus Zinkius Eremo.*

mox illuc sequar. Misisti praeterea ad me Scuta Francica 37. Velim autem, ne hinc aliquod patiaris incommodum. Si iis opus habeas rescribe, et de iis ad libitum dispone. Gentem nostram nostro nomine salutabis. Administratorem febricula nuper reliquerat, antequam domum

---

„Eersam, Streng, Vest etc. Nächst verruckter Tagen. als der Handel üwers Lütpriesters Mr. Ulrich Zwingli vor Uwer Eersam Lieb gehört, erschein ich auch beidermalen sammt bemeltem Herrn Lütpriester, des Willens, so solcher Handel zu End kommen wäre, Uwer Lieb mundlich zu berichten, soviel ich dann derselben Handlung weiss und berichtet bin. So mir aber jetzt Krankheit zugefallen, darum ich persönlich nicht erscheinen mag, hab ich die wollen schriftlich berichten, und die Sach entdecken, wie die wahrlich ergangen ist, da gar nichts blümen oder verdecken, damit die frommen Gemüther etwas gerühigt; wann mich bedunkt, der Handel schwerlicher gemessen wurd, wann aber im Grund uf ihm halte etc. Ist wahr Gnädig Min Herren, so hat Mr. Ulrich etlich Jar her zu Glarus, zu Einsidlen, und demnach zu Zürich ein järliche Pension von päbstlicher Heiligkeit gehabt, die ich, als der Diener, ihm etwan gegeben, um keiner andern Ursach, dann allein wegen seinem Mangel und der Notdurft, besonders dieweil er bey Uech zu Zürich gewesen; und wahrlich, so ihm diese Handreichung nicht gethan wäre, hätte er bey Uech nicht mögen haushalten, dessen er sich zum dickern mal gegen mir und andern erklagt. Hat ihn doch solche Gab dermassen beschwert, dass er verlangt hätte, die Pfarr bey Uech aufgeben, des Willens wieder gen Einsidlen zu kommen; hab ich ihm dessen nie wollen gestehen, sonder gewehrt nach bestem Vermögen, damit dem Volk sein evangelische Lehre nicht entzogen wurde etc. Dabey ligt am Tag, dass er weder von des Papsts, noch des Kaisers, noch anderer Herren wegen einigen Finger breit von dem Evangelium gewichen, sondern die Wahrheit allzeit veriähen, und dem Volk mit Treuen angezeigt. Denn hätte er sich wollen biegen lassen, Päpstlicher Heiligkeit Sachen bester Mass zu fördern, wurden ihm erboten jährlich 100 fl. dessgleichen Domherrenpfrunden zu Basel oder Chur, deren er doch keins annehmen wollte. Ich bin auch gegenwärtig gsyn, dass er dem Herrn Legaten Herrn Anton Pucci lauter entdeckt: er wöllte von des Geldes wegen Päpstlichen Handlungen keine Förderung thun, sonder dem Volke die Wahrheit verjähen und lehren, so ihn best beduchte. Desshalb er dann Herrn Legaten gar heimsetzte, ihm die Provision zu geben oder nicht, also dass bemelter Herr Legat ihn beredet: ob er Päpstlicher Heiligkeit Freund nicht wollte syn, dass er doch sein Freund wäre; wann seine Meinung wäre nicht, ihn einiges Weges von seinem Vornehmen abzuwenden, sonder allein seine Nothdurft und Mangel angesehen hätte und damit er desto bas möchte geleben und Bücher kaufen etc. Gnädig Min Herren, solches hat ihn so hart gedruckt, dass er sich manchmal gegen mir erklagt, und darum die Pfarre aufgegeben hätte, wann ihm niht wohl möglich wäre, ohne solche Provision Haus zu halten etc. Dieses hab ich Uewer Lieb gern wollen anzeigen, nicht dass ich den bemeldten Meister Ulrich wollte entschuldigen, als ob die Provision nicht genommen hätte, sonder dass Ihr Min Herren gründlich möchten verstehen, in welcher Gestalt er die genommen, und was ihn dazu gedrungen habe, wollet im allerbesten ersehen; denn womit ich möchte Unruhe abwenden und Uew. E. Weisheit unterthänig willige Dienstbarkeit beweisen, wär ich allzeit gar geneigt.

E. E. W. unterthäniger williger Franciscus Zingk von Einsidlen.

rediissem, qui etiam et alii nostri Te plurimum salutant. Vale. Ex *Eremo* 20. Aug. 1521.

Franciscus tuus.

Inscriptio: *Zuinglio*, Theologo, amico carissimo.

XIX.

ZUINGLIUS MYCONIO SUO S.

Non exciderunt mihi literae tuae, quas vel nunc cum *Kilcheimero* nostro, [1] vel nuper cum in *Urdorf* lavaremus, [2] misisti. Quod autem hactenus nihil responderimus, his imputa, qui non cessant me perturbare, quos et Dominus turbabit, ut spero. *Utingerus*, cum ei literas tuas ostenderem, ita respondit lingua nostra, qua veteres *Helvetios* referre solemus, puta, cum tuae literae iuberent hoc pacto: „Interroga *Utingerum*, an habeat autoritatem creandi me, et quanta pecunia sit opus?“ Wils der *Myconius* werden, so hed ers wol! sust said er gen ander Lüten, er seigs nüd, darf dhes Gelds nüt, [3] quam pro scribendo instrumento, quod ipsi non licet scribere. Reliqua ne scribere cogar, ipse venias ad Martyrum nostrorum celebritatem. Aderunt *Gregorius Vesenius*, *Ioh. Herus Claronensis*, *Leo* iste quoque in *Heremo* rugiens. Vale, et si Tibi unquam persuaserit vel angelus vel daemon, quod Te non inter primos amem, opto ut exosus fias uxori — das dir zwyb fyend werde, quam Tibi Christus fidam servet et incolumem cum liberis, *Kilcheimero*, *Xylotecto*, reliquis etc. *Tiguri*, ult. Aug. 1521.

Kilcheimerus narrabit quaedam; quaedam ipse, ubi aderis. Supra modum placet mihi vir iste.

XX.

GEROLDUS MEIER ULRICO ZUINGLIO TIGURINORUM PAROCHO ATQUE CANONICO DESIGNATO, DOMINO SUO MULTIS NOMINIBUS VENERANDO AMANDOQUE S. D. P.

Me pinguem et nitidum *Ulriche* et bene curata cute (ut inquit Horatius) videres, si huc videndi mei causa venires. Causam pinguedinis meae atque cutis bene curatae paucis (ne Tibi viro gravioribus studiis occupato plus aequo molestior sim) accipe. Primum natura corpori

---

1) *Iodocus Kirchmeyer* (h. l. Kilcheimer) *Lucernas* patricius et Canonicus, a pueritia *Zuinglii* amicus et *Vadiani*, unus de viris decem illis, qui supplicationem de abolendo caelibatu subscripserunt. Nimis praeceps matrimonium iniit, atque mox post Myconium patria exulare coactus tum Turici egit, tum Bernae, donec 1530 pastor loci *Mels* in agro Sargantino, deinde 1531 *Rupertivillae* fieret. Post praelium Capellense profugus inde *Schmidio* Commendatori successit Kusnaci. 1546 vocationem secutus Bernam abiit, ubi Decanus factus 1552 vita decessit. 2) Frequens balneum illo tempore. 3) Id est: Si Myconius Notarius fieri cupiat, facile voti potiatur, ut ne dicat deficere facultatem, pecunia non opus est hoc in negotio.

meo succulento etiamnunc et vegeto indolem insevit laetissimam et heroicam quandam alacritatem; deinde quoniam urbem inhabito talem, qualem etiam si Iupiter inhabitare dignetur, vix usquam reperiat amoeniorem salubrioremque. Vehant alii laudibus Elysios campos, quantum velint: mihi sane unica *Basilea* et campos Elyseos et Tempe et si quid unquam locorum est, amoenitate celebrium, non modo non comparanda, imo multo maioris aestimanda videtur. In urbe praeterea amoenissima reperire est homines utriusque linguae eruditissimos, quorum unus est inimitabilis ille politioris literaturae vindex *Beatus Rhenanus, Selestadiensis*, vir omnis aevi memoria dignissimus; dignus item, qui multos laudet et qui vicissim a multis laudetur. Est dein *Iacobus Nepos*, praeceptor noster, omni laude dignissimus. Sunt et alii viri doctissimi, quos tamen omnes pro dignitate cuiuslibet recensere longum fuerit. Tantum hoc dixerim in laudem urbis, non esse longe lateque urbem neque situs amoenitate, neque doctorum hominum frequentia celebriorem *Basilea*. Athenas ipsas huc cum omni doctrinarum supellectili commigrasse sancte iuraverim. Quantum vero ad me attinet, *Ulriche*, scias et ori meo et ingenio belle provisum, idcirco superius me pinguem et nitidum esse et bene curata cute, scripsi. Vale. *Basileae* 1521.

Tuus *Geroldus Meier*.

XXI.

GLAREANUS ZUINGLIO SUO, DOGGIO, THEOLOGO VERE CHRISTIANO, AC NOBIS TANQUAM FRATRI DILECTO S.

Quas ad me dedisti literas, carissime *Ulrice*, ad 15. Cal. Iun. eas demum ad 14. Cal. Oct. accipio: ita longum circuit γραῦς ista πολύλογος. E quibus tamen hoc unum elicio, non defuisse Tibi animum scribendi, tabelliones non adfuisse; et sane nunc omnia obsepta sunt, quando isti duo reges [1] coelum et terram bello conturbant, vixque puto vel has ad Te venturas literas. Si tamen veniunt, vides animum meum Tibi promptissimum; et quod nunc brevior sum, in causa est altera epistola bene longa cum sacerdote isto *Tigurino* missa. Quanqnam etiam hoc nunc Te scire volo, omnes nos recte valere, me rerum novarum nihil scripturum propter itinera. A *Francis* benigne tractamur. Docti omnes me amant. Graecamur strenue, praecipue *Anienus* et *Herus* in hac arena versantur, *Sylvanus* unus, *Lucernas* unus, et *Melchior Volmarus*, *Erythropolita*, [2] *Urus* unus. De canonicatu tuo non minus gaudeo quam Tu, mihi crede! de hostibus Christi non item, tametsi Tu inde gloriam potius quam quicquam aliud nancisceris. Saluta amicos nostros omnes, *Utingerum*, D. *Engelhart*,

---

1) *Franciscus* I. et *Carolus* V. 2) *Melchior Volmar*, *Rothvillensis*, unus celeberrimorum Philologorum extitit, professor in compluribus Academiis Galliae ac *Tubingae*, quo *Calvinus* quoque ac *Beza* praeceptore usi sunt in literarum studiis.

quem equidem, ob hoc factum in Te beneficium, mirum amo:[1] fecit ut bonus et honestus vir; D. *Ioan. Fritz, Binderum* nostrum inprimis, *Lauchserum*,[2] et si qui sint alii. Scis enim in re hac civilitate, imo vero occasione uti non incommoda, praecipue apud cives, quos scio mihi favere. Iam desino garrire. Vale. *Lutetiae* ad XII. Cal. Oct. (20. Sept.) 1521.

Salutat Te S. P. Q. R. *Herus, Galateus* et *Anicnus.*

XXII.

PETRUS WIKGRAM ZUINGLIO

CHRISTIANAE THEOLOGIAE DOCTO, HUMANISSIMO VIRO, PLEBEIANO IN ZÜRICH, AMICO SUO CARISSIMO.

Si vales gaudeo; at ego capitis doloribus et gravedine ad multas iam dies usque adeo crucior, ut divini verbi concionis provinciam humeris subire nequiens, per alium providere coactus sim; quo nomine de his neque rebus, de quibus olim dum in *Thermis* mutuo fruebamur colloquio commentaremur, Tibi hactenus satisfacere nequivi. Consolationes itaque tuas animae meae procul dubio recreativas expecto, quandoquidem Te verum Israëlitam, verum christiani doctoris exemplar, veram divini verbi buccinam, censendum duxi: utroque nempe, tum prophetiae, tum doctrinae dono clarus, verbo et opere doces. Tales iam pridem in his seculi finibus, omni non vitiorum labe inquinatis, pastores et Evangelii praecones audire desideravi, e quibus verum verbi divini panem, non anilium fabularum furfures, oves Christi praestolarentur. Non his tibi assentari velim; verum calcar adiicere, ne inceptis desistas, minas Tibi creditas olim Deo multo cum foenore redditurus. Neque Te sanguinariorum tyrannorum, quibus ius et fas, imo Deus ipse venales sunt, terreant, quominus veritatem Domini annuncies. Ferent confestim confusionem. Dissipabit quoque consilia illorum Deus. Non est Abel, quem Caini malitia non persequatur. Quid contra me unus ex vestris civibus attentaverit, qua gratitudine beneficiis per me in suos collatis responderit, ex Magistro *Luca* (ni fallor) audivisti: puerum namque illius biennio ferme in aedibus meis a mensa fovi, vestivi, pro iure praeceptoribus satisfeci, nihil recompensae inde a suis repetens; verum malitia eundem puerum instigante, dum posthabitis literis omni nequitiae deditus, me inscio, vagaretur, culpam pessimae indolis mihi immeritissimo imponere student, minis etiam quibusdam adiunctis; dissimulavit tamen Dominus *Io. Henricus Goeldlin*[3] omnem rationem,

---

[1]) Propter Canonicatum a Zuinglio initum. [2]) *Luchsingerus.* [3]) Is fuit Canonicus *Tiguri* et *Embraci*, et Curtisanus, ut vocabant, numerum minorum maiorumque beneficiorum obtinuit; inter alia quoque parafrenarius, familiaris et continuus commensalis Papae. Idem Romae provisionem praebendae, qua parochatus Claronae erat dotatus, adeptus, quum cives ius suum collationis exercerent, eam quidem *Zuinglio* concedere coactus est; hic vero ut a vexationibus iudiciorum ecclesiasticorum tutus ac securus esset, satis dandi necessitas obvenit. Quantus iste homo fuerit rabulista, hae literae docent.

me in procuratorem suum irrevocabilem constituens, iuramento etiam de non revocando facto, testibus et notario praesentibus; nunc autem ubi XXX aureis me emunxit, beneficiolum mihi promissum alteri tradere aut resignare conatur. Dedi praeterea Domino *Henr. Goeldlin* LXX aureos mutuo, pro quibus se sub Camerae poenis obligavit, quos ubi repeto, praeter convitia et iniurias recipio nihil. Fac igitur, vir optime! rebus meis adsis, huic quoque nuntio prudenti consilio adsistas, *Petrum* tuum vicissim votis tuis habiturus paratissimum. Me quoque rev. ac generoso Domino *de Geroldseck* commendabis, Magistro *Lucae* plurimum salutis meo nomine impertiturus, cui pro beneficiis in me collatis parem vel maiorem benevolentiam exhibere studebo. Tumultuario. *Argent.* 10. Nov. 1521.

Petrus Wikgram, Concionator *Argentinensis*, Tibi deditus.

XXIII.

MARCUS BERSIUS THEODORINUS [1]

OMNIBUS NUMERIS ABSOLUTO VIRO D. HULDRICO ZUINGLIO, CONCIONATORI ET CANONICO THURICENSI.

Gravor plane ad Te scribere, suavissime *Huldrice*! Quid enim attinet tam delicatas aures incultis meis et illiteratissimis literis occupare? conveniret magis silere quam loqui, nisi officium cogeret, ne sicut nuper tanta beneficia in immerentem, ita et in non intelligentem, collocasse videare. Speciatim ea celebrare candor tuus non admittit, incivilitas mea non assequitur. Quid ego rependam non habeo, praeter animum, qui adeo Tibi adglutinatus est, ut non posset magis. Quis autem tam divinum pectus maxima benevolentia non amplecteretur, miram et conditam morum facilitatem non exoscularetur, vitae integritatem non suspiceret? Ut interim insignis eruditionis tuae commendationem eruditis concedam, et ut uno verbo dicam: in te uno natura, quid efficere possit, videtur experta; et quod ego magis demiror, tantis animi corporisque dotibus ornatus talem te exhibes, ut a philautia totus sis alienus. Sed ne Te gravioribus studiis deditum inconcinna mea garrulitate offendam, semel finiam, si modo hoc unum a Te extorsero, ut me mancipiorum tuorum gregi adnumeres. *Erasmum* apud nos agere, non dubito Te scire; M. *Beatus* abiit *Sletstadium*, domi rebus suis dispositis ad nos rediturus. Te quoque brevi advolaturum expectamus, sed forte non inconsultum erit differre donec *Beatus* redeat. Sed audi, mi *Huldrice*, rem indignam. D. M. *Nicolaus* et *Simon* hic fuerunt (dicunt) et me nec viso nec salutato recesserunt. Rogo, ne Tu simile facinus admittas. Forte aliquid novi a me expectas. Ea quae nova hic eduntur, vel aliunde afferuntur, prius sunt apud vos, quam apud me.

1523 senatus Tigurinus eum propter machinationes improbas in custodiam coniecit, atque episcopus Constantiensis sub forum suum vocavit; causa tamen eiusque eventus parum liquet, insidiae, ut coniectura probabili assequi licet, *Zuinglio* structae (*Wirz. Schuler.* Hist. Zuinglii adol.)

[1]) *Marcus Bersius*, Plebanus ad S. Leonhardum Basileae.

Adam Petri locos communes rerum theologicarum imprimere coepit, sed non potest absolvere exemplari deficiente. Valc. *Bas.* 12. Dec. 1521.

XXIV.

IACOBUS AMMANNUS D. HULDRICHO ZUINGLIO PAROCHO TIGURINO, VITA PARITER ET DOCTRINA SACRA VENERANDO AMICO PRIMO S. D.

Ut possim parere Parentis imperio hac in re nimis vereor, optime *Zuingli*, ut pistrinum id exarandi perpetuo subeam. Unde tametsi plurimum laudis et emolumenti proveniat scite rem tractanti, animus meus tamen omnino reclamat abhorretque, quoticscunque huius conditionis in mentem venit. Quae quia Patri meo hónesta visa est et fructuosa, pie amanterque consulenti, odiosius coram adversari non libuit. Verum hac causa *Basileam* invisere iussus sum, ut alterius avunculi sententiam quoque sciter, quid illi optimum factu videretur. Is tantum abest in hac sententia ut sit, ut paratus sit omnia benigne suppetere, victum, contubernium, librorum copiam, priusquam patiatur ullis viribus ab studiis humanioribus me avelli segregarive. Si minus in perpetuum id quidem, saltem annis aliquot obtinere conabitur, ubi equidem per quietem et otium, adscitis in consilium evangelicis literis, vitae genus aliquod mihi deligam, quum naturae meae tum servandae tranquillitati animi idoneum. Hanc rem itaque plurimum adiutabit apud parentem meum, carissime *Zuingli*, autoritas tua gravitasque. Quae pie supplicanti hac in parte non desit, etiam etiamque rogo obtestorque. Verum heus Tu quasi imprudens harum rerum, ignarusque omnium patrem convenias! Ipsi enim per literas nihil significavi: consultius enim esse visum est cum Patre coram *Basileae* agere propediem. Vale, ut dignus es, felicissime. *Basil.* 1521. [1]

XXV.

HULDRICHUS ZUINGLIUS DOCTISSIMO VIRO BERCHTOLDO HALLERIO,[2] BERNENSIUM EVANGELISTAE VIGILANTISSIMO, AMICO SUO CHARISSIMO S.

Satis superque fuerat nobis honoris impensum, *Berchtolde* charissime, tua istac brevi, sed absoluta epistola, ut supervacaneum fuerit

---

1) Ex epistola Grebelii ad Myconium intelligitur hanc epistolam post 4. Nov. exaratam esse. 2) *Berchtoldus Hallerus*, *Aldingae*, ditionis Wirtembergensis, natus 1492, quum scholas inferiores Rothwilae et Pforzhemii frequentasset, in Academia Coloniensi sese excoluit. Deinde postquam paullum temporis ludum literarium *Rothwilae* administrasset, comitatus est Rubellum, praeceptorem suum *Bernam* 1513, scholam ibi conditurum, ibique Canonicus factus et 1521 plebanus ad monasterium S. Vincentii. Mox amicitiam Zuinglii appetivit eumque ipse Tiguri convenit ad ultimumque halitum amiliaritatem intimam cum eo servavit, id quod abhinc decurrens series epistolarum inter ipsos commutatarum comprobat; eandemque necessitudinem

argentum addere, quasi mundum sincerumque eloquium, cuius argentum symbolum in sacris literis habetur, istoc argento, quo invicem vemundamus, non gratius fulserit. Adeo visus sum mihi animi tui candorem simplicem et simplicitatem candidissimam hac tua pusilla quidem, sed docta perspexisse epistola. Verum gratiae habebuntur tuae humanitati: et si non alia re, tamen animo, ad quaevis tuo nomine obeunda propenso. Hoc enim pacto satisfacere apostolico praecepto poterimus, dum alter alterius onera portaverimus. Quamquam haud sciam (ut Sosiae Terentiani verbo abutar) quidnam mea ars Tibi efficere possit; nisi quod scio contentum esse candorem tuum, si mihi perpetuo constitero, ac evangelici muneris opus, quod annis abhinc quinque sumus orsi, Deo auspice, persequamur, donec ille nos rude donaverit. Facturus sum autem id lubens ac volens; modo ille dederit et velle et perficere. Nam ut non inficior ex infirmitate nobis nonnunquam taedium obrepere, dum immeriti proscindimur; imo ut nobis videmur optime meriti de omnibus: ita negare non possum, taedio poenitudinem succedere, quum calcaribus Christi conscientia nostra exagitatur, quibus ille torpentem ac domi suae desidentem animam expergefacit, interim terrendo, interim autem pollicendo, ut cum dicit: „Quem mei puduerit coram hominibus, pudebit et me illius coram patre meo; et qui me negaverit, negabo et ego" etc. et: „Qui amat animam suam in hoc mundo, perdet illam," et: „Ex ore tuo te iudico serve nequam, etc. quod non fenus fecisset mina sua;" et: „Sal, quod vim suam amiserit, ad nihil postea valebit, quam quod in publicum iter abiiciatur et conculcetur ab hominibus," et: „Dominus veniens inertem servum secabit, ac sortem dabit cum Pharisaeis." Atque haec loca de terrendo adduximus; alia quoque adducturi, si qua sunt, nisi epistolae modus vetaret. Nunc proximum est, ut adducamus ea, quibus non eximia modo, sed aeterna pollicetur, ut cum dicit: „Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego illum coram patre meo;" et: „Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam." Et necubi cessaremus, quod nomen nostrum male audiret, metueremusque perpetuo fore opprobrio, dicit: „Beati eritis, cum vobis maledixerint omnes homines." Idem tractat Matth. V. si nomen nostrum penitus conculcetur ab hominibus, et eiiciatur, gaudendum tamen docens, quod memoria nominis nostri apud illos abolita, qui nobiscum sunt mortales, scripta tamen habeatur in fastis supernorum civium. Et ne timidulos redderet *ἀπολογίας* egestas ac desperatio, quod omnium essent inexperti, securos reddidit, spiritum suum adfore contestans, quum iam apud Praesides prooemium ordiri meditaremur, et salvos dixit futuros, qui usque in finem durarent; nec

---

prorogavit in Bullingerum. Cogitata reformationis consultaque ad eam conficiendam quin adeo orationes habendas, ab eo mutuo sumsit vir non tam doctus, quam ad res agendas industrius ac summopere modestus et lenis. Cum Zuinglio potissimum disputationem Bernensem moderatus est, quae victoriam reformationis ibi consummavit. Per multa incommoda corporis quibus afflictabatur, iam 1536 morte defunctus est, 44 annorum. (*Kirchhofer.*)

vereri debere eos qui corpus trucidare possint, at animam ne laedere quidem queant. Haec inquam, aliaque in consimilem usum vel dicta vel facta mecum reputans, huc aliquando venio, ut mori pro Christo non usque adeo detrectem apud me. Aliquando vero nostra haec infelicia tempora intuens, quibus temeritas et ingratitudo, ne dicam iniustitia, omnia tenent, omnia pervadunt, omnia vastant, in tam diversam trahor sententiam, ut ne mihi quidem plane constem quid sentiam, nisi quod dum ad me redeo, divino nutu omnia haec fieri cognosco, ut hoc pacto qui ad Deum accedere fide nolebant, deploratis rebus omnibus, ad hunc unum confugere cogantur; dum scilicet omni humana ope [illegible]rimus destituti, huc tanquam ad Iovis *χρησφύγετον* concurramus. [illegible]us tecum egimus, quam tempusculum illud pateretur, ut aestus tibi [illegible]ros, dum ore non possumus, calamo exponeremus, et si qua parte essent usui Tibi futura, non deessemus. Quanquam haud ignoro te plurimum posse, non modo te ipsum consolando, sed etiam alios adhortando: ansam tamen praebui abundantiora parturiendi et vicissim nobis communicandi; ut dum indigne audis apud tuos, discipulum nostrum esse factum, omnibus non discipulum nostrum, sed praeceptorem esse probes. Petivisti iam aliquoties de fide, et de cultu sanctorum sermones ad te transmitti; quod ideo non praestamus, quia calamo nunquam excepimus, quod fortasse negotiorum nostrorum rudis aliquis detestetur. Tu vero, qui ea et vidisti et audisti, boni consulturus es; quamprimum igitur tantum otii nactus ero, votis tuis et si non satis, aliquid tamen facere studebo. Tu interea quod a me requiris, ipse strenue exequere, ut ursi tui ferociusculi, audita Christi doctrina, mansuescere incipiant; quod negotium summa lenitate adgrediendum puto. Nec enim apud tuos sic agere convenit, ut apud nostros: tuorum enim aures etiamnunc teneriores cum sint, non sunt protinus tam mordaci vero radendae, quod et Christum sensisse puto, quum vetuit margaritas ante porcos dissipari, qui fortasse in te conversi magna te saevitia discerperent, ac in perpetuum Evangelium Christi horrerent. Palpandae igitur sunt hae ferae lenius, et ad earum insultum paulisper cedendum, donec patientia nostra intrepidaque pectoris constantia superatae, cicures reddantur. Dedit et Petrus aliquid, quum dixit: Sed nunc scio fratres, vos ignorantes isthoc fecisse; dedit Paulus, dum Galatas lacte, non solido cibo aluit. Cesserunt omnes apostoli saevitiae, dum non pervicaciter Senatui obstrepuerunt, vibicibus etiam lividi, sed a praedicatione non cessarunt. Sic rogo fias omnia omnibus, ne tecum Christus explodatur. Serva nobis Christum apud tuos; patienter audi, ne mecum male audias. Quanquam quod illi impudentius in me iactant, impudentissime confictum est: neque enim cum *Franco*, neque cum *Caesare* quicquam commune habemus praeter ceteros mortales, nisi unicum Christum, qui nescio quam sit illis cordi, dum coelum terrae miscent, et omnia tumultibus et caedibus implent. Salvere iube nostro nomine amicum nostrum *Trempum*, *Sebastianum*, *Valerium*,[1] medicos hunc corporum, illum animorum, *Thomam Vitembachium*, charissimum praeceptorem nostrum, si quando ad vos

[1]) *Sebastianus Meyerus* et *Valerius Anselmus.*

concesserit, et omnia boni consule. Opto te frater in Christo, valere. Ex *Tig.* 4. Cal. Ian. 1522. (29. Dec. 1521.)

MDXXII.

I.

MYCONIUS ZUINGLIO.

Continuis iam 6 hebdomadibus laboro tussi et catarrho, ut libros non possim adspicere. Atque is morbus erit mihi donec *Lucernae* vixero. Quamnam alibi daretur vivere, ubi aura possem prosperiore frui. Dicunt Medici, si diutius hic permaneam, grandem vitae portionem mihi ademtum iri. Volui ut haec scires; verum cur scribam, haec causa, cum alioqui sim adeo ineptus. Venerunt duo sacrifici ad me pridie quam haec scripserim. Ii, nescio quo pacto, inciderunt in sermonem de Te honestissimum et qui dignus foret, ut in conspectu meo depromeretur. Alter tandem sic incipit: Fuerunt apud nos superioribus mensibus duo monachi praedicatores. Illi mira dixerunt de *Zuinglio*. Roganti vero mihi ita respondit. Quia rogas non lubens dico: suspicio suboritur enim, quia amicus Zuinglii es, mox ut cognoris omnia te ei renuntiaturum. Tum ego: Recte dicis: haec enim causa, et unica quidem, cur scire percupiam. Ille vero multis compressis tandem dixit, ut intelligerem monachos effutivisse de pensione, et quemadmodum absolveris duos Dominicastros ab ordine, tum uti Thomam, qui apud te obiit, nocte et clam sepeliveris. Ego his auditis risum non potui continere, nescio quo motu: nam impotentius stomachabar, quod perniciosissimi homines conantur te suis mendaciis toti mundo facere odiosum. Narraveram, uti res habebat. Mirabantur illi sacerdotes mirifice monachorum temeritatem, odium, mendacia, tantorum praesertim, quanti sunt, qui haec blaterarunt. Vis nunc scire, quid cogitarim, ubi, quae scripsimus, audivi? Quam sis propheta, qui omnia haec provideris; sed sine eos intrare in aquam, dum non possint regredi, ut omnes denuo intelligant, quid hoc hominum genus agat, moliatur et aliquando perficiat in optimum quemque. Eo die, quo haec signavimus, *Bastardus* grandis magister in *Francia* oppidum nostrum intravit 400 equitibus.[1] Nescio quid fortunae adportet. Non possum ulterius scribere. Vale. Si placet, aliquando scribas mihi de rebus tuis. Valeat *Scudus* familiaris tuus et alii. *Lucernae* in vigilia Magorum. (5. Ian.)

Myconius tuus.

---

1) *Renatus*, naturalis filius Philippi, ducis Sabandiae, avunculus Francisci I. regis a matre, maior domus (Grand maitre) regis et crebro legatus ad Confoederatos de auxiliis conducendis, iam ex 1508 civitate Bernensi potitus, unde magnam quandam ad res peragendas opportunitatem nactus erat, hoc ipso tempore splendida cum pompa arcisque pecuniae Lucernam venerat, ut novam militiam pro Gallia redimeret, quod negotium tam prospere successit, ut omnes Confoederatorum civitates praeter *Tigurum* obsequerentur. Cecidit in proelio ad Paviam 1525. (*Stettler* et *Hottinger.*)

II.

BERCHTOLDUS HALLER ZUINGLIO ECCLESIAE TIGURINAE SPECULATORI, PRAECEPTORI SUO CUM PRIMIS OBSERVANDISSIMO.

Epistolam tuam literatissimam, integerrime Praeceptor, cum obviis, ut aiunt, manibus, accepissem: non sine fenore magno legi relegique, admodum delectatus, atque ea Christianismo convalui, ut nihil supra. Animus enim meus nonnihil hac rerum et hominum varietate dejectus, et ad sufferendas iniurias impatiens, hac Tua epistola sic obduruit ad omnia aerumnarum genera, ut aequiorem iam illis me praebeam, qui nulla penitus iniuria lacessiti (nisi verbum Domini, ut solent, iniuriam interpretentur) se mihi infestissimos praestiterunt. Nisi enim tantopere me tuis exagitasses calcaribus, torpentemque expergefecisses hunc spiritum meum: profecto mox officio concionandi cessissem, (non credis, quas bullas *Bernatum* magnates certi eructaverint) meque una cum D. *Thoma Wyttenbachio Basileam*, literis illic politioribus, et Graecis et Hebraeis invigilaturus, contulissem. At tua Epistola admodum suavi consolatus, vires omnes intrepidus resumsi atque id mihi Christianissima tua exhortatione certo persuasi, satius esse pro temporis huius calamitate, ut evangelizem, quam in angulis quibusvis studiis inserviam; donec Domino verbum suum multa virtute muniente, Christum, cucullatis nugis longe a nobis exulem, imo in exilium prope relegatum, pro virili restituerim: tunc enim aliquando me piis studiis tutius devovere possum. Meum nunc est humanitati in me tuae immensas referre gratias, qui inter tot tantaque studiorum negotia occupatissimus me suppedaneum tuum ornatissima illa epistola reficere dignatus es. Nolim a me, nullius ingenii homine, tam concinnam, tam sententiarum pondere gravem, te plane dignam, exspectes. Sed cum ea te morum clementia praeditum et genuina felicitate noverim expertissime, ut et ab ineruditis literas etiam barbaras summa animi alacritate suscipias, animatior factus, saepius, pro voto meo te semper boni consulturum meis ineptiis obruam. — Ceterum sermonem de fide et Sanctorum cultu, ex Tui ingenii felicitate depromtum, indies expecto. Importune tamen nolim tua interrumpas studia; at cum per otium plene licuerit, propter communem nobis Christum, fac voti compos fiam. His vale basilice, valeantque confratres tui, Domini mei, item cooperatores tui cum tuis omnibus integriter. *Bernae* ex aedibus meis V. Cal. Febr. (28. Ian.) virginei partus 1522.

Sebastianus Ilam ad Corinth. epistolam aggressus,[1] imo et *Valerius* te salvum plurimum desiderant, nec te solum, sed et Christum in Te et tuis. *Trempius* amicorum tuorum amicissimus una cum contorali sua honestissima bene valent, et te optime valere cupiant. Nec est, quo Te excuses, quin vel semel pro redimendis negligentiis, dixe-

[1]) Hi sermones *Sebastiani Meyeri* 1546 literis excusi prodierunt in vulgus.

rim indulgentiis *Montem Beati* petas, [1] nos abunde visurus. Vale rursus et salve.

Tuus B. *Hallerus* in Christo, imo ad vota tuissimus.

III.

PETRUS SCUDUS D. ULRICO ZUINGLIO DOCTISSIMO IUXTA AC INTEGERRIMO VIRO NOBIS LONGE CARISSIMO S.

Quod tot iam mensibus, quibus negotiose quidem hic [2] otior, ne unum quidem ad Te characterem perscripserim, doctissime *Zuingli*, non hoc hercle vitio contigit, quod vel a iuvenilibus annis sincerum Tui nobis insitum studium unquam e pectoris secessu evolarit; quin crebris iisque gravibus occupationibus ultro citroque discursandi sic distrahimur, ut ne punctum quidem brevissimum amicitiae fulciendae locare queam. Sic alienis discrucior negotiis, ut nec ipsis adeo Musis tam mihi blande a puero arridentibus debitum pendere officium liceat. Sed spero fore, ut tacitam rursus tranquillitatem nactus in abdito quopiam secessu totum divino literarum studio denuo me vendicem, quem Divum benignitas dignum opinor conatum quaeso provehant et augeant, omnisque aequi voti compotem reddant, opto. Sic totus enim ceu Delio quopiam inspiratus ad disciplinas iam renascentes e diuturnis, quibus afflictae fuere, tenebris afficior, sic ad avidum illarum haustum inflammor, ut omnis pene mora nimium mihi diuturna, omne spatium nimis quam existimetur longum. Sed quando Divinae naturae lege constitutum est, ut ipsum se tempus belle adeo nostris ubique actionibus accommodet, necessum est, ut ipsos quoque nos illius per vices opportunitati passim adornemus. Proinde tantum mihi de generosa morum tuorum mansuetudine polliceor, tantum de insigni illa iuxta ac sincera pectoris tui benignitate persuadeo, ut quum toties ipse quoque dura fortunae discruciatus sis violentia, me quoque esse saevae illius tyrannidi obnoxium agnoscas, quae me ceu polytropum Ulyssem quempiam inter Scyllam et Charybdin periculosissime oberrantem crebris procellarum fluctibus hinc inde iactitat, omnibus tentat modis, nullis prope non casibus obvicit; spero tamen assidue Superum aliquando benignitate felicem ad Ithacam mihi reditum dari, cuius utinam, o Divi, brevi contingat oris appellere, sed non ea infelicitate, qua ille; familiae scilicet, i. e. Camoenis literarum praesidibus ignotum, ut prorsum me peregrinum ac a se alienum, non priscum huiusmodi possessionis administratorem existiment: constitui profecto vetus ab illis ius (si quod unquam mihi fuit) expostulare. Totum nempe me illis dico mancipoque, quod utinam illae mancipium in suum recipere arbitrium minime graventur. Tuae subinde fuerit mansuetudinis, doctissime vir, eum Te posthac patronum,

---

[1]) Hoc id sibi vult: Zuinglius iter sacrum instituat ad antrum S. Beati in monte S. Beati a parte orientali lacus Thunensis situm, per eamque occasionem ipsum visat. [2]) *Glareanae.*

quem hactenus officiosissime praestitisti, exhibere! nam tuae revera auctoritatis favore non mediocre studiis nostris fulcimentum accedet, id quod cum permulta alia, tum non usque adeo infelix, ni fallor, rei eventus abunde satis hactenus edocuit. Sed ea de re ut latius disseram, modestia prohibet et terret pudor. Tu saltem stude, ut Tui similis esse pergas et eximio illi iuxta ac integerrimo Praesuli Domino *Abbati* ex *Eremo*, ubi ubi venerandam illius paternitatem conveneris, fac quaeso, impense me commendes. Pridem enim, cum obiter ex itinere locum *Eremi* praetergrederer, non verita est sincera illius integritas eo se demittere humilitatis, ut ad se nos arcesseret; sed accessionem profectionis vetuit acceleratio, cui id imputo malum. Haec enim mihi colloquium iam olim cum amplissimo illo iuxta et eruditissimo Musarum patrono exoptatum prohibuit. Verum id oblata commoditate egregie explebo. Tu interim semper, ut hactenus, tuum me censeas, cuius ego votis perpetuo acquiescam. His vale *Scudi* tui memor. Ultimo Febr. die Ao. 1522.

P. *Scudus*, tuus ad omnia vota obsequiosissimus.

IV.

GLAREANUS ZUINGLIO EPISCOPO TIGURINO AMICO NOSTRO SUMMO.

Satis incommoda nobis sunt itinera, cetera omnia ex voto: magno enim plausu iuvenum et civium susceptus sum *Basileae*. Iam ad *Bernam*, ut opinor, commeabo. *Erasmus* recte valet, et tota doctarum cohors, a quibus omnibus plurimum salutaris. Vehementer timeo inter *Lutherum* et *Erasmum* duellum;[1] quod si evenerit, quam, dii boni, literarum studium gravabitur, cum perditissimi Sophistae conspicient doctrinae omnis lumina confligere. Causam plane perspicio animo; verbis explicare neque debeo, neque fortassis expedit. De re mea, si commode potes, ad *Bernam* perscribito. Sin minus, usque ad meum adventum differre poteris. Neque enim festino magnopere et res meae nondum firmatae sunt; tum incertus bellorum eventus me distinet. Verum quandoquidem ille tecum colloqui cupivit, tu occasionem non relinquito: neque enim quicquam aliud quam animum eius cognoscere cupio. Tempus et conditionem non admodum curo. Vale et me ama. *Bas.* ex aedibus *Rheti* nostri.[2] IV. Non. Mart. (4. Mart.) 1522.

Salutato nomine nostro omneis amicos, atque ea in re sis, precor, officiosus. Neque enim omnes nominare possum, *Utingerum*, *Valentinum*,[3] *Georgium Chalybeum*,[4] *Henricum Lutium*, imo vero omnes: molestum sane enumerare omnes.

---

[1]) Iam *Lutherus* theologica placita *Erasmi* de libero arbitrio tamquam parum christiana literis privatis reprehenderat. [2]) *Artolbii?* [3]) Fortasse *Tschudi*, quum ex ep. I. aliquis Tschudi apud *Zuinglium* degeret. [4]) *Georgius Stähelin* (Chalybeus) ex agro *Mark*, quae pars est Cantonis *Suitensis*, sub finem 15. seculi natus, 1518 Caplanus *Altendorfii*, in patria propria, et *Badenae*, in suspicionem venerat propter liberaliores animi sensus. Zuinglius

V.

MYCONIUS D. HULDRICO ZUINGLIO PASTORI TIGURINAE ECCLESIAE, AMICO PRIMARIO S.

Retulit mihi *Conhardus* [1] te quaesisse ab eo, demigraturusne sim *Basileam* ad *Glareanum*. [2] Fuit plane novum quod dixit et primo auditum; quamobrem nihil respondi, quam quod res est, me hac de re ne somniasse quidem. Addidit tum, quantam mei curam haberes, si forte queam aliquando redire ad vos. Rogo istam ne abiicias. Nullibi enim malim esse, quam apud Te, et nullibi minus libenter sum quam hic. Idque tum hominum causa, tum aurae. Molesti sunt mihi illi etiam, dum ab aura corrumpor. Aiunt enim nequitias meas id commeritas. Verum nugae tales minus me movent, quam quod omnem sanam doctrinam contemnunt; omnem diligentiam, qua utor, negligentiam vocant, atque adeo quicquid facio, venenum est illis. Sed est in quem omnis spes mea reclinat. Ceterum accepi, Te fuisse apud *Erasmum Basileae*. [3] De hoc homine rogo per Deum aliquid mihi significes, nec omittas quae de epistola mea dixit, faciasque hoc quam ocissime, i. e. quum tantum dabitur otii. Vale meque redamato. Salvum optant Te coniux infirma et *Felix*. Salvi quoque sint communes amici, inprimis *Utingerus*. *Lucernae*.

Myconius tuus.

VI.

ZUINGLIUS BEATO RHENANO.

Scribis ad me parcius atque ego vellem, humanissime *Rhenane*, neque ut arbitror epistolarum parsimonia rem facis. Nam quae iactura fuerit Schedam huic nostrae parem absumere, praesertim quum videas, nos, cui res est angustior, nec chartis, nec Tibi, quem invitum cogimus hac nostra legere, parcere; tametsi haud parvi referre putamus, si minus ad Te scriberemus, non quod hac in re, quam mox audies, ipsi aliquid possimus, puta vel sententiam dicere vel χειροτονεῖν; sed quod summa saepe negotia ab humilibus pependere magis quam summates ipsi crederent, et a pastore saepe didicit imperator, qua parte posset exer-

---

enm 1520 diaconum sibi adscivit; 1523 pastor *Viningae* in comitatu Badensi, ubi Eremus collaturam habebat. Hic diu periclitabatur a Praefecto *Fleckenstein Lucernate* ex improviso tolli; deinde *Bielenses* eum concionatorem vocarunt; 1531 *Bernates Zofingam*, ubi iuxta *Sebastianum Hofmeisterum* ministrabat ecclesiae, inde 1543 iterum *Tigurum*, postea *Ruticonam* venit, tandem in *Turbenthal* delatus est. (Misc. Tig. 679. sqq.)

[1]) Probabiliter *Conradus Grebel*, vel Commendator *Conr. Schmid* [2]) Antehac se optare *Glareanus* dixerat Myconium sibi socium instituti. [3]) Quando *Zuinglius* fuerit *Basileae*, accuratius constitui nequit, quam voce *Grebelii* ad *Vadianum* 12. Ian. „*Zinlius* his diebus Erasmum adibit *Basileae*," atque e loco epistolae, quam 4. Mart. *Glareanus* ad Zu. scripsit No. 4, collato cum animadversione Zuinglii ad *Beatum Rhenanum* coniicere licet, eum ante 4. Martii reversum fuisse.

citius citra periculum in locum tutum subducere. Est itaque ea res, quam tantopere celo, ista. Accepimus paucis ante diebus, duellum inter *Erasmum* atque *Lutherum* futurum: [1] propendent enim omnia ad dissidium: stimulari hunc a *Wittembergensibus*, ut adulatorem aliquando prodat; illum a *Romanensibus*, ut haereticum sibi damnosissimum extinguat. Quae res quantum mali datura sit Christianis, coniectura non opus habes; sed ob oculos Tibi scio iam versatur, ut cum facta fuerit (quod Deus avertat), clarius cerni non possit. Scis enim quantae ab utriusque parte stent copiae, quantaque sit utriusque vel pugnandi vis vel eludendi solertia. Non contingent illi, ut reor, moderati isti *Budaei* ac *Stapulenses*; huic vero non infantes *Latomi* ac vani *Eccii*. Est apud utrumque, quod nobis prodesse poterit plurimum, quod obesse minimum. Iudicat uterque gnaviter et graviter; est tamen utrique quiddam peculiare (quod citra invidiam tamen dictum volo), quod si alteri adfuerit, iam is illi comparari, nedum aequiparari non queat. Quin ista nobis per partes cur non servat uterque? itane placet eis, salvis non esse nobis? At quam tandem Helenen domum reducent? Amabo, prudentissime *Rhenane*, clam cum *Pellicano* nostro [2] et aliis doctis apud *Luterum*, clam apud *Erasmum* rem componite, apud hunc praesenti ore, apud illum literis. Scimus utrumque cedendi nescium, scimus *Ulyssem* consiliis *Aiace* fuisse semper superiorem; at secuta est hunc non minor gloria, ac nescio an illius non sit quibusdam suspectior. Capis me, satis scio. Offenduntur apud nos quidam epistolis quibusdam *Erasmi*, quod non candide de *Lutero* sentiat; ego vero

---

1) Cfr. Ep. 4. *Glareani* ad *Zuinglium* 4. Martii. 2) *Conr. Kürschner*, latine *Pellicanus*, a *Villa* Sueviae oriundus, *Ruffaci* natus. Postquam *Heidelbergae* ductu materni avunculi, eruditi *Iodoci Galli*, literis imbutus esset, iam 1493 in ordinem Franciscanorum ingressus 1496 *Tubingae* studia continuavit, ibique in *Staupitzii* notitiam venit. Euclidis et Scoti praeivit lectionem simulque concionator tam libere locutus est, ut propemodum quaestioni de haeresi subiectus esset. Singulari cum diligentia Hebraicam linguam addidicit, a *Reuchlino* adiutus. 1502 theologiam Basileae professus, 1504 cum cardinali *Raimundo*, Papae legato, Romam profectus est per Helvetiam, et cum alio comite quopiam Cardinali historiam Helvetiorum reddidit latine. Febris autem redire coegit, antequam contingeret Romam. Pro episcopo *Basileensi* composuit summam doctrinae Catholicae atque inde clarius in dies errores eius perspexit. Cum Capitone amicitiam iunxit, atque ambo vinum ac panem S. Coenae symbola tantum esse intellexerunt cibumque mentis accedentem per fidem. *Eccio* quoque utebatur amico. 1516 ad Capitulum Generale in *Rouen* quum iter faceret, eruditorum Gallorum notitiam consecutus est atque anno 1517 Capitulum Generale ipsum detulit *Romam*. Redux Lutheri mox scripta cognovit, ac Basileae contra crimina haereseos praesidium invenit. Cum *Oecolampadio* professor Theol. factus 1521 praecipue libros V. T. lectitabat. Tigurum vocatus 1526 cucullo deposito et ordine abdicato matrimonium iniit. Commentarios in universa biblia scripsit, in latinamque eorum versionem operam contulit, praeterea reddidit Aristotelica et Ciceroniana vernacule, ut sermonem paternum ad philosophica quoque tractanda effingeret. Mortuus est 1556. (Pellicani biographia propria.)

an recte sentiat nec ne, nec legere possum nec iudicare. Melius tamen utrumque velle puto rei christianae, quam quod multo sudore, infinitis vigiliis iam longo tempore peperernnt, rixando pereat et altercando maturiores foetus impediantur. Venerunt ad me hisce diebus hae ad *Erasmum* literae atque aliae ad Sacrificulum quendam S. *Petri*, quas precor differri cures. Faceres nobis rem omnium gratissimam, si iam anno sese mutante ad nos cum *Erasmo* concederes; quod si minus ipse induci potest, tute venies, priusquam te litium *Argentoratensium* voragines absorbeant. Opto te in Christo valere. Salvos vero opto *Frobenios*, *Amerbachios*, *Zuickios*, omnes tamen post *Buschium*, quem precor animes, ut paulo liberius cum *Erasmo* contendat: hactenus enim visus est esse vero addictus. Haec ioco: nam scheda in universum foedanda erat. *Pellicano*, posteaquam salutaveris, refer, orsum nos esse Hebraicas literas. Dii boni quam illepidum ac triste studium, nec tamen desistam, donec ad aliquam frugem penetrem. Iterum vale. *Tiguri*. 1522. 25. die Martii.

Huldr. Zuinglius tuus.

VII.

MYCONIUS ZUINGLIO S.

Crebrius ad Te scriberem, ni negotiis cohiberer, hoc praesertim tempore, quo nullum momentum mihi est sine labore, et eo molestissimo. Tum cogito quoque: offendis potius quam gaudio adficias, quod semper petere soleam aliquid, et ut minimum rescriptionem. Quid igitur nunc, inquis, te ad scribendum impellit? Dicam: Proximae tuae literae, quibus adeo rem gratam mihi feeisti, ut consequi verbis plane nequeam, praesertim quod scripsisti de *Erasmo*, de quo homine, ut est doctissimus, ita lubentissime dicere audio; modo relatio fiat tanto viro condigna. Putaram ego, atque adhuc puto, illi nihil posse obiici, potissimum in re Christiana, quod vitio subiaceret; verum audio, imo lego, quosdam, quos minime suspicabar, iniquiores ipsi esse. Pressit *Adamus Petrus* Teren. cui praeposuit epistolium, si non fallor, *Hugbaldus* ille,[1] adeo protervum contra *Erasmum* (ita enim ego rem capio), ut vix aliud unquam protervius legerim. Non veretur illi nomen Theologicum adimere, quod quicquid faciat in rem Christi, mollius tamen atque delicatius vivat. Indoctior mihi videtur, quam ut debeat tam insigni viro detrahere. Tu, velim, si quidem per otium licuerit, detegas, quidnam tibi videatur. Rumor est alioqui, *Erasmum* non ita omnibus modis convenire cum *Luthero*, minus cum *Melanchthone*, quod ille adferat quaedam contra scripta *Erasmi*; hic vero novas in Paulum moliatur paraphrases. Vix credo rem ita habere. In causa sunt multa, inprimis tamen, quod ferme libris illorum adeo inter se convenit, ut *Lutherus* dicatur ansam omnium, quae hactenus fecit, ex *Erasmi* scriptis cepisse; *Melanchthon* vero in Rhetoricis suis adeo paraphra-es

1) Verosimiliter *Hugwaldus Mutius* e *Thurgovia*, qui iunior nimio aestu animi in Anabaptistarum errores turbulentos ablatus inde postea rediit.

Erasmi laudat, ut sine pudore alias moliri non posset. Si quid enim pararet, pararet nimirum melius. Tu dic quid sentias: fuisti enim apud *Erasmum*, ex quo procul dubio hausisti praesens occultissima quaeque. Adfuit praeterea, ut scis, *Conhardus* noster, sermonem fecit. [1] O bellum hominem, bellam concionem et Christianam! Effecit, ut omnia, quae prius fuerant tumultuosissima, nunc tranquilla videamus. Tametsi caput nostrum continenter reclamat, minus tamen valet, quam antea, in dies, uti spero minus atque minus valiturum inanissimis suis fabulis. Si audivisses, amantissime *Huldriche*, *Conhardum* clamantem, atque abiicientem caput illud corporeum, Rom. Pontificem, in re seria non potuisses risum continere. Absit a grege Christiano, inquit, ut caput tam lutulentum et peccatis plenum acceptans, Christum abiiciat, qui toties a Paulo caput Ecclesiae ipsius indicatur. Pastorem agnoscamus, non caput, cum tantum cibum ministret Evangelicum, quantum debet; quod si non faciet, nec pastorem quidem agnoscamus. Omnia haec tanta dixit maiestate, tanta authoritate, quanta potuisset, qui est Christi Spiritu plenissimus. Integras literas opus foret scribere; si adumbrare tantummodo vellem hominis os et linguam. Adfuit Administrator *Eremitanus*, qui me tractavit, ut decet bonum, non ut ego mereor. Valeant perpetuo illi et tu cum illis in Christo. Praedicatores Tibi male volunt. Sed scis hos ut puto. Familia omnis optat Te salvum. Adest *Glareanus*; quid acturus sit, nescio. Sis meus! Raptim, ex *Lucerna* 1522. [2]

Myconius tuus.

VIII.

HERMANNUS BUSCHIUS [3] ZUINGLIO SUO.

Salve *Zuingli!* D. *Iohannes Breuviler*, is qui has meas Tibi reddit, forte me in symposio *Basileae* acceptum dixit, se ad Tuam dignationem postridie profecturum, rogavitque me aliquid sibi literarum ad Te darem. Negavi me facturum, quod ex tempore nihil dignum ad Tuam praestantiam scribere possem, et ille statim literas efflagitaret. Cum autem eo magis ille instaret, exui pudorem, arreptoque calamo incondita haec pauca effutivi verius, quam scripsi; fretus humanitate Tua singulari, etiam incompta boni consulente, quo et illi, non omnino

---

1) *Conradus Schmid*, Commendator et Pastor *Kussnaci* ad lacum Tigurinum, hoc anno orationem stato die, secundo Maii, habuerat eam, quam excipere solebat processio ad averruncanda incendia instituta. Hanc orationem habendam semper viro externo committi moris erat eamque latine externorum, vernacule popularium gratia. (Wirz. H. E. I. 412.) 2) Spiritus epistolae dubitare non sinit, quin proxime post habitam orationem scripserit Myconius: mox enim cernere licuit, quantopere ea spes fefellerit. 3) *Hermannus von dem Busche*, e *Westphalia*, a primo studiosissimus *Hutteni* et *Lutheri*. Post mortem *Francisci a Sickingen* perfugium *Basileae* quaesiverat. Ad literarum Classicarum cultum, quas 1514 iam *Coloniae* professus erat, contulit editione poëtarum latinorum, quos animadversionibus instruxit. Numerosi sunt eius poëtici fetus.

indocto (ut mihi visus est) viro gratificarer, et Tibi hoc qualicunque officio ostenderem, me Tuae humanitatis, *Basileae* mihi nuper exhibitae, [1] memorem esse. Rogo itaque *Zuinglium* meum, omnibus egregiis dotibus ornatum, ut hunc, qui reddit illi hanc meam infantem epistolam, suo more, hoc est, humanissime tractet, vel ob hoc, quod mea hac balbutie ab eo oneratur, hoc maxime tempore quo minime oportuit, sibique persuadeat, *Buschium*, quantumvis indocte ad *Zuinglium* scribat, magnifice tamen ubique de *Zuinglio* loqui et sentire. Nova si qua delectent Te, gustavimus hic duntaxat porcellum lactentem pauci sacerdotes in Dominica palmarum. Hinc Sophistae cum suo Antistite tantas excitarunt tragoedias, quantas centum homicidia sacerdotum non commovissent. Audivimus et istic actam, sed tamen non peractam. De Te nescio quam multam. Scribe, Te rogo, paucis nobis quoque exitum tuae istius fabulae, quo rideamus etiam magis. [2] Salutat Te *D. Wilhelmus Rublinus*. [3] *Bas.* apud *Divum Albanum* Evangelistam plusquam extemporaliter in feriis Paschalibus.

IX.

GLAREANUS ZUINGLIO SUO.

Quod adeo rarus scribo, carissime Uldrice, in causa est res familiaris, quam novus hospes aliquot nunc hebdomadas tracto. Pro Iupiter, quantum aerumnae, quantum laboris et curarum invenio! De negotio Christi doleo sane, quod nemo tardius resipiscat, quam quos primos omnium in hoc totis viribus incumbere munus oportuit. Mira hic tragoedia agitur, ita ut literis eam demandare vix ausim. Ex nuntio ipse intelliges, opinor. Et sane nisi Christus prospiciat, nescio quid timendum sit mentibus bene christianis. Strenuos Rectores agunt duo *Gebwileri*. [4] Hoc unum dolet mihi, quod simplex plebs, cui adhaerere debeat,

---

1) *Zuinglius* initio anni Basileae fuerat. 2) Cfr. Ep. 9. *Froschauerus*, *Roeublinus* et alii *Tiguri* quoque ieiuniorum legem migraverant. Zuinglius ipse hanc privatorum licentiam interdicendi auctor fuit. Quae res legationem traxit episcopalem reformationemque acceleravit. 3) *Guilielmus Roeublinus* a *Rothenburg*, oppido ad *Necarum* sito, postquam Capito et Hedio remoti essent, Moguntiaci exortus est reformationis praeco in templo S. Albani. Millia hominum ad eius conciones confluebant vehementia insignes. Senatus episcopi impulsu ex urbe eum abegit. Tiguri ad ieiunia frangenda irritavit, ac dum res cognosceretur, Basileam discessit; 1523 pastor Wyticonae factus est. Quum autem ibi rusticis pollicitus esset immunitatem ab usuris ac decimis, privatus est munere. Primus fuit sacerdotum ditionis Tigurinae, qui uxorem duxerunt, atque cum *Stumpfio*, *Broetlio* aliisque a Zuinglio probisque reformatoribus ad *Grebelium*, *Manzium* factionemque Anabaptistarum declinavit, conversionem rerum, non emendationem molientes. *Zuinglius* ipsum eiusdemque furfuris homines tam scite quam breviter notavit: „Stultus homo est, sed audax, et qui loquacitatis plurimum habeat, sapientiae minimum.“ Ep. ad *Samium*. (Wirz. etc.) 4) *Ioannes* et *Hieronymus Gebwileri*, qui *Clitellarii* quoque vocabantur, professores Theologiae Basilene; ille Canonicus ac Professor iam eo tempore, quum Zuinglius ibi versaretur inter discentes. Theologiae Scholasticae ac pontificiae dominationis tenacissimi erant. De retra-

non intelligit. Non paulum aggravavit sus ille in die Palmarum comestus causam *Lutheri*.[1] Vellem ego pietatis alicunde opera coepisse eos, qui Nasonibus nasutiores esse volunt. Ad hoc sane nituntur, ut *Basileae* nihil prematur, nisi venerandus ille *magistrorum nostrorum* chorus praevideat. Itaque quantum Tibi operae apud *Adamum* promittere queam non hercle video. Et hoc die audio praeceptum a Reverendo D. Episcopo, ne quis *Lutheri* mentionem faciat publice, ne quis Evangelium aliter interpretetur, quam antiqui *Patres* exposuerint. Sus condonatus est, ita tamen, ut in posterum etiam poena cautum sit, ne quid tale admittatur. *Buschii* ingenium miror, sed mores magis. Porro iudicium quale sit meum, non dicam. *Ceporinum* non nosco, nec unquam vidi. De puero Decani quid opus est toties eum admonere? Si eum domi meae esse cupiat, vix equidem fieri poterit. Nam qui mecum sunt, in mensam, cameram et lectum 22 aureos Rhen. solvunt; deinde 4 Coronatos pro lectionibus. Quod si apud civem aliquem constituat, inveniet sortem 20 aureis in mensam, cubile et cubiculum; itaque 2 annue aureis parcitur, tamen pretium 4 Coronatos praeterea solvet. Ego illi liberum facio, quod volet. Nam non deero solita mea diligentia, ut semper. *Erasmo* non semel Te commendo, sed diebus singulis. Scribam statim copiosius. Hoc unum heus Tu! Uxorem istic me, hic Te duxisse aiunt. Utrinque credo mentiri famam. Addiderunt autem, Te viduam, me scortum, adeo sane ut S. P. Q. *Glaronensis* publico sigillo me admonuerint. Ego sane his diebus apud Senatum literis me purgabo, atque buccinatori huic crucem optabo, Senatui gratias acturus. Dii boni, quid hoc monstri hoc saeculum. Nullum mihi cognitum scortum, nihil propemodum negotii prorsus cum mulieribus, et tamen traducor misere. Tu si quid tale apud vos, rogo, amicum defende. Nullam duxi, cum nulla mihi quicquam negotii quod famam laedat. Sed est hic meus mundus. Vale felix. *Bas.* ad nescio quem diem Ao. D. 1522.[2] Salutabis nomine nostro *Valentinum*, *Chalybeum*, *Lutium* et reliquos: nam tanta vix unquam celeritate scripsi.

X.

ADAM WEISS PAROCHUS IN CREILSHEIM CONOLD. COMIT. AD ULRICUM ZUINGLIUM.

Salutem Tibi et gratiam a Domino nostro Iesu Christo, vir erudite iuxtaque pie! Quod prior ad Te, facie quidem ignotum, caeterum

---

etatis ab *Ioanne* in *Zuinglium* opprobriis memorant epistolae Glareani deinceps. Quum postea rector creatus esset, noluit eum senatus Basileensis agnoscere, ita ut vicarii sublegendi necessitas obveniret. 1526. ut acer propugnator fidei Romanae, disputationi Badensi interfuit, eodemque anno primarius pastor Bernam est vocatus, mox autem dimissus. *Hieronymus* praeceptor fuit *Beati Rhenani* Hagenoviae ac de rebus domus Habsburgicae scripsit. (Wirz, Kirchhofer, Gesnerus, Athenae Rauricae.)

[1]) Cf. Ep. VIII. [2]) Argumentum docet, hanc epistolam circa tempus paschale exaratam esse.

fama notissimum, scribo, bene feres, scio; quippe qui Christianae doctrinae assertor et es et diceris constantissimus, agnoscisque ex Paulo nostro, Te insipientibus iuxta atque sapientibus debitorem esse. Estque praeterea functio non dissimilis hac quidem parte, quod uterque in ministerium verbi asciti sumus, feliciter utinam! Christo autore, quod ad me quidem attinet. Scis Tu, exercitatissimus in ea palaestra, quid mihi tironi desit, quippe qui ex Philosophorum Academiis ac plane obtorto collo in tam splendidam functionem sum evocatus. Christi tamen favore nactus sum, quod Paulus apud Athenienses, populum etsi superstitiosum, non vero ita intractabilem, sequacemque ut magna ait spes bonae frugis autore domino messis. Arrectis animis ac auribus hiantes excipiunt, si quid vel per asinam, ut olim, Dominus loquitur. Non offenduntur novitate, permovente, opinor, eos ingenita sua vi veritate, cuius simplex est oratio.[1] Superis gratiae. Aget suum negotium Christus, ac provehet invitis vel inferni portis. At plusquam haec satis apud virum tantum. Si temerarium videbitur, quod scribo indoctus ad tam eruditum, condonabis id facile. Urgebat me, ac plane currenti calcar addebat amicissimus mihi, qui et ad Te literas dat, *Leonardus Francus*, vir christianae veritatis sitientissimus, qui pro sua in me benevolentia apud me omnia potest. Huic ineptias meas irrogabis. Spero aliquando, vel accepta opportunitate Te visurum, ac eruditissimas Tuas conciones auditurum; tum et liberius, et commodius nos invicem agnoscemus. Vale in Christo, vir erudite! 12. Apr. 1522.

Tibi ex animo devotus, *Adamus Weiss.*

XI.

MICHAEL HUMMELBERG[2] ZUINGLIO.

Salutem in Christo Iesu, Domino et Servatore nostro. Nunc, nunc oblata est occasio, qua sinceram inter nos auspicemur amicitiam, cuius contrahendae desiderio annos iam aliquot teneor. Obstitit autem hactenus nescio quis pudor meus, urbanusne an rusticus, ne in tuam me amicitiam insipuarem. Verebar ne tanto viro despecta esset humilis ista amicitia nostra, eaque causa te meis compellare literis non audebam. At cognita nuper admodum, ex quibusdam tuis, singulari virtute tua, et humanitate, quod in amicis sinceritatem pluris facis, quam elegantiam, animum sumpsi et factus sum nonnihil audacior, atque adeo, ut iam longe propulso pudore confidenter tecum agere, quaeque velim, audeam, cumprimis autem benevolentem tibi animum meum ostendere, tuae rei, dignitati, atque adeo saluti obstrictissimum. Quod te, optimorum virorum relatu, vere pium et Christianum, id est, Evangelicae veritatis fortissimum propugnatorem, cognoscam, utpote qui relictis

---

1) Hedioni quoque scripsit 16. Martii, quam lubenter erectoque animo suus grex novam doctrinam eruditionemque amplectatur. (Sculteti annales.)
2) Pastor *Ravensburgi*, amicus Zuinglii probus, a quo plures epistolae sequentur. Cum *Viteberga* quoque communicasse literas videtur, quippe quum apographum epistolae Zuinglii ad *Erasmum Fabritium*, disputationem cum legatione episcopali referentis, ad *Melanchthonem* transmitteret.

Scholiis pugnis, et Pharisaicis traditiunculis, vere divinas literas toto pectusculo amplexeris. Spiritus libertatem adversus Scribas istos, Sadducaeos et bicornes Caiaphas, ψυχανράννας, adeo strenue tutaris, ut te non possim non suspicere, non venerari, non toto corde diligere, et subinde salutis tuae rationem non habere; quae ut propria aeque mihi chara est. Quod ut certo credas, Deum Opt. Max. testor. Sed et ipsum id vel hinc φανερῶς cognosces, quod in praesentiarum te et amiciter et christianiter admoneo et adhortor, ut ipse tibi sis curae. Si unquam alias, nunc maxime, salutis et vitae rationem habeas! Nam undique, proh hominum fidem! septus es insidiis, circumdatus occultis dolis, ἕτοιμα φάρμακα λυγρὰ, quibus e medio tollaris. [1] Quando impiis nebulonibus non licet palam in te grassari, clam te aggredi volunt medicato boleto; qualem Princeps Claudius edit, hunc sicubi clanculo poterunt, tibi ἐν βρώσεσιν adponent devorandum. Caveto igitur quantum poteris. Si quando esuris, domi tuae manduces panem quem propria decoxerit focaria: ἐκτὸς γὰρ τῆς σῆς οἰκίας μηδαμῦ τὸ ἀμέριμνον. Tecum habitant intra *Tigurina* moenia, qui nihil non conantur εἰς παροιδίαν σε. Quas ob res mi charissime καὶ θεῷ φίλε *Hulderiche*, cave diligentissime, cave, cave inquam veneficos illos spadones καὶ πᾶσιν ἀλλοδαποῖς καὶ ὀθνείοις βρώμασι τὸ δηλητήριον νόμιζε μεμιγμένον· δδὲ γὰρ σοι ἀσφαλὲς, πάντα δὲ ἐπισφαλῆ. Sed unde hoc tibi imminere periculum sciam, et quo χρησμῷ sim edoctus, ὃ χρείαν ἔχεις σοι γραφῆσθαι· ναὶ ἀληθεστέρῳ τῷ Δελφικῷ Ἀπόλλωνος; sed quod propalam vulgare, aut literis demandare, piaculum sit τῷ ἱερεῖ. Intelligentia praestas: facile iam ipse coniectabis, unde profectum id sit, quod pro mea in te benevolentia καὶ φιλαδελφίᾳ tibi nolui occulere. Satis sit aperte indicasse, quod praecavendum sit discrimen, Μὴ πλείονα τόγε νῦν. Tu vir optime, quantum per te tibi licet, serva te tibi, serva te tuis, serva te Christo, cuius salutiferum verbum, ut feliciter coepisti, ita dici pergas velim evangelizare. Vale feliciter in Χριστῷ Ἰησοῦ qui te servet a noxiis pharmacis. Μάλ' ὠκα ἐκ τῆς Συηβίας intra Kalendas Maias An. MDXXII. Quisquis sim, σός εἰμι; agnosces me postea.

Inscriptio: Insignis cum conditionis, tum pietatis viro *Huldrico Zuinglio*, Theologo et Tigurinorum Evangelizatori, D. et amico suo omnibus modis observando zu Zürich. ΙΣ + ΧΣ.

XII.

IOHANNES WANNER VERAE ET CANDIDAE THEOLOGIAE DOCTISSIMO HULDRICO ZUINGLIO, TIGURINORUM EPISCOPO, AMICO SIBI SINCERE DILECTO.

Gratissimae mihi fuerunt literae Tuae, ornatissime vir, quibus Te

---

1) „Ubi res huc venerat, ut veritati crederet longe pars melior et maior populi, digressionibus utebatur nonnunquam in ea, quae minus erant in Ecclesia Dei tolerabilia. Propter haec nulla praeterierat hora, in qua non fierent cum a profanis, tum a sacrificis, contra boni et veri adsertorem consultationes insidiosissimae.“ *Myconius* de vita et obitu *Zuinglii*. Quid eorum compertum fuerit, vide apud Wirzium H. E. I. 334. sqq.

nullos fastidire labores mei causa poliiceris. Rem certe facis mihi omnino necessariam: tam vituli multi et pingues tauri me obsederunt, quorum insidias atque atrocitatem sine optimorum amicorum auxilio vix possum effugere. Invidiosissimi etiam observant quodlibet verbum. Nuper enim, cum docerem, tempora minime observari debere, neque dies, neque horas, etc. ipsi mendaciter dicebant, me omnes solemnitates, ut perniciosas, abiecisse, et id genus multa, quae scribere non licet. Ultimo tamen cum declamarem, venit quidam *Iohannes Schlupf*, Parochus in *Berlingen*, insignis Sophista; is me absurdas veritates praedicasse, publice clamavit, dum esset in quodam convivio. Haec ideo scribo, ut intelligeres, quam opus habiturus sim amicorum consiliis; plenius tamen omnia dicam, cum ad Te pervenero. Episcopus malum de me suspicatur, suffraganeus inimico inimicior mihi est. At me haec non conturbant: malo enim esse Christianus cum multorum invidia, quam relinquere Christum propter mundanorum amicitiam. Mitto Tibi libellum *Lutheri* admirabilem, quem D. *Wolfgangus Mangolt*[1] ex *Nurenberga* paucos ante dies portavit (est enim et ipse, qui veram pietatem amplectitur). Hunc imprimi facias celerius! Sunt qui habendi desiderio flagrant. Invenis iste expectabit, donec fuerit excusus, cui primum venundari debent: eam enim ipsam ob rem suis expensis ad Te descendit. Iuva igitur eum, ne frustra expensas fecisse videatur. Te salvum optant *Io. Melisshofer*, *Wolfg. Mangolt*, qui etiam in tuo albo conscribi petit. Vale, mi frater, et inertiae meae parce! Christi doctrinam servabo: mirum enim in modum ex libello isto confortatus sum. Iterum in Christo vale. Ex *Constantia* 22. Mai 1522.

Tuus *Ioh. Wanner*.

XIII.

ZUINGLIUS LEONI IUDAE.

Erunt, amantissime *Leo*, proxima Dominica primitiae apud D. *Petrum* Monachi *Rütinensis*. Hic consultum nobis videtur, ut tu praedices; venias igitur Sabbatho ad nos, ut matutino sequenti sermonem ad populum habeas. Proderit id consilii plurimum ad nostrum propositum.[2] Faciendum enim interdum quod minime velis, ut quod maxime velis aliquando sequatur. Vale. Cum convenerimus, multa coram commentabimur. Ex *Turego* 22. Maii 1522.

Tuus *H. Zuinglius*.

---

1) *Wolfgangus Mangolt*, fortasse pater Historici Constantiensis, *Gregorii Mangolt*. 2) *Leo Iudae* plures habuit orationes, ex quibus ipsum ecclesia ad S. Petri Tigurina in locum *Rud. Roeschlini*, senis parum solertis, pastorem sibi creavit Dominica ante Pentecosten suprema; sed in solemnia candelarum demum 1523 auspicatus est munus. (Leonis vita in Misc. Tig. III. 29.)

XIV.

IOH. DOERINGUS [1] ZUINGLIO IN EVANGELIO IESU CHRISTI STRENUO COOPERARIO, TANQUAM FRATRI.

Gratiam, misericordiam, pacem a Deo Patre et Domino Iesu Christo, Domino nostro. — Nostin' Aten illam Homericam? Quam tuae mihi literae afferebant laetitiam, hanc una frater sua interturbavit importunitate. Eius rei certiorem Te faciet *Franciscus* tuus. Equidem iam exul omnem illum Tragoediam ad verbum docui. De *Luthero* hoc habe, quid sentiam: nempe quod Epimenides de Cretensibus, ut qui mugatur tantum. In rem piam iniquis oculis penetrat, Homero scilicet coecior; ut maxime coecutiat *Lutherus*, Deus non item. Certe apud Homerum etiam ἔχει Θεὸς ἔνδικον ὄμμα. Gratia sit Tecum! *S. Gall.* IX. Cal. Iun. (24. Maii.) 1522.

XV.

MICHAEL HUMMELBERG ZUINGLIO.

ΙΣ + ΧΣ. Gratiam et pacem Dei et Domini nostri Iesu Christi. Non nova est isthaec erga Te benevolentia mea, optime *Huldriche*. Olim

---

1) *Ioannes Döring*, Abbatiscellanus, ineunte aetate in monasterio Dominicanorum Basileae, ubi doctrinae vacans *Iacobo Alexandro* (*Salandronio*), *Rhenivallensi*, ac *Guilielmo Neseno* sese praeceptoribus usus esse fatetur. „Huic, inquit, acceptam refero notitiam evangelicae veritatis, quam nunc simpliciter prorsus plebi trado secundum illud Euripideum: Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἐμοῦ. Hoc epistolium quum scripsit, propter conciones suas reformatorias nuptiasque *Herisoviae* parochatu deiectus erat; atque adeo ipse in carcerem deinde coniectus Constantiae, deprecantibus autem amicis postero anno dimissus. Tum pastor *Hembergam* in *Toggio* venit eamque reformavit ecclesiam. Propter acerbius dictum in veniarum dispensationem Eremi a Praefecto 1526 pulsus, at restitutus postea videtur. In Simleriana collectione extant aliquot epistolia eius a 1519 — 1523 ad Vadianum, quibus adhuc parum existimationis contigit. Dictum Plutarchi in eius libro de capienda utilitate ab inimicis explanatum cupit; donat eum epistolis Erasmi; rogat, ut ipsum Luthero commendet; laetatur de laude Vadiani, quod in genere Theologico Erasmum imitetur; narrat, sese scriptum *Παῤῥήσια* inscriptum dilacerasse, quia silere satius sit quam indecora loqui; in auctoribus Classicis versatum se praestat, a Vadianoque impertitur consilio legendi Ecclesiae Patres; optat, ut is scriptum, quod editurus erat, additamentis cumulet; praedicat Lutherum, avaritiam sacerdotum criminatur, qui omnia sancta quaestui habeant. „Revereor, inquit, Pontificias leges, quatenus saluti animorum non periculum adferunt conscientiaeque non onerant.“ Ultima epistola 30. Iun. 1523: „Rem, inquit, eo loco transtuli, quo domi cum uxore iucundissima et filiolo mihi iam recens nato pie vitam transigam — οἶκοι γὰρ μένειν δεῖ τὸν καλῶς εὐδαίμονα. — Christi mansuetissimum spiritum iam diu non omnino infeliciter imbibo.“ Haec, ut notiorem faciant amicum Zuinglii aetatemque reformationis a Wirzio quoque minoris aestimatum. Etiam hanc epistolam ad eum praetermisit. Cfr. N. Helv. H. E. I. 518, 19, 25.

iam mihi carus eras. Etsi de facie ignotus, ex animi tamen imagine et candore mihi es notissimus. Tam singulares animi tui dotes sunt, *καὶ θεῖα τοῦ πνεύματος χαρίσματα*; ut ab optimis quibusque passim ebuccinentur, atque id agitante ipso illo spiritu, qui neminem diutius latere patitur, quam pietati conduxerit. Feliciter ad nos igitur, etiam ultra *Acronium* lacum dissitos, tui nominis et sinceritatis fama penetravit. Non alia causa, opinor, quam ut tui exemplo *ἐν ὀρθῇ πίστει καὶ πνευματικῇ ἐλευθερίᾳ* atque adeo in Evangelio Iesu Christi constanter perduremus. Non alia causa, inquit, opinor, quam ut non sinamus *τὰ τῶν ἐχιδνῶν γεννήματα* nos a recto fugare, nempe a Christo, qui unica nostra est via et veritas et vita. Contra quem eiusque fidei veros assertores nec inferorum portae praevalebunt; ut interim insaniant et rumpantur *ἀσεβεῖς σοφισταὶ*, togati vulturii, et mitrati arietes. Nec possum aliter appellare Magistros istos, qui hominum doctrinas praeferunt doctrinae dei, et pro scriptura, id est, Evangelica veritate somnia et nugas scholarum crepant, propter ambitionem, avaritiam et luxum omnia confundentes, ante homines caelorum regnum occludentes, nec tamen ipsi introeuntes, nec alios intrare permittentes. *Φεῦ καχὴ τύχη τῶν καθ' ἡμᾶς*. Candidissimos viros et amicos etiam nostros, *Fabritium*, *Engelhardum* et *Utingerum* plurimum salvere iubeo. *Σὺ δὲ τὸν Ὑμελβέργιον, ὃν ἄρτι μὲν ἤρξω φιλεῖν, μὴ ἀποβάλλε, φίλος δὲ ἅπαξ γενόμενος πειρῶ διαμένειν, καὶ περὶ μὲ τοιοῦτος, οἷος καὶ περὶ τοὺς φιλτάτους*. Vale in Christo Iesu quam felicissime. *Constantiae*. 27. Mai 1522.

Tuus quidquid est *M. Hummelberg*, *Ravensburg*.

XVI.

ZUINGLIUS MYCONIO.

S. In Christo Iesu. Quod silentium tam aegre fers nostrum, non est, quod mirer: nam et ipse tibi silentium imputo longe crebrius ad nos scribenti, quam recipienti literas. Ita est impatiens amor omnis morae, qui ut inter nos est integer, ita utrique bonum semper suadet; unde factum est, ut et impatientiam tuam et moram nostram negotiis adscribas, non torpori, non desidiae, quapropter satisfactioni parcam nunc, illa usurus, cum veritas minus excusabit; illic tunc fucum excusationis adspergam. Quibus autem negotiis veter ab omni officio, fama nimirum vulgi iamdudum didicisti; qua tamen veritatem ipsam tam abest ut discas, ut etiamsi vera narraret, suspiciosa tamen fierent ipso nomine, *Fama vulgi*. Volo itaque rerum omnium summam paucis perstringere. Miserat Antistes *Constantiensis* suffraganeum suum Theologiae doctorem,[1] et *Ioh. Vannium* eiusdem et ordinis et professionis, sed Evangelistam *Constantiensem* satis christianum et Doctorem *Brendlinum* (sic in medio consistebat virtus: nam extrema valde erant vitiosa), *Tigu-*

1) *Melchior Vattli*, Episcopus suffraganeus Constantiensis. Ceteras historicas illustrationes praebent Acta huius disputationis a Zuinglio ad *Erasmum Fabritium* perscripta.

rum inquam miserat, ut tragicam agerent σαρκοφάγων fabulam; nullius tamen caput tam infeste atque meum petierunt. Eis ita apud senatum et sacerdotum ordinem respondi, ut vulgo iactatum sit, nunquam ultra copias sarturos, aut feliciter congressuros; tametsi nunc diversum audiam, nempe reparare illos proelium, quos tamen ita metuo, ut litus alium fluctuum undis minacium, σὺν τῷ θεῷ. Nos enim quid sumus? His profligatis ecce alia parte adoritur *Cunhardus* ille seniculus [1] ματαιολόγος, ampla quidem ille sed personata fictaque machina. Ea fuit libellus annis iam tribus natus, ut Elephanti partum agnosceres in ridiculum murem desiisse. Quem in Deo ita ventilavimus, ut cornu vehemens taurus aristas, quamvis apud capitulum nostrum res acta sit. Laetus tamen secutus est exitus, ut τραγικωμῳδίαν merito diceres. [2] Sed hoc unum interea discimus, quam arcte sint coniunctae victoria et invidia. Reliqua ex hoc nostro accipies. *Sebastianum* [3] *Tiguri* tecum sumus honorifice excepturi, rerum etiam omnium egentes: ita polliciti sunt *Engelhartus*, *Utingerus*, *Rodolphus*, omnes. Servite tamen tempori. Vale cum *Xylotecto*. [4]

Huldricus Zuinglius tuus.

XVII.

IOH. XYLOTECTUS D. HULDRICO ZUINGLIO DOCTISSIMO ET AMICISSIMO CHRISTIANISSIMO TIGURINORUM EVANGELISTAE S. P.

Rem omnem Tibi *Iodocus Kilchmeierus* aperiet, ut nullo opus esset calamo. At temperare non possum, quin infelicitatem meam, quod ore non possum, saltem manu indicem; eam inquam, qua a doctissimorum virorum instituto christianissimo desciscere compellor. [5] Sacerdotiorum meorum alterum dimittere statui, alterum Dominorum arbitrio relinquere, [6] quo si quoque privatus fuissem, omnia felicitati adscripsissem. Sed durius est, quod agitur, nempe capitis periculum, et non modo mei, verum etiam sponsae. Tanta enim est amicorum eius stupiditas, ut ex sola vulgari suspicione eam proscribi fecerint. Quid si rem compertam habuerint? Quanquam eos non timendos sciam, qui corpus occidunt: praestare tamen videtur, ut in hac Aegypto cum Abraam sponsam meam sororem dicam, ut animae nostrae vivent ob gratiam alterutrius, nec ut nobis solis bene sit; verum sic toti negotio consultum videtur. *Lucernates* enim tractabiliores habebitis, si nulla mei habeatur mentio, et hoc propter sponsam, cuius cognati tantae sunt et stupiditatis et aestimationis, ut omne hoc negotium apud suos distur-

---

[1] *Conradus Hofmannus*, de quo vid. Vol. I. p. 470. [2] *Hofmanni scriptum* tradit summatim *Wirz* N. Helv. H. E. I. 238. sqq. [3] *Sebastianus Hofmeister*, lector in monasterio Franciscanorum *Lucernae*, qui abdicatus *Seraphusium* revertit. [4] Haec epistola indice caret diei, quo scripta fuerit; ex argumento tamen augurari licet. [5] Petitionem de matrimonio Clericorum ad Episcopum ut subscriberet. [6] Praebendae Canonicorum in *Lucernae* et *Monasterii Beronis*.

bare et studeant et possint, tractabiliores omnino futuri, si cum aliis e gente sua res agatur. Consultius igitur erit, nomen meum non interseri, quam cum capitis periculo totum inficere negotium. Satius itaque erit, ut negotium iam proditum defendam neglectus, quam insertus eleuem, defendam autem pro viribus. Haec ita divinare futuraque conficere non levis quaepiam suspicio fecit; sed duo urbis nostrae summates, mihi quidem amicissimi, nempe Dominus *Praepositus*, [1] ac *Consulum* unus, [2] uxorem meam adorti, plurima in eam rem commenti sunt. Excusatiouem ita hanc, mi Huldrice, boni consulas, madentibus oculis oro. Nescis enim, quanti faciam, a tam docto coetu, a tam christiano instituto subduci, sed hoc ad tempus modo. Interim reliquum vitae quomodo terendum sit, a tuo fratrumque pendebo consilio. Vale cum christianissimis fratribus nostris. Ex *Lucerna* pridie Kal. Iul. (30. Iun.) 1522.

XVIII.

BARTHOLOMAEUS STOCKER [3]

CHRISTIANO VIRO H. ZUINGLIO, FRATRI IN CHRISTO NOBIS CARISSIMO S.

Cum intellexissem ex *Vernero Steiner* [4] negotium aliquod idque saepe christianum inter vos tractatum esse, meae tamen voluntatis non est in hoc iam consentire; quamvis apud me nihil antiquius esse velim evangelica veritate. Nosti hoc seculum nostrum periculosum esse, et quantum omnes homines, tam Episcopi et Presbyteri quam Laici (quos

---

[1]) *Petrus Has.* [2]) Eo tempore Sculteti fuerunt *Ludovicus Koenig* et *Petrus Zukaes. Hug* nondum Scultetus erat, quem Wirz I. 463. tum fuisse facit. [3]) *Bartholomaeus Stocker*, *Tugiensis*, hoc anno Capellanus factus spondere coactus est, nihil se novaturum missumque facturum Lutinerum (Lutherum). Vid. Hist. Tugii a Stadlino composita ex Actis Senatus p. 352. Si quidem idem est, qui et hanc epistolam et aliam ad *Nicolaum de Wattenwyl* scripsit, in qua ita loquitur: Christum ipsi ante aliquot annos Evangelium patefecisse; sed in Babylonicam ipsum incidisse captivitatem. [4]) *Wernerus Steiner*, *Tugiensis*, filius Praetoris, *Werneri Steineri*, ducis popularium in bello *Suevico* et *Mediolanensibus* expeditionibus, natus 1492. Ordini Clerico addictus comitem se praebuit patri et fratribus in ea expeditione, quam praelium finivit ad Marignano, fratribus suis funestum. Tum audiit Zuinglii concionem *Monzae* ad eiusque notitiam propius accessit *Erasmi*. Pluribus cum Helvetiis *Hierosolymam* peregrinatus Venetiis in Bibliorum incidit usum; redux dotationibus ecclesiam patriam auxit, conditorque primus ptochotrophii extitit. Maiorem indies familiaritatem cum *Zuinglio*, Leone Iudae aliisque reformatoribus iniit, petitionem ad Episcopum subscripsit atque clanculum matrimonium contraxit. Vexationes, quibus mox in Tugio quoque amici reformationis exagitabantur, usque ad annum 1529 constanter pertulit; tum perfugit cum uxore et liberis ac pecunia *Tigurum*. Ibi de suo patrimonio vixit, literarum sacrarum studia coluit, liberalitatemque largissimam exercuit, ad annotationes *Zuinglii* in N. T. edendas contribuit, ac res suorum temporum compendiose enarravit, peste extinctus 1543. (*Kirchhofer*, *Wernerus Steiner*).

nominant), ab evangelica veritate sint alieni; nosti inquam etiam novissimam coecitatem nostram iam instar propter peccata nostra, quibus Deum ad vindictam provocavimus. Ideo timendum est, frustra nos in hac parte laborare, et aliud nil agere, quam suscitare populi coecitatem ac furorem in nos cum nostro periculo. Et cum populus praecipue apud nos sit insanabilis, non recipiens sanam et veram doctrinam: ob hoc certe permitteudum est nonnihil eorum coecitati et pertinaciae ad tempus aliquod, quod et Dominum et apostolos eius fecisse novimus. Ob hanc ergo causam meo consilio hanc rem nostram in aliud tempus dilatabimus; ac quando Domino placuerit, videbimus cum magna victoriae gloria ipsam veritatem in orbe triumphantem: Ipse enim Dominus custodit eam in secula. Semperque Dominum rogemus, ut mittat operarios veros et sinceros in messem suam, ut omnes tandem intelligere valeamus, quae sit altitudo veritatis divinae, et quam abominanda temeritas et praesumtio humana. In eadem sententia est *Vernerus* noster. Fac ut per hunc nuntium et literas tuas sciamus mentem tuam. Iamque vale in Christo Domino semper felix. Ex oppido nostro *Zug* die V. Iulii 1522.

Balth. Stocherus ac *Vernerus Steiner*, fratres tui in omnibus.

XIX.

URBANUS REGIUS ZUINGLIO.

Nihil scripsi ad Te hoc biennio, *Udalriche* charissime, id quod nolim vel oblivioni adscribi vel negligentiae, tametsi procrastinator sim maximus. Quid igitur siluisti, inquies? Institueram *Turegum* visere, ut aliquando patronos meos adirem, toties peramice invitatus, sicque viva epistola rem omnem coram melius transacturum me sperabam. Verum sors rerum mearum vocabat aliorsum; felicius tamen iungor Tibi, quam illi ipsi, quibus intueri Te quotidie licet, nempe animo pio vereque amico. Non enim dies ulla illucescit, qua non Tibi Christi gratiam augeri ex animo cupiam. Quo putas iubilo exaltarunt Evangelii adsertores, cum Tu nuper Pseudapostolos cum suo Anania, pariete dealbato, Pauline spiritu es adortus, deuteroses conculcasti, facti rationem pie docteque sic reddidisti, ut Antichristi satellites nihil iam possint aliud, quam frendere. [1] Hac de re cum diebus superioribus commentaremur tui amici, aderat et *Sigismundus Rubellus*. [2] Insinuari Tibi petiit vir perhumanus, qui Tibi has reddidit: huic quicquid impenderis humanitatis, mihi caeterisque pie studiosis impendisti. Eoque pede, quo coepisti, pergito. Qui hunc Tibi dedit spiritum Christus, idem provehet. Quod nostrum est precibus assiduis instabimus, ne in vanum evertisse Pseudapostolos videare. Quae ego tulerim ob Evangelium, ex *Oecolampadii* factis intellexisti, et cum per negotia licuerit, uberius scribam. Vale renascentis Theologiae decus. Ex *Lindow* 6. Iul. 1522. Saluta ex me D. *Pancratium*. *Sigismundus Rubellus* te plurima salute impertit.

---

1) Disputatio cum legatis Episcopi et postmodo editus libellus de licentia ciborum. 2) Epist. I. 1517.

XX.

IOHANNES XYLOTECTUS ZUINGLIO S. D. P.

Sacrificus quidam nostras scorti sui maritum confecit. Scortum sacrificus aliquandiu, invito marito, aluit. Maritus eum de restituenda praeda *Lucernae* convenit. Hinc cum scorto redeuntem in itinere deprehendit, adgreditur, lethiferoque vulnere caedit et tandem moritur. Hoc ideo Te scire volui, ut si commode inserere libello, quem parturis,[1] posses, exemplum haberes recens, quanta noster coelibatus non modo scandala, verum etiam pericula pariat, quibus legitimo coniugio felicissime mederi possent nostri Helvetii. Noster item *Bodler*[2] Dominica praeterita multa in Sacerdotum coniugia pro concione dixit, cui velim per *Erasmum* nostrum responderetur, ut scilicet vel taceret vel Scripturam Scriptura refelleret, ne tandem suis coloribus depictus toti orbi fabula redderetur, nugas suas diutius non ferendas, et cetera in hunc modum, ut visum fuerit, literasque illas cum libello negotii vestri accipiat.. *Iacobus Näf* Te ad templi sui consecrationis festum venturum dixit. Fac sciam, an ita sit et quando. Vale. Ex *Lucerna* Nonis Iul. (7. Iul.) 1522.

Inscriptio: *Ioh. Xylotectus Zuinglio* et doctissimo et amicissimo *Tigurinorum* Ecclesiastae. Dem Leutprieſter zu Zürich.

XXI.

BERCHTOLDUS HALLER ZUINGLIO.

Singularis tua humanitas, cuius omnes implevisti erga me numeros, et huius boni fratris *Franciscani* sanctum concionandae veritatis institutum, quasi suo iure aliquid literarum a me exigere videntur, quae mei memoriam apud Te foveant, nec tam plane refrigescere patiantur. Mea autem cautio esse debet, ne diutius quam par est, Te hominem, ut audio, occupatissimum obtundam. Itaque rem ipsam in pauca conferam. Pater ille *Franciscanus*, et nihil minus quam Monachus, concionator tamen apostolicus et generalis Conventus *Avenionensis*[3] ad

---

[1]) Supplicatio de matrimonio Clericorum. [2]) *Ioannes Bodler*, Decanus et praedicator urbanus Lucernae; 1531 Praepositus Monasterii evasit. Is mox delevit effectum orationis, quam commendator *Schmid* 24. Mart. habuerat, quum potentes ab eo starent. [3]) *Franciscus Lambertus*, qui antea quoque *Serranus* appellabatur, natus *Avenione* 1487. Orbus parente iam 15 annos natus monasterium Discalceatorum ibi subiit; ut vero nequitiam in eo compertam reprehendit, in odium venit, praesertim quum scripta *Lutheri* apud ipsum inventa essent. Monasterio relicto in Helvetiam se contulit 1522, primum *Genevae*, ubi primus videtur Evangelium praedicasse; tum *Lausannae*, ubi episcopus *Sebastianus de Montfaucon* benigne excepit Lambertum, sermones eius audivit, amicitiaque dignatus pietatem viri laudavit. Sic praeco Evangelii *Friburgi*, *Bernae* et *Basileae* prodiit atque inde Tigurum accessit, ubi saepius concionabatur, Sanctorum adhuc invocationem defendens; *Zuinglius* autem, qui cum eo de hac re disseruit, rationibus evicit, ut istam opinionem abiiceret. Inde circa 1522 in Saxoniam delatus est ac *Vitebergae*

quinquennium iam ferme docendae veritatis christianae officio functus, *Gebennis*, *Lausannae* coram Episcopo, *Friburgi*, et iam *Bernae*, latino tamen sermone, concionatus est nostris sacrificulis, nondum ex omni parte in re christiana sanis, de Ecclesia, Sacerdotio, Sacrificio et Missa; rursus de Romanorum Pontificum Episcoporum traditiunculis, de ordinum et religiosorum fatuis et plene hypocriticis superstitionibus ceterisque multis, quibus omnibus nonnihil profuit. Non quod haec a nobis aliena sint, verum, a tali homine *Franciscano Observante*, *Gallo*, (quae omnia mare superstitionum confluere faciunt) insudita videbantur. Is igitur totam peragrabit *Germaniam*, et itineri ad *Tigurum* accinctus petiit, ut Tibi eum commendarem. Non dubito, quin pro tua in me humanitate eum humanissime sis tractaturus. Ipse mox videbis, cuius ingenii, doctrinae et eruditionis sit. — Boni igitur consulito. Ceterum libellus ille tuus profecto christianus ad *Suitenses*[2] apud nos male audit, imo pessime. Nec tamen est, quod in re ipsa vituperant, sed quod solis *Suitensibus* hac tua persuasione a *Gallo* separatis dedicaveris. Res christiana pedetentim vires assumit. Multi e Senatu et plebe, ad partem suis lectionibus, tum a me, bene instituti sunt. Verum infirmos (feroces tamen *Ursinos*) lenius tractare convenit, donec mansuefiant. Postremo me unice Tibi commendato utere, nec deero; meoque nomine salutari cupio D. *Leonem Eremitanum* Episcopum, M. *Georgium* cooperatorem tuum,[3] cuius in dies expecto literas, saepe spe mea frustratus, ceterosque bonos viros. Salutant Te D. *Sebastianus*[4] *Minorita*, *Valerius*,[5] *Nicolaus a Wattenweil*, *Henr. Lupulus*, aliique innumeri. His vale. *Bernae* 8. Id. Iul. 1522.

B. Hallerus apud *Bernates* canus ad aram usque tuus.

D. *Thomas Wyttenbach* de rebus uxoris quaedam narravit et commissa nobis reliquit. At vero quomodo se apud vos habeant, omnes audire desideramus.

XXII.

WILHELMUS NESENUS

CARISSIMO VIRO HULDRICO ZUINGLIO TIGURI APUD HELVETIOS CONCIONATORI VERE CHRISTIANO SUO AMICO INCOMPARABILI S.

Vides, opinor, *Udalrice* optime, quam non cessat cacodaemon

---

a Luthero amicissime exceptus, qui suo sumtu eum aliquamdiu sustentavit. Ibidem duxit uxorem. De scriptis Lutheri nonnulla in suorum popularium usum gallice reddidit. 1524 Metium abiit, popularibus Evangelium praedicaturus; quamvis autem vulgo eo laetarentur, adversarii potentiores eum expulerunt. Hinc Argentoratum conversus ibi plura suorum scriptorum edidit. 1526 a Philippo Landgrafio Hassiae Homburgum et 1527 primarius professor Theologiae vocatus est Marburgum, in universitatem recens fundatam. Iam Zuinglii doctrinam de Eucharistia confessus est. Lambertum sub vitae exitum desiderium cepit praedicaturae in Helvetia, 1530 pesti extinctum. (*Schelhorn*, vita Lamberti in amoenitt. Vol. III. *Wirz*, alii.)

[1]) Adhortatio Confoederatorum Helvetiae, ut sibi caverent a dominis externis. [2]) *Stäheliuus*. [3]) *Meiurus*. [4]) *Anshelmus*.

ille herbam Evangelicae doctrinae, nobis praeter meritum, sed gratuita Christi munificentia repullulantem, obterere; sed, ut spes est, non proficiet amplius. Qui Tuae humanitati perfert has literas, *Otho* est Braunfelsius,[1] ordinis quondam *Carthusiani* pharisaeus; nunc vero ardentissimus pietatis propagator; neque apud nos locum nancisci, per invidiam Papistarum, potuit, quo talentum sibi creditum conderet, ut Domino olim suo cum fenore redderet. Proinde si istic apud Tuos, quos praeter *Germanos* ceteros liberos esse scimus, prospexeris homini, gratissimum et studiis et Christo facies. De monachatu non est, quod apud infirmos mentionem facias. Titulo tantum integri et boni sacerdotis eum commendabis. Scio, qua Tu isthic tum autoritate, tum libertate Christum doceas, quantumque hominum Christo lucrifaciat indies; id ut Tibi liceat diu, Christum oro. Et ut iis, qui ob malorum episcoporum saevitiam a nobis submoventur, prodesse velis, id quoque ex Christo oro. Vir est integerrimus, eruditionem libellis aliquot ab se editis orbi testatus est. Sacrarum literarum cognitionem cum haud mediocri eloquentiae supellectile coniunxit: in summa, dignus est, quem Tu promoveas, atque vocis tuae testimonio non solum ornes, sed etiam iuves. Haec ad Te celerrime, clarissime *Uldarice*. Habeo quaedam tecum communicanda, quae et videbis et audies ex me, cum *Basileam* rediero. Id spero fiet ad futurum autumnum. Saluta diligenter *Oswaldum*[2] nostrum, et vale bellissime. *Frankphordiae*. 10. Iulii. *Oecolampadius* hic mecum est, vir in literis maximus, non solum Latinis, Graecisve; sed etiam Hebraicis. Is a suis,[3] quod Evangelium praedicari vetuissent, descivit. Vertit hic *Chrysostomi* Homilias ad viginti opinor, nondum visas. Sacerdotes evangelici in sacris Evangelium et Paulinam epistolam sonora voce pronunciant, id germanice; canonem quoque ita ut exaudiri possit ab omnibus, legunt. Cuius rei rationem reddidit *Oecolampadius* libello quodam ad hoc edito.

XXIII.

ZUINGLIUS MYCONIO.

Carissime *Myconi!* ad Te mitto supplicationes istas,[4] de quibus nihil clam te est, sed tota hebdomade serius, atque voluissem; verum aliter fieri non potuit. Tu eas distribuito, ut opportunum erit: nam *Iodocus*[5] ita nobiscum statuit. *Xylotecto* prorsus nihil nunc scribere prae occupationibus possum; hoc tamen illi velim dixeris, me prorsus nihil offensum esse, quod cunctatus sit nomen suum dare, sed potius

---

1) *Otto Brunfels*, *Moguntinus*, ordinis Carthusiani, quem ab *Hutteno* permotus deseruit, *Hutteno* et *Luthero* addictissimus. Hunc postea vehementer contra *Erasmum* defendit. *Brunfels* medicus fuit ac restitutor Botanices. Aliquamdiu praeceptor puerorum Argentorati in medicinam addiscendam simul incubuit. 1530 medicus *Basileae* factus *Bernam* vocatus, 1531 ibi vita defunctus. Permulta scripsit theologica, medicina, botanica. 2) *Myconius*. 3) Monachis *Augustae Vindelicorum*. 4) Petitiones ad Episcopum et Confoederatos. 5) *Kilchmeierus*.

totum hoc esse ex mea omniumque sententia, ut res summa cum tranquillitate fiat, et ut potius paulatim quam simul, res agatur, praesertim quum videamus quosdam tam procaciter contra niti. Propter Christum enim etiam uxor deserenda erit; sed dii meliora! Praestat autem, ut *Xylotectus* Gamalielis persona indutus, coram Senatu possit sententiam dicere: discedite ab hominibus istis etc. quam cum apostolis vapulans urbe eiiciatur. Bonam spem de negotio concepi, tametsi apud nostros nihil vel parum possit consilium, omnia furor tentet etc. Vale et salvum iube *Xylotectum* ac tuos omnes. *Tig.* 19. Iul.

Tuus *Huldricus Zuinglius.*

XXIV.

WERNERUS STEINER ZUINGLIO.

Vir bonarum literarum ac virtutum eruditissime! Quas ad me dedisti literulas accepi quam gratissime. Scias me ductum magna admiratione, quod non citius ad nos scripseras. Fuit his diebus apud me noster *Iodocus Kilchmeier*, qui summe nostra expectat negotia, et ob hanc causam venit me eo libentius visurum, ut quid de his ei enuntiem etc. Ego quidem magnis et multis negotiis occupatus, ea propter te adire non potui. Non minus tamen pro meo Posse constans et firmus manebo in Evangelii negotiis et dictis S. Apostolorum; et quicquid ad haec possum, me, mea (non mea sed Dei) offero, tibique tanquam excellentissimo patrono nostro ad haec reddam me promtissimum. Quaeso non mea scripta, sed animam respicias. Cui, patrono nostro, me permaxime commendo, quem aliquando certiorem facias de tuis negotiis, et praecipue nunc ad festum D. *Oswaldi*, ut nostris amicis quid boni ostendam, quia tuis literis nihil iucundius nobis contingit. Vale in divino beneplacito. Quod Tibi prius non scripseram, non ob aliam causam factum fore noscas, nisi ob ignorantiam meam; unde non aegre feras, sed me ama, ut soles. Ex *Zugiano* oppido 20. Iul. 1522.

Libellos ad Episcopum *Artensem* et fratrem nostrum [1] mittam quam promtissime.

Tuus totus *W. Lapidanus*, vulgo *Steiner.*

Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris; reprobaverant Scholastici: in nostro seculo factus est.

XXV.

MYCONIUS ZUINGLIO S.

Venit puer, quem misisti inter prandendum. Aderat *Iodocus*, M. *Wolfg. Pratensis*, per multos annos olim *Fabri Stapulensis* auditor, atque alii quidam boni viri. Inspicimus libellos [2] verius quam legimus. Placent. Deus coepta fortunet. Id enim unum nunc precandum. Distri-

---

1) *Balthasar Trachsel.* 2) Petitiones.

bimus, prout nobis visum est. Praeterea in quantis turbis verseris e puero isto cognovi. Inprimis rem commemoravit notam cum *Franciscano*,[1] et quid hac septimana futurum sit cum omnibus Monachis *Tigurinis*.[2] Quae fortuna hactenus tibi favit, eandem spero in hoc etiam conventu fauturam. Intelligo tum, plus quam nunquam alias, uti veritas divini spiritus sit semper firma, semper solida, semper inlaesa. Nonne dicit: „Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato etc. Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea sunt. Super senes intellexi, quia mandata tua quaesivi.“ Nam quod hactenus divinarum literarum es usus clypeo, invictus perdurasti non uno praelio non duobus sed tribus, et quartum iam ostium pulsat, nec finem video, etiam si hoc perviceris. Utere igitur his tam fortibus tam adamantinis armis, ut hactenus, ut videamus, quam Christus ad sua tuenda nullius alterius indigeat, praeter verbum suum. Non credere poteris, quantum pectoris addat isthaec res omnibus qui Christo se mancipaverunt. Is permaneas, qui es, in Christo Iesu. Vale cum uxore[3] quam felicissime et tuis omnibus. — Petit *Xylotectus* ut plus librorum quam ocyssime mittas, si ita commodum est. Solvet ipse omnes suo aere. *Lucernae*. 22. Iul.

XXVI.

MYCONIUS ZUINGLIO AMICISSIMO SUO S.

Boni, qui pauci sunt, commendant libellos vestros; alii non laudant nec vituperant, quamvis illud tamen pauciores quos audiam, hoc plures. Aiunt, vos tentare rem, quam nunquam perdoctis ad finem optatum. Alii Episcopum existimaturum, quod bardum eum indoctis, quia rem referatis, quam nec ipse, nec Papa possit admittere, sed unum Concilium. Alii mussant, atque hi omnes sacrifici. Quid iudicet vulgus, nescio. Hoc scio, omnes ad unum insanire, non in vos quidem, sed in Evangelium. Belli furor occupat omnia;[4] caecutimus igitur ad ea, quae sunt coelestia; nihil ob id apud *Helvetios* agendum de iis rebus, quae Christi gloriam possunt augere. Christum nunquam noverunt, quocirca quid sit gloriam eius augere ignorant. Agunt suas nugas, neque ab his volunt vel latum unguem discedere. Docuerat eos *Sebastianus* noster[5] viam Christi; noluerunt eum. Quamvis, si verum sit dicendum, quis in causa sit, non ita compertum est. Suspicamur tamen Ter canem esse nostrum (ecce ut sim lapsus); volebam dicere Decanum[6] cum uno et altero, qui rem confecerint. Vae illis! ut enim suae libidini satisfiat, seducunt et se et totam turbam. Deus misereatur eorum! mutatus sum animo. Ceterum de disputationibus,[7] ni habeam

---

1) *Franciscus Lambertus*. 2) Quorum praedicatores Zuinglii praeceptionem convitiis proscindebant. 3) Num forte iam Zuinglius *Annam Reinhardam* clandestino in matrimonio habebat, rei suae domesticae curatricem, quod idem suorum amicorum plures sibi permiserant? Cfr. Ep. 62. 4) Post praelium ad *Bicocam*. 5) *Sebast. Hofmeisterus*. 6) *Bodlerus*. 7) Cum *Hofmanno*, cum monachis.

brevi, quid actum sit, occidi. Fac igitur, nisi sint quae te cohibeant, sciam. De *Sebastiani* apologia quid sentias, per Deum rogo, significes, uno saltem verbulo. Non lubenter ad scribendum Te voco, sed quod haec me tam vexant, interim dum nescio, sic iubeo; non cogo tamen, non plane. Ore committas, cui sit committendum, id quod etiam nuper fecisti; et sufficit mihi. Sed quid putatis vobis futurum cum totus orbis contradicit, imo resistat omnibus viribus? Quam bene vobiscum agitur, qui habetis gratiam Dei, ut hominum non timeatis nec minas, nec aliud quicquam! alioqui enim plane deiiceremini. Adsit vobiscum Spiritus S. Sic oportet desinere, interrumpente rustico quodam importunissimo. Vale, et me ama. *Lucernae* V. Cal. (28. Iul.) Aug. 1522.

Myconius tuus.

XXVII.

GLAREANUS ZUINGLIO.

Atat herele verba mihi data sunt; vicit ira (dicere volui vinum). Egregie stomachatus est in Te *Franciscus* ille, quem mihi velut penicillo pinxisti, donec nescio ex quo percepit eadem, quae Tu de eo ad me scripseras. Ibi tum homo festivus sese purgare, scripsisse de se quendam (neque enim Te unquam nominavit) ingentes nugas, quod sit hypocrita, bilinguis; orare fratres praecipue, ut pro illo homine, qui talia scripsisset, Te nimirum denotans, ut Deo O. M. preces fundant, ut erratum agnoscat suum, qui tantum peccati commiserit, tam innocentem traduxerit. Risere quidam. Sed frater ut se magis fratrem ostenderet, haec aliquot lectionibus (ut audio) repetiit. Miror vero, unde ea hauserit. Neque enim ex iis, quae ad me datae sunt, literis haec habere potuit. Neque ex *Erasmo*, quippe cui eas non ostendi, quando iam aliquot hebdomadis parum cum illo mihi negotii est. Semina in culpa est et morositas qua me parum humaniter excepit. Longae sunt ambages, verborum plaustrum. Hoc unum gaudeo, innocenti mihi haec evenire, non tamen ab Augusto, qui me proscribere audeat. Ad dedicationem templi nostri (si Christus annuat) istic adero,[1] loquemurque de rebus omnibus copiose. Lego iam publice, magno in auditorio, ut habeant Sophistae, quo crucientur: nam istuc conabor, ut nunquam desit, quod illi non libenter videant. Mira tragoedia hic agitur.[2] Sed spero finem propediem rei cum ingenti Sophistarum iactura. *Ammannum* et familiam totam nomine nostro plurimum salutabis; *Grebelios* item, *Luchsingerum*, nos Diaconos sive hypepiscopos. Vale et me ama. *Basileae*. 29. Iul. 1522.

P. S. Hoc etiam Te oro, literas adpositas, alteras *Eremum Herulo* meo, alteras *Glareanam* fratri mittas: nam illorum non parvum negotium agitur, quanquam et meum.

---

1) Solemnia dedicatoria templi Claronae 12. Oct. ubi *Valentinus Tschudi* primam Missam legit officiumque Parochi suscepit; qua occasione concionatus est *Zuinglius* 2) Cum *Oecolampadio*, suas lectiones in Iesaiam incipiente.

Inscriptio: *Huldrico Zuinglio*, Theologo vere christiano, viro integerrimo, graece latineque doctissimo, amico tanquam fratri. *Tiguri.*

XXVIII.

MYCONIUS D. HULDRICO ZUINGLIO EVANGELISTAE TIGURINO, AMICO OBSERVANDO S.

Non potes nescire, carissime *Zuingli*, turbas sacrificûm de Christo bene sentientium. Non etiam quam sint aliqui, qui multa patiantur propter eandem causam, inter quos quidem non postremum esse *Artensium* pastorem novisti optime. Nescio an et illud scias, quod vitae securus iam aliquanto tempore non fuit; id autem propter uxorem ex maiore parte, tametsi ob quasdam etiam conciones, quas inconsultius effutivit. Dubito ego ferme, melius esset nec ne, si e patria discederet. Causae sunt in utramque partem satis probabiles, in alteram tamen ob unam causam probabiliores, atque haec est, quod uxorem habet: ea namque eiusmodi est, ut nulla alia possit aeque omnem populum contra ipsum extimulare, inprimis quod putant rem esse adeo nefandam, si sacerdos cum uxore legitime vivat. Interfui ego, dum *Artensium* aliquot de sacrificorum connubio disputarent, praesertim autem de pastore suo; illic audieram, ut continuo nuntium adhuc dimitterem: caveret, ne quid mali accideret. Persuadebam enim mihi, non patiendum esse, si quis commode possit effugere, absque proximi usu. Tum quoque, tametsi Erasmus docet, locum Matth. „Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam," ad illorum tantum pertinere tempora: videbatur mihi ad nostra non minus pertinere, quod ea illis per omnia sint similia. Christianismus enim hodie non minus de novo incipit, quam olim dum Christus adhuc viveret in terris: adeo Evangelium per Romanos obliteratum evanuit. Quid igitur si fugeret? Daretur forte *Artensibus* longe gratior, qui et ipse praedicaret Christum. Qui si non daretur, quid ad nos? cum nolit fortasse Christus, ut habeant, qui panem eis divinum frangat. Tum servaret ille se et uxorem, quod puto licere, quia Christus sic iusserit. Adde quod vix credo aliquid boni unquam per eum posse fieri apud suos, cui tam male volunt. Sunt enim, e quibus his auribus audivi: postquam pastor noster incipit praedicare, inquientes, ego exire de templo incipio. Ad quid enim caprarii huius mihi conciones, qui D. Virginem et omnes sanctos adeo contemnit? Vixdum ex ovo prodiit, et conatur, quicquid eius sermocinati sunt decessores, subvertere. Abeat quo dignus est cum fabulis suis. Quis enim docuisset eum bene loqui, cum loqui nondum sciat. Puer est, et tentat se senibus opponere atque viris doctissimis. Huiusmodi multa cum sciam, in dubium venio, quid illi sit faciendum. Et persuadeo aliquoties mihi, quod sine gravi et suo et suorum damno manere non queat. Atque intelligo, ni fallor, etiam illi nimis esse grave, quod timeat vitae suae, et quod nihil suos christiana doctrina possit augere. Quidquid enim dicit apud eos, vilipendunt. Timet etiam, ne tempus illud possit contingere, quo sine vitae periculo uxorem secum apud suos

retineat. Quodsi tamdiu inter se separatis ita vivendum est, nescio quam secure id fiat, imo quam christiane. Verum ne suspensum te retineam diutius, hanc ob causam illa scripsimus, ut, quia nos incerti sumus, tu certiores nos facias, quidnam eligendum sit ex iis, quae proposuimus. Quod si a nobis dissenties, fac sciamus quacunque ratione: sequemur enim te, quocunque duxeris. Nollem tamen si consentires abeundum esse, ut otio marcescat: ea namque re nihil perniciosius, ut scis. Verum et alibi pastorem posset agere. Quis scit si ab aliis doctrina eius acciperetur benignius. Vale in Christo. In aurem accepi, supplicationem vestram *Romam* esse transmissam. Opto ut valeas cum tuis omnibus. *Lucernae* pridie Nonas Aug. (4. Aug.) 1522.

Osv. Myconius tuus.

Quid hominis sit monachus lector, qui ex *Tiguro* nobis advenit, scire velim; tu enim novisti.

XXIX.

IODOCUS KILCHMEIER ZUINGLIO, PASTORI TIGURINO, SUO AMICISSIMO.

Quam commoverit, mi frater, quorundam animos apud nos, vel insanire plerosque faciens, Evangelii negotium, quod modo Te authore agitur, dici facile nequit. Etenim tumultus, vis ac renitentium copia longe superat, ne dicam me, vel facundia dicendi felicissimum quemque. Id quod hoc cognosces apertius, quod hisce diebus quendam extra muros ex unctis divini negotii administratorem in *Sempacho*, subornatis praeconibus deprehendere statuerunt primates nostri, ac sic in vincula coniicere: eo nomine, quod coenobii *Eschenbach* Vestalem uxorem duxisse sibi, ferebatur. Quid demum experturus, si in manus insidiantium incidisset? Ardentissimum namque indagandi studium fuit, ingensque saevientium rabies, satis severam animadversionem fore attestans. At per quosdam, id ipsum praesentientes, admonitus, propitio Deo evasit, Vestali porro detenta et incarcerata, quae et ipsa post dies aliquot, nescio quo opitulante, liberata evanuit. Ceterum haec illa tempestas et in me propediem novos et prioribus atrociores fluctus retorquere sane minatur, quandoquidem illius contractus me causam calumniantur, quod paulo ante arcessitus licere hoc divino instituto, imo necessarium esse continentiae verbum non capientibus, sim publice concionatus. Hinc me nefandae rei, ut ipsi arguunt, audaciam pariter et ansam administrasse temeritatis. Imminet exinde iudicium, quo, quae in me potissimum statuatur poena, intrepidus maneo. Tu vero audi. Haec dum scriberem, irruit praeco, a Senatoribus missus, denuncians haud tam prope in ianuis iudicii diem opinanti, sequentem diem indictum mihi et ordinatum, hoc est Octava Laurentii quartam feriam, quo in me foret animadvertendum, ubi nec gravabor eniti, quam festinanter acta ad Te deferantur. Quod si vero praeter spem et opinionem durius tum mecum ageretur, oporteretque aut vincula experiri, aut *Constantiae* iudicum, nescio quorum, sententiam ferre patique, obsecro, dum

agnoveris, transeuntem accedas consultor aut liberator iniuste ducti. Hoc interim certo de me habeas, saxum molliri facilius, quam me vel latum, quod aiunt, digitum a Christi verbo abscedere. Atque hactenus de nostris. — Quod ad *Bernardinum*[1] studiosissimum adolescentem attinet, paucis accipe. Is iam me tertio adiit, anxio spiritu profundens intolerabiles a *Tuginis* quibusdam illatas iniurias, a quibus, cum ob praedicationis sinceritatem, tumque quod vulgi opinione communi uxorem duxerit, subinde incessitur. Nunc conviciis lacerant pium, iam terrent minaciis, varia periculorum genera intonantes; nonnunquam etiam capitis pericula obiiciunt insani. Et ut compendio totum absolvam, eo necessitatis pulsus est, ut tutius fore alio pergere susceperit animo, quorundam amicorum persuasione adductus, quam apud illos manendo, ne ad horam quidem, de vita securus. Petiit a me literis Tibi meis commendari, quod eo feci libentius, quod experimento plane edoctus coelestis doctrinae eum admodum studiosum esse sciam, neque probatissimorum carere magnifico testimonio. Id quod Christiano dignis moribus abunde exprimit pariter, et omnibus de Te constat, ut es propagandae rei evangelicae studiosissimus, ita nullo Te minus gravari, quam promovere eos, qui se totos Christi Evangelio dicaverint. Tuum igitur elabores velim, ne meam sentiat commendationem fuisse vulgarem, et quam de Te opinionem ferunt omnes pii inanem et vacuam. Neque Te olim vero promovisse eum pudebit, quocunque se, te auctore, locorum contulerit. Vale et expectatissimas literas tuas nobis communices indesinenter perquam velim. Ex aedibus nostris *Lucernae* die ipso Hypoliti Martyris (13. Aug.) 1522.

Io. Kilchmeierus tuus.

XXX.

IODOCUS MÜLLER[2] ZUINGLIO VIRO LITERATURA AC MORUM DIGNITATE LONGE PRAESTANTISSIMO, PRAECEPTORI SUO QUAM INTEGERRIMO.

Cogitanti quo viatico deducere possemus hunc *Bernhardinum*, qui has ad Te defert literulas, Tu solus occurrebas omnium patronus solers, cui et me, et illum committerem. Fuit mihi cooperarius satis superque fidus, ut non solum domi meae, verum etiam foris par illi fuerit accommodare se moribus aliorum plane integris. Ea quippe in illo sita est modestia, quod iniuria affectus a quovis, etiam sordidissimo

---

[1]) *Bernardinus*, cuius nomen gentile nescitur, diaconus *Chami* ad lacum Tugiensem; fortasse *Bernardinus Benz* ille, qui posthac parochus Gaissae regionis Abbatiscellanae occurrit. (Wirz.) [2]) *Iodocus Müllerus*, filius hospitis *Chami* et parochus ibidem, pariter ac *Vernerus Steinerus Petrusque Colinus* conspicuus, probe eruditus ac locuples homo, qui Abbati postremo Capellae pecuniam mutuo dedit. Ad reformanda sacra quum iuvenili ardore ferretur, *Zuinglius* per Steinerum suasit, ut modum adhiberet. Multam industriam in suo grege ponebat. Reliquit poetica, elegeia, argumenti e patria historia petiti, manuscripto. (*Stadlin*, Hist. Tugii II.)

hominem, haud pili faciat. Quem si dabitur copia commendandi, non abs re fuerit, si iustae huic meae postulationi annuas. Quod si nec fata sinant, ut illum assumas in Tuum contubernium, fac precor, humanissime vir, ut Tua interpellatione M. *Conradus in Kusnacht*, spectatae fidei alumnus, si commode possit et vacet, suo prosequatur favore, amico admodum iucundo; at curam illius agat propensius, in miserae sortis casus adacti. Tantus est profecto in illo studii fervor in bonas literas, ut insumti laboris ac impendii taedeat nihil, quippe qui cupiat doceri a summae eruditionis praeceptoribus, quo evadat emunctior ad rem divinam capessendam, cui praeter ceteros apud nos vigilantior incubuit. Tu quidem nosti, quantum veritas male audiat apud ingratos, et quid morosi obganniant senes, quo iuvenum abducant animos ab Evangelicae doctrinae viridariis, et a verae pietatis fontibus, ipsi interim turbulentis involuti lacunis. Qui neque sibi ipsis temperant, quin accersant ignobile vulgus in odium cuiuscunque addictissimi in legem Christi. Is porro in nos concitatus est tumultus ab Erinny quadam furiis agitata, non parum nobis infesta; quatenus in tuto collocare pedem vix ulli sit concessum, qui non male feriatis operam navet authoribus. At operae pretium est, ea via transigi vitam hominum, quam et Dux noster ac Servator Iesus ingressus. Non est in medico semper relevetur ut aeger. Intendum docta plus valet arte malum. Abeant igitur ac suo pereant flagitio. Ferenda sunt haec a pertinacibus piae factionis. Deus ille noster O. M. provideat sibi de melione seculo, quo perditissimi explodantur ventres a coetu Christianorum. A morsibus canum nos eruat, qui vere panis est, qui et e coelo descendit. Interim vale et me ama vicissim, ut ea Tibi innata est benevolentia. 15. Cal. Sept. (16. Aug.) 1522.

Iodocus Müller, Plebeianus in *Cham*, moriger Tibi clientulus, quoad vivit.

XXXI.

MYCONIUS ZUINGLIO S.

Expellitur ecce miser *Myconius* a Senatu *Lucernano* absque omni causa, ni illam dicas causam, voluntatem Senatus. Quo eam, non adeo mihi hoc tempore constat. Olim de Te speraveram et *Tigurinis*; verum quod turbis ipsi tantis circumdati estis, vereor ne non curam mei aliquam possitis habere. Neque ego sum tam stupidus, ut nunc id petam, sciens quantum propria vexent incommoda. Quod si illis vacarent pectora vestra, non essent profecto in orbe, a quibus auxilium peterem, et ut minimum sperem, si illud non conveniret, nisi a vobis: adeo semper me consolati estis, adeo semper bene polliciti estis. Imo tam semper de vobis mihi omnia pollicitus sum, ut de bonis et christianis viris. Nunc vero, postquam neminem habeo, a quo vel petere vel sperare possim aliquid, quid superest nisi ut Deum, quem omnibus semper praepono, vocem in tribulatibus, qui non relinquit sperantes in se, qui omnia suppeditat abunde fidentibus sibi. Is enim semper dives, semper benignus, neminem sinit, qui recte petit, inexauditum abs se discedere.

Hunc rogabo mihi provideat, quo non sit ostiatim cibus emendicandus, donec iterum laborando tueri vitam potero. Unum tamen, quod a Te flagitare ferme cogor. Re verbis praemunita, ut novisti, adires scribam *Tigurinum*, si quid officioli apud hunc adipisci queam; relicturus profecto odiosam istam provinciam pueros docendi, si quid sic vel sic quod mihi conveniat offeratur. Memini, Te olim eius fuisse de me sententiae, ut id persuadere conaberis. Fac nunc ut me adiutes, si fieri poterit. *Conhardo Commendatori* me inprimis commendato, tum civibus tuis, quos mihi novisti amicos. D. Doct. *Engelhardo* post dictam salutem dic, quantum nunc opera eius sit opus, atque admone, virum uti agat. *Utingerum* instiga, mei memor sit apud senatores et cives bonos. *Rodolphum*[1] per Deum ores, faciat quod amicum decet. Ecce quam me impudentem reddat infortunium, quod tantos vinos audeo vocare tam temere ad officium. Verum iubeas tu, quicquid sit optimi consulant, nec me, sed perturbationes incusent. Ut brevissime poteris rescribito per coelum te oro, ut consoler. Vale cum domesticis tuis in Christo. Mei omnes Te salvum optant. *Lucernae* 19. Aug. 1522.

Myconius tuus.

De monacho *Minorita*, cui tu adeo in disputatione isthic pepercisti, scriberem, quae pro concione publica effutierit contra te, non nominatim tamen; sed quae audisti me cohibent. Bone Deus, qualis Monachus!

Inscriptio: D. *Huldricho Zuinglio* suo, Parocho *Tigurinorum* vigilantissimo, amicissimo amico. Gen Zürich dem Leutpriester.

XXXII.

MYCONIUS ZUINGLIO.

Tantum potest invidia, ut homines reddat ferme insanos, ut loquuntur, nulla omnino ratione personarum habita. Effutiit exprobrandi quasi more apud Legatos *Tigurinos* hic Praefectus durae cervicis, duri lapidis inquam.[2] Ecce remittimus vobis Ludimagistrum vestrum (privavimus enim officio). Videte ergo, ut quam optime habeat: certum est enim ad vos rediturum. Ex Legato *Berger*[3] haec scribimus. Hic autem respondit: Veniat! Efficiemus enim, ne dormiendum sit ei sub dio. Ceterum omnes consulunt, ut adeam Senatum: non enim sese dubitare, quin gratiam inveniam. Mihi vero nihil minus est cordi. Rogare non possum, multo minus petere, ut priorem noxam remittant (sic enim suadent), quam nescio. Nil feci, nil exprobrarunt, nisi quod sim *Lutheranus*. Quid facerem ergo, aut quam veniam peterem? Te consulo, quid faciendum putes. Si adnuis sententiae meae, multa millia non illinc me abstrahent. Sunt alia quaedam, et ea profecto magna, quae faciunt, ut alibi essem lubentius: quocirca fac, consilio me adiuves! Hoc, quod nunc factum est, si manerem, propediem rediret. Non enim possum

---

1) Verosimiliter *Collinus*. 2) *Hertenstein* praefectus. 3) *Georgius Bergerus*, dux Tigurinorum in expeditione Papali 1521, senator, vir moderatus, generosus.

essent ab Evangelicis moribus docendis, quod statim ut fiat, clamitabunt iterum, me Lutheranum esse; et erunt posteriora prioribus longe peiora. Fac per hunc aliquid respondeas, si per otium licebit: non enim quam omnis mora, dum expecto aliquid abs te tempore tam adverso, longa mihi sit. Vale in Christo felicissime. Id mei omnes optant. *Lucernae* 21. Aug. 1522.

Olim persuaseram mihi, ob Te et *Tigurinos* huic homini odiosum me esse; nunc certius scio, postquam effutivit, quae diximus.

XXXIII.

ZUINGLIUS MYCONIO.

Quod rarius ad Te scribimus, charissime *Myconi*, satisfactione non putamus egere, eum ipse iam omnibus epistolis id agnoscas; tametsi non putem, ad unguem Te omnia agnoscere. Tam crebri sunt pulsus, tam vehementes ictus, qui domum Dei deiicere tentant, ut non iniuste quis aliquando crediderit, nec ventos esse, nec imbres, sed grandines et fulmina; ac ni aperte viderem Dominum custodire civitatem, iam dudum clavum abiecissem. Verum, quum eum videam rudentes firmare, antennam dirigere, velum tendere, et quid multa? ventis imperare: inera, nec hominis nomine dignus fuero, si stationem deserens nihilominus ignominiose perirem. Totum itaque me illius benignitati permittam: regat, vehat, festinet, maneat, acceleret, moretur, mergat! nihil prorsus indignabimur. Eius enim vasculum sumus, nobis uti potest, et ad honorem, et ad ignominiam. Quamvis crebro ab illo petam, ut carnem nostram, quam semper sequi piget, quaeque instar morosae mulieris responsitat et factorum omnium rationem postulat, in ordinem cogat, vetetque reclamando retinere. Quod item tum tandem faciet, cum vel exercuerit nos ad satietatem, vel cum viderit id nobis conducturum esse. Quamobrem Te, o charissime *Myconi*, oro, ut ei te totum permittas! quod equidem non ignoro te iam dudum fecisse, sed etiamnunc dico, ut si, quod paulo post consulam, minus successerit, non te turbet. Illud autem hoc est, ut Senatum adeas, ac illic orationem habeas, Christo et Te dignam, hoc est, talem, quae illos compungere possit, non concitare; quaeque nullos perstringat, non solum nomine, sed nec ulla suspicione: *Lutheranum* te esse neget; sed *Christianum* esse adserat, fidem docendi testetur, non tam quod *Helvetius* sis et *Lucernanus*, sed quod nunquam nusquam non docendo fidelissimus repertus sis: id quod amor in Te discipulorum tuorum testetur, qui etiamnunc sponte sua adsint Senatum oraturi, ne se iam initiatos deseri patiantur. Atque puerorum hic manum habebis, quam fieri potest, maximam, e quibus intrepide verbum faciat civis elegans, doctus, cordatus, breve tamen, quale tuum quoque erit: verbum inquam, habeat; qua et quantum urbi aliquando profuturi sint, modo Te ducem habeant, testetur, et quantum desidiae daturi sint, si te se privent. Et si, inquam, omnia ista nihil potuerint, iam disces quantum patientia possis: nempe, quod Te, ubique repulsum, non tamen abiicies, sed ad *Zuinglium* Tuum, veluti proprium larem, *Tigurum* migrabis, fautores habiturus optimos quosque. Nemo

enim est, qui non indigne ferat, quicquid Tibi indigne fit. Nolo tamen ipse idem facias, puta quod indigne feras, si quid immerito, imo bene merito irrogetur mali. *Lucerna* non est, nisi summo periculo cogente, deserenda. Fer interim, ac si id nescis, disce ferendo. Scio tamen te scire, ac nisi me fallit opinio, ferendo docebis alios aliquando tuo etiam exemplo. Adde, quod *Xylotectus* deserendus non est. *Iodoco* vero perierit dimidium solatii (cui cum salutem dixeris, id quoque addas, Episcopum [1] *Badensem* profectionem facere ad aquas, qui ut primum redierit, convenietur); qui tamen omnes simul Christi iugum suave esse docebunt, cum dabitur occasio. Sed iam receptui cano nesciens ferme quid scripserim. Absolvetur nobis die Martis aut Lunae libellus *Archeteles*, [2] tumultuarie quidem scriptus, atque ob id Tibi gratissimus, quem, ut primum licebit, ad Te transmittam etc. Vale cum coniuge, liberis, tuis omnibus. Ex *Tiguro* 23. Aug. 1522.

Huldrichus Zuinglius tuus.

XXXIV.

ZUINGLIUS MYCONIO
AMICO SIBI IN CHRISTO CARISSIMO.

Carissime *Myconi!* Si Te omnis etiam *Lucerna* deserat, oro, ut ne te turbet. Quo enim pacto alio id disceres, quod Christus praecepit, adimplere, nempe: orate pro persequentibus et calumniantibus vos. Nunquam enim non de Te mentionem habemus: contubernium nostrum non sine summo dolore, rursus non sine certis pollicitationibus, quod Te nullatenus velimus nec consilio nec fortunis deserere. Proinde inconcussus sis: Dabit Deus his quoque finem. Proderis nobis *Tiguri* ad varios usus. Proderis etiam Tibi. Nam *Ceporinus* post Galli festa legere incipiet, tum Hebraice, tum Graece, quod hactenus per negotiorum strepitum Tibi nunquam contingere potuit. Versaberis inter Tuos *Utingeros*, *Engelhardos*, *Frygios*, [3] festivissimos senes; inter *Erasmos*, [4] *Zuinglios*, *Megandros*, viros minime poenitendos; inter *Grebelios*, *Ammannos*, *Binderos*, candidissimos et doctissimos adolescentes. Aderit etiam tandem immensis istis viribus suis rugiens, ac iustitiam sitiens *Leo*, Teucro minor, sed Aiace fortior. Aderit crebro dulcissimus ille *Eremi* Administrator, omnium pater, qui Deum patrem colunt, cum *Francisco* [5] nostro, quo dispeream si unquam quicquam vidi lepidius ac amicius. Hos recensui, quo demigrationem Tuam soleris; interea tamen ubique intenti erimus, ut si quid vacet, tu instituaris. Forti omne solum patria est. Non enim habemus hic civitatem, in quo perpetuo manere detur, sed futuram inquirimus. Mittimus item „*Archetelem*“ nostrum, vix tandem cum multis etiam mendis excusum; quem ut vides tumultuarie scriptum, boni consules. Durus sum, ac castigandi morae nimis impatiens et expoliendi. Ingenium nostrum nulla

---

[1]) „*Geroldseggium* puto.“ Simul. [2]) Dedicatio ad Episcopum 22. Aug. data, extrema diem 23 refert. [3]) *Frygii*, praepositus et reip. ab actis. [4]) *Erasmus Fabritius*. [5]) *Zinkius*.

seis parte quam inventione felix esse, si modo ea non est summa infelicitas, quae inventum vel nolle vel non posse consilio iudicioque ornare, venustare, cedroque digna reddere. Sed tamen studuisse dum sat putamus, capit nos mox fastidium nostri, ac quicquid hactenus scripsimus, ita mox fastidivimus, ut respectum forte fortuna nauseam pariat. *Xylotectum*, *Iodocum*, omnes volo salvos iubeas ex nobis. Misissemus plures libellos; ad manum tamen non erant plures. Habe Tu unum, da eis alteram, ut ordine legant. Ex *Tiguro* 26. Aug. qua *Ursus Habius* cum *Regula Ammanni* sorore nuptias celebravit. 1522.

Huldr. Zuinglius tuus ultra aras.

Eremi ero toto dedicationis angelicae tempore. Nunquam datur vel ad Te, vel quempiam, nisi tumultuarie scribere.

XXXV.

MICH. HUMELBERGIUS

CLARISS. VIRO D. HULDRICO ZUINGLIO, TIGURINORUM EVANGELISTAE PIISSIMO, DOMINO ET AMICO PRAECIPUO S. IN CH. I.

Nihil est, in quo Tibi non sim gratificaturus, atque id animo lubentissimo. Iuvenem, de quo ad consobrinum meum *Ioh. Meulishoferum* honorificentissime nuper scripsisti, *Melanchthoni* unice commendabo. Superioribus mensibus de facto *Tigurinorum* quorundam h. e. de carnium esu, *Philippo* scripseram. Quae vero mihi responderit, a *Meulishofero* habebis brevi. Supplicationem ad Rev. Episcopum Constantiensem super re uxoria Sacerdotum, abs Te mihi dono missam, confestim, ut adceperam, *Augustam* Cl. Viro *Chuonrado Peutingero* transmisi. Qui cum legisset adprobassetque, impressoribus excudendum demandavit, quod displicere Tibi non arbitror. *Iac. Lopides Stunica*, *Hispanus* s. potius *Marranus*, homo insigniter insolens et arrogans, *Erasmum Rot.* miris convitiis proscindit: conlegit in unum libellum, quicquid in *Erasmi* libris est, quod Pontificum, Sacerdotum, Monachorum ambitionem, avaritiam, luxuriam, hypocrisin, et alia id genus vitia notat, atque impietates et blasphemias *Erasmicas* adpellat. Adversus *Erasmum* tria scribit volumina. Edidit libellum nunc hoc titulo: *Iac. Lop. Stunicae* libellus, trium illorum voluminum praecursor, quibus *Erasmicas* impietates ac blasphemias redarguit. [1] *Egmundanus Lovaniensis* Theologista cum alio quodam eiusdem farinae sycophanta dignas factis suis poenas exolverunt: dum enim *Lutheranos* Caesareis diplomatis adiuti per *Brabantiam* persecuti essent, apud *Hollandos* necati sunt. *Io. Franciscus Picus* pro

---

[1]) *Iacobus Lopez Stunica*, sub Cardinali *Ximenes* edoctus philologus, at homo malitiosus aemulusque gloriae Erasmi. Nequidquam *Ximenes* ei auctor fuit, ut suas castigationes in N. T. Erasmi cum eo placide communicaret. *Leo X.* iniuriosum scriptum vulgari prohibuit; at eo mortuo Stunica in lucem edidit; quo scripto *Erasmum* fecit parentem omnium haeresium recentiorum.

Dionysio Areopagita contra *Lutherum* scripsit. *Augustam* misit librum denuo imprimendum; sed qui exprimere voluerit, nemo repertus est. Adversus *Lutherum* scripsit *Christophorus Marcellus*, Patricius *Venetus*, archiepiscopus *Corcyrae*, sed praeter convitia et maledicta nihil. Titulus est: de potestate summi Pontificis. Nihil hominem agere existimo, quam purpuram, latum clavum et rubrum galerum ambire: adeo res effert pontificias, et Scripturas mire torquet. Scripsit et denuo *Catarinus* stolidus Thomista. [1] Salutat Te *Meulishoferus* noster, *Fabricium* et alios nostros, qui in vera fide et mutua charitate persistunt, salvere cupio omnes. Haec utcunque sint εὖ τίθεσο. Cursim scripsi aliis negotiis totus adobrutus. Vale feliciter ex Museo *Meulishoferi* d. Martis post festum Bartholomaei (post 24. Aug.) Constantiae.

Tyrannidem unice desideramus. Cum expressa fuerit, ad nos mittas rogamus.

Ὁ σὸς Ὑμελβέργιος.

XXXVI.

IAC. SALANDRONIUS EVANGELICAE VERITATIS STRENUO APUD TIGUROS HELVETIORUM RECUPERATORI, M. H. ZINGLIO, DOMINO ET PRAECEPTORI SUO OBSERVANDO S. P. D.

Boni consulas velim, doctissime mi *Zingli*, quod ego adeo importunus Te tuis in negotiis tam gravibus et arduis interturbo meis ineptiis. Profecit is iuvenis, a tempore, quo Te primum in *Thermis Paphiis* viderat, non parum in literis pro sua aetate. Captus ob id et celebri de Te fama audita inductus Tui visendi gratia noluit abire vacuus literarum, sperans et apud Te inventurum, ut tua est, vel Christi nostri exemplo, in parvulos benignitas, consilium et admonitionem, quibus cordis ia intima reconditis *Coloniae*, quo ire iussu Parentis cogitur, et honestius et utilius studere posset. Pater eius pastor est in coenobio *Katz*, [2] presbyter factus 24 anno matrimonii soluti per obitum uxoris suae. Et is senex tui causa *Thermas* descenderat. Quare et mei et filioli huius puritiam non contemne, qua freti paucis his Te molestare voluimus, ego scribendo, is Te alloquendo. Deus Te suo Christo et eius gloriae fortem et strenuum invincibilemque foveat, protegat atque retineat. Ego quod possum una cum multis Deum O. M. orabo, ne deficiat neque desit gratia sua meo in Christo charissimo fratri *Zinglio*, ut videat inimicos suos scabellum pedum Christi nostri. Amen. Sine et hoc adiiciam, humanissime mi *Ulrice*. Senior iste *Stapfer*, [3] nuper *Venetos* petiturus, se in Te ostendit esse huius animi, quo iam diu fuit. Effutivit nescio quid de ternis liberis Tibi adscriptis et insolitis nocturnis moribus. Item quod et Te pensionem non modo

---

[1]) Qui permulta scripsit opera haeretifica, ac theologico-polemica. (Gesner.) [2]) *Kazis*, sedes monialium Dominicanarum in magna communitate *Tuscia*, foederis Grisonum superioris. [3]) De quo vid. Vol. I. 91.

a *Sanctissimo*, sed et a *Gallo* comprobare vellet (si urgeretur) accepisse. Praeterea dixisse inter concionandum: *Ave Maria* dicere, esset dicere: Gott grüss dich Gretlin etc. Haec inter prandendum, et postea in Symposio. Non credis, quot suo impudentissimo ore alienarit alias Tibi faventissimos. Obiicitur illico nobis, ut scis: Hi, hi sunt mores Evangelicorum. Testare igitur, quum a seriis vacas, literis unicis, ne adeo tam saepissime bellum frustra pro tua defensione suscepisse videar. Nam profecto non paucis apud nos es cognitus, quibus profuisse est ceteros adduxisse in Evangelii amorem. Nuper victus eras et a Monacho illo *Gallo* et tuis *Iacobitis*. Posteaquam lectae literae sunt, quas de hoc *Martino Seger* scripsisti, muti facti osores Evangelii, et coeperunt Te admirari, qui prius Te execrabantur. Rogo igitur, observandissime mi Praeceptor, si tam est conveniens et necesse, quam lubens ego vellem: purga Te et obmutescere facias impudentium ora, ne tua doctrina vel apud nos *Rhetos* condemnetur ex levissimo huius gloriosi militis, ne peius dicam, aut alterius falso sparso rumore. Si vero totum puerile visum fuerit, quod peto aut timeo, saltem animulum hunc meum gratanter accipe et iudica, quo Tibi per omnia, ut sapio, bene esse et optare vellem, carissime in Christo mi frater, atque inepte et immodice Te amantem et observantem melius doce et apud Deum commendatum habeto. Altera post Barthol. (26. Aug.) Ao. 1522. Mira, quae apud nos de vobis narrantur, scripsi M. *Gregorio* et claudicanti illi bibliopolae *Andreae*. Ut vides ocissime et noctu post *coenam* scripsi.

Iac. Salandronius tuus.

XXXVII.

ERASMUS ZUINGLIO S.

Habeo summam gratiam pro tuo tuaeque civitatis in me affectu. Ego mundi civis esse cupio, concivis omnium, sive peregrinus magis. Utinam contingat adscribi civitati coelesti. Nam eo tendo tot morbis subinde repetentibus, nec video, ut quod offers expetam. Certum habeo, Caesarem amico esse in me animo. Ordo Cardinalicius totus mihi favet. Nec est ullum periculum, nisi a furiosis quibusdam *Iacobitis*. Nec ista civitas posset istos compescere, quo minus blaterent in me et libros meos, quae velint. *Vadianus* non minus placet conspectus quam antea lectus. Nihil eo candidius. Accepi hominem frigido colloquio. Id enim postulabat valetudo, quae fugitat convivia. Brevi videbimus quorsum inclinet res christiana. Habemus Pontificem theologum. Ego quantum hoc seculum patitur, quoad vixero, non deero negotio Christi. Tu pugna, mi *Zuingli*, non modo fortiter, verum etiam prudenter. Dabit Christus, ut pugnes et feliciter. Bene vale. *Basileae* III. Id. Sept. (3. Sept.) 1522.

Erasmus fere tuus.

XXXVIII.

MICH. HUMELBERGIUS ZUINGLIO.

Archetelem tuum obviis ulnis excepi, vir candidissime. Nemo mihi gratior fuit hospes elegantissimo *Archetele* tuo. Quod Caiaphan istum fictitium ΕΙΙΝ adeo dignis tractat modis, adeo apte suis depingit coloribus, est quod valde placuit. Nae, sic acri aceto perfundendi sunt, qui suas sordes ipsi non detergunt. Et qui nimium sibi ipsis placent, recte interdum audiunt, quibus displicent, ut vel hoc modo, si fieri possit, ad meliorem deducantur frugem. Si nunc sapit, desinet sibilare vipera, desinet coaxare rana, desinet insanire mataeologus. Porro Archeteles iam meus, statim ut fuit a me salutatus et osculatus, abiit *Wittebergum* profecturus, ubi meis tuisque verbis adolescentem illum tuum *Melanchthoni* et *Blaurero* [1] diligentissime commendabit. Alter vero, qui fuit *Paulus Hyrus*, Archeteles, heri alii adhaerens comiti *Augustani Suevorum* concessit, clarissimos viros *C. Peutingerum* [2] et *Adelmannos* fratres salutaturus, et summum illud *Tigurinum* erga reflorescentem, divino munere, Christianismum studium decantaturus. *Erasmum Fabricium* et alios tuos insignes pietate viros plurimum salvere iubeo. Vale in Christo Iesu. E Museo nostro *Ravensburgii* pridie Non. Sept. (4. Sept.)

Tuus quidquid est *Mich. Humelbergius.*

Quod expediat in Missa Evangelium et Epistolam vernacula lingua legere, ferunt *Oecolampadium* scripsisse.

XXXIX.

ERASMUS ZUINGLIO.

Legi paginas aliquot Apologetici Tui. [3] Obsecro Te per Evangelii gloriam, cui scio Te unice favere, et omnes, quotquot Christi nomine censemur, favere debemus, ut si quid edes posthac, rem seriam agas serio et memineris Evangelicae tum modestiae tum prudentiae. Consule doctos amicos, antequam aliquid edas in lucem. Vereor, ne ista apologia conciliet Tibi magnum periculum, et Evangelio officiat: etiam in his paucis, quae legi, multa sunt, de quibus volebam Te admonitum. Non dubito, quin Tua prudentia sit haec boni consultura. Scripsi enim

---

1) *Thomas Blaurerus*, qui tum *Vitebergae* doctrinae studiis vacabat, frater *Ambrosii Blaureri*, reformatoris *Constantiensis*. Antehac *Friburgi Brisgoviae* sub Zasio iura didicerat eiusque amicitiam summam sibi conciliatam tenebat, usque dum ea per odium sacrum in Zasio expiravit. Consul *Constantiae* reformationem patriae cum sapientia simul ac virtute aluit; 1548 Constantia cessit subiugata extremamque aetatem in Helvetia transegit. 2) *Conradus Peutingerus*, iurisprudentia et historiae studiis clarus *Augustae Vindelicorum*, natus 1465, mortuus 1547, unus Patriciorum illorum auctoritate praecipuorum in civitatibus imperialibus, qui reformationem in iis pervicerunt, ut *Birkheimerus* Norinbergae, *Blaurerus* Constantiae, *Vadianus* Sanctogalli, *Nicolaus Sturmius* Parthenopoli, *Holzhusenus* Francofurti ad Moenum aliique. 3) Archetelis.

animo Tui studiosissimo ad multam noctem. Bene vale. Natali Virginis Matris (8. Sept.) Anno 1522.

XL.

IOANNES KOTTHER REVERENDO DOCTISSIMO ULRICHO ZUINGLIO, PRAEDICATORI TIGURI, DILECTO DOMINO MEO ET MODERATORI.

Non erimus in senectute sapientes,
Nisi iuvenes bene sapere coeperimus.

Reverendo, doctissimo M. Ulrico Zuinglio, Praedicatori Tigurí ego Ioannes Kottherus, organoedus Friburgi Uithonum, multam imperitiae salutem, offerens meum ministerium promtum. Domine dignitate excellens! admirationem possit Vobis movere, quid me impulerit, ut ignotus literis Vos adoriar. In causa est, quod passim audio Vestram laudem praedicare, ut verbum divinum proferatis et inspergitis in hominum mentes, quod sperare licet multiplicem fructum redditurum esse. Secundo, quoniam christiana caritate et religione commoti nos misere sitientes perducitis ad aquam vivam, ut voce Evangelii utar, qua ex aqua qui biberit, non sitiet in aeternum, sed quam Deus praebet aqua fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam: talis igitur aquae sitiens saepenumero exoptavi, ut vestra quam funditis doctrina expleat. Dum Vos quoque puteum aperitis, qui dudum collapsus metus est ne hic ibi exaruerit, propterea singulari gratia Vos prosequor cunctosque eos, qui verbo divino inserviunt restituendo ac propugnando, quemadmodum plurimum reverendus pater *Lutherus* et *Erasmus Roterodamus*, cum omnibus eorum adseclis, quos simul cogitatos volo. Si doctrinam *Lutheri* lectito, quam e vase mellito Paulo haurit, non iam sapiunt mihi aquae *Tiburtinae*, idcirco quod prae caligine fundus perspici nequit. Nunc apparet nobis lux divinae gratiae, ut cognoscamus et exploremus, per longa secula nos humanis legibus esse deceptos, id quod totum Romana factio nobis importavit.

Si viverent secundum Evangelium, haud oporteret recta facere prava. Aiunt *Lutherum* docere novam fidem. Omnino, quum eos corripit nostra praedantes, ut corpore, honore bonisque nos spoliaverint, flammis devovetur Lutherus. Suum iudicium ad condemnationem applicant; sed rationem aliter placare debent, quam adhuc instituisse videntur. Eorum mores ubique terrarum sunt manifesti, ut vitam gerant flagitiosam. Quod si Lutherus contra tetenderit, magna cum invidia odioque cumulant. Consideret quisque, unde hoc fiat! propter purum putum nefas. Quam ob causam veritas emicat, atque nunc demum apparet, ubi eos calceus premat. Tonitrua eorum et fulgura irrita iam sunt, quum sese propugnare parant. Hinc opus est, ut probe sibi caveant atque Scripturae auctoritates in aciem educant, sicut Lutherus ultro semper offert; vereor autem, ut non sint huiusmodi. Hinc enim theologiae parum hauserunt, pro! Quare studium ipsorum *stultum* habet in supino. Melius callent concipere verbis indulgentiam, quo nos

emungant argento, quam institutionem salutarem praebere. Ergo si volumus vivere Deo, eius praecepta teneamus oportet, quae nobis universis dedit.

Ceterum Domine reverende! vos istarum literarum mearum aliquod fastidium capturos esse, facile arbitrabar, quippe quum impares sint Vestrae gravitati, qui maioribus negotiis occupati estis, orbi Christiano plus emolumenti parientibus, quam leves meae literae. Veruntamen per benivolentiam, quam habeo erga omnes doctrinae divinae studiosos, eximiam ab his temperare nolebam. Idcirco mentem hoc argumento compendiosissime protuli, ut ne stomachemini et abhorreatis homunculum, qui minimus accedere sodalis averet duobus illis rusticis Helvetiis. Mihi quoque semper statutum propositumque erit, sanctum verbum divinum, quoad vita mea prorogabitur, colere atque tueri. Ut ne Vobis nimium molestiae facessam, mitto honesto M. *Ioanni Füsslino*, qui quoque divinae doctrinae studiosus est, carmen adiectum de natione Germanica et Luthero, quod in modum homoeoteleutorum condidi, non dignum illud quidem commemoratu, sed quod maturiori commendetur perspicientiae, quoniam mea solertia non tantum pollet, ut rite absolvere et expolire possim. Propterea vos, Domine plurimum reverende! oro rogoque, ut meas literas inscitas in melius accipiatis, quippe quibus sperem vestram gratiam notitiamque inire: nam si Vobis ullis operis famulari possem, lubentissime nihil industriae reliquum facturus essem. Sic denique Deus, Christianis populis bono, Vos diutissime salvos incolumesque conservet, ut Vestro favori me commendatum habeatis desidero.

Datum Friburgi Uitonum, die Mercurii post Matthaei, (post 21.) Sept.) anno 1522.

Dum spiro, spero. *Ioannes Kotther*, organoedus Friburgi Uitonum.

40.

Hans Kotther dem würdigen und wolgelehrten Ulrich Zuinglin, Predikanten zu Zürich, meinem lieben Herrn und Gebieter.

Non erimus in senectute sapientes,
Nisi iuvenes bene sapere coeperimus.

Dem würdigen, wohlgelehrten Mr. Ulrich Zwinglin Predikanten zu Zürich entbiete ich Hans Kotther, Organist zu Freiburg in Oechtland, meinen fründlichen Gruss mit Erbieten meines willigen Diensts, zuvor bereit. — Besonders würdiger Herr, Euch möcht Wunder nehmen, was mich bewegen thät, dieweil ich Euch unbekannt mit Schriften anlaufe. Giebt mir die Ursache, dieweil ich von menglichem Euer Lob höre preisen, wie Ihr das göttliche Wort erhebet und auswerfet in der Menschen Herzen; dass zu hoffen, es werde vielfaltige Früchte bringen. Zu dem andern, so Ihr aus christlicher Liebe und Pflicht uns arme Durstige führet zu dem lebendigen Wasser; wie denn das Evangelium ausdruckt, welcher von demselben Wasser trinkt, den durstet nimmer ewiglich, sonder das Wasser, das Gott

giebt, das wird in ihm ein Brunn eines springenden Wassers in das ewige Leben. Nach solchem Wasser habe ich einen Durst; hab mich auch zu mehrerem Mal Euer Lehre halben, so Ihr ausgiesset, zu ersättigt werden begehrt. Dieweil auch Ihr den Brunnen öffnet, der lange Zeit ist verfallen gsyn und zu besorgen, an viel Enden versiegen, so trage ich desshalben zu Euch eine sondere Gunst, und zu allen denen, die das göttliche Wort helfen aufrichten und beschirmen; als der hochwürdige Vater Luther und Erasmus Rot., damit all Anhänger gemeldt. So ich die Lehre Lutheri überlies, so er aus dem honigsüssen Fass Paulo zieht, will mir das trübe Tiburwasser nimmer schmecken; das macht, dass man vor Dunkle nicht an den Boden mag sehen. Ietzt scheint uns das Licht der göttlichen Gnade, damit wir spüren und prüfen mögen, wie wir lange Zeit durch Menschengesatz sind verführt worden; das hat allein der Römische Haufen geschafft.

„Sollten sie leben nach dem Evangelium, So müssen sie schlecht nicht machen krumm. - Sie sprechen: der Luther lehre uns einen neuen Glauben; Ia, so er sie berührt, wie sie uns berauben, - Und uns haben gebracht um Leib, Ehr und Gut, So muss der Luther brennen zu Glut. - Ihr Urtheil sie allein zu verdammen richten. Die Vernunft müssen sie anders schlichten, - Weder sie bisher haben erzeigt: Ihr Wesen ist in aller Welt eräugt. - Wie sie führen ein unverschamts Leben; So der Luther dawider thut streben, - Tragen sie wider ihn gross Neid und Hass. Ein ietlicher betracht, woher kommt das? Bschieht allein propter nephas. - Da nun die Wahrheit herfürer guckt, So sieht man erst wo sie der Schuh druckt. - Ihr Donner und Blitzen will nicht helfen mehr. Wollen sie sich stellen zur Gegenwehr, - So ziemt sich, dass sie sich wohl bewahren, Und mit der Schrift herfürer fahren; - Dess sich Luther allzeit willig erbeut. Ich förcht, sie sind nicht der Leut. - Sie hand wenig in der Theologie erlernet do, Darum hat ihr Studium stultum in Supino. - Sie wissen besser in die Schrift zu setzen Ein Ablass, damit sie uns unser Geld abaezen, - Denn uns ein' tröstlich Lehre geben. Wollen wir nun in Gott leben, - So müssen wir halten seine Gebot, Die er uns allen geboten hat."

Also würdiger Herr, Ihr möchtet meines Schreibens halben nehmen einen Verdruss, kann wol ermessen, da solches nicht eueres Fugs ist, weil Ihr mit höhern Geschäften beladen seit, die der Christenheit mehr Frucht bringen denn mein unnützes Schreiben. Solches hab ich aus sonderer guten Meinung, so ich zu allen Liebhaberen der göttlichen Lehr trage, nicht unterlassen wollen; darum habe ich die Meinung berührten Inhalts aufs Kürzeste begriffen, damit Ihr nicht einen Unwillen und Abscheuung hattet ab einem Armen, der da gern wollte der mindeste Mitgesell syn der 2 Schweizerbauern. Ich bin auch allzeit der Meinung, das hl. göttliche Wort, als weit mein Leben reicht, zu äufnen und beschirmen. Auf dass ich Euch nicht zu viel bemühe, so schicke ich hieneben dem Ehrsamen Mr. Hans Füssli, der auch ein Liebhaber ist göttlicher Lehre, ein Gedicht, die teutsche Nation und

Luther belangend, welches ich habe in Reimensweise in die Schrift verfasst; ist nicht Ehren werth solches anzuzeigen, sonder das weiter erfahrenen befehlen, wann meine Vernunft mag nicht so viel begreifen, dass ich solches aus rechtem Grund könne zu einem Austrag bringen. Darum sonders würdiger Herr, ich bitte, Ihr wollet dies mein einfaltiges Schreiben in Gutem empfangen und in keinem Argen verstehen, sonder der Hoffnung, ich würde dadurch euere Gunst und Kundschaft erlangen: denn wo ich Euch unterthänige Dienste erzeigen könnte, thäts ich ungesparten Fleisses gerne. Damit wolle Euch Gott der Christenheit zu Gut in langwieriger Gesundheit enthalten; auch mich hieneben in euere Gunst befehle. Geben zu Freiburg im Oechtland am Mitw. nach Matthäi. Anno. 1522.

Dum spiro spero, Hs. Kotther, Organist zu Freiburg im Oechtland.

XLI.

MYCONIUS ZUINGLIO EREMI S.

Obruo Te literis, sed ita fieri plane convenit. Mirum est enim, quam nihil sentiam mali, imo quam mihi videar apud Te esse, dum ad Te scribo. Permittas igitur mihi sic me solari, dum nihil incommodi feram Tibi: potes enim legere vel abiicere literulas. *Friburgenses* nihil adhuc rescripserunt, quam ob rem nescio quid rei sit. Hoc audio, vix alios esse per *Helvetiam*, qui peius velint sanae doctrinae. Id quod etiam Legatus, de quo nuperrime scripseram, mihi narravit, sed *Lutherianam* hic vocabat, non sanam et evangelicam. Si quid boni ab illis mihi oblatum fuerit, hoc unum dolebit, quod abs Te atque aliis bonis amicis inter lupos positus tam longe separabor. Hic unicus Christus poterit me consolari, qui facit, ut ubicunque sis, aequo animo sis. Animum *Administratoris*, quem renunciasti, tam amplector, atque exosculor, ut nihil possim magis. At ut is maneat, imo augeatur, tuum est efficere. Ni verum sit, quod fama circumfert, Administratorem cum omnibus suis propediem expulsum iri a Laicis. De Te quae hic dicantur, nec libet nec possum scribere; unum tantum ex Praeposito nostro,[1] qui dixit: Nunquam se vidisse hominem pro suggestu concionantem, cuius gestus aptiores fuerint, atque adeo nunquam audisse, qui omnia dicat audacius. Vides ut etiam *Lucerna* habet homines iudicio valentes. Ceterum filium adloquere atque meos amicos; illum adhortare ad literas, hos ad Christianismum, ne Te frustra adicerint. Vale in Christo! Salutabis amicos omnes, *Leonem*, *Lucam*, *Petrum*, *Bovillum*. *Administratori* et *Francisco* me commenda. Vale in Christo iterum et sis meus. *Lucernae* 23. die Sept. 1522.

Myconius tuus.

Clivanus Te plurimum salutat. *Erasmus Constantiae* est. Venict *Tigurum*. Velim, ut scribas mihi, quo tempore illuc sit adventurus etc.

---

1) *Petrus Has*, quem verosimile est Eremi Zuinglium audisse, sese amicum quoque Xylotecti gerebat. (Wirz.)

XLII.

MELCH. MACRINUS [1] ZUINGLIO.

Si eos, quos nunquam vidimus, ob studium Philosophiae eximium aut artem aliquam, humano ingenio repertam, diligimus: quanto iustius illos amabimus, qui nobis Christianam, atque adeo Evangelicam Philosophiam, nostrae salutis *A καὶ Ω.* ex altissimis tenebris restituunt, inter quos Tu *φίλτατε Huldrice*, tanquam heros ac *χορυφαῖος*, spiritu Christiano homine plane digno, progrederis, Teque propugnatorem Evangelicae veritatis intrepide, tanquam murum ac vallum firmissimum offers, pro quo dignam mercedem ab ipso Deo relaturus, cuius laboriosissimam vineam excolis, et oves ad immortalia pascua reducis errantes; quae utinam reduces olim ad suum caput, quod Christus est, redeant. Quod quidem Tuum in nos omnesque Christi fideles beneficium, quia amplius dissimulare nequivimus, pro nostra virili gratias agere et, etsi aliud non possumus, gratum erga Te animum declarare voluimus; quem, satis scio quae Tua est humanitas, non spernes. Nam etsi eruditionis ac ingenii in nobis nihil sit, studium tamen et genius noster impense doctis delectatur, et Tuis ac Tuorum similium scriptis mire demulcetur, quae hactenus diligenter, et ut spero, haudquaquam sine fructu, legimus, lecturique subinde, sicubi offerantur. Haec sunt, inquam, quae tranquillum, quietum ac sibi constantem animum efficiunt, neque, humanorum studiorum more, in diversa rapiunt. Etsi in rectioribus studiis philosophandum nemo neget; at, ut Socrates inquit, non ultra aetatem, atque ut Proverbium habet, *μηδὲν ἄγαν*. Haec autem ideo ingero, quod paulo ante impensius utriusque linguae studiis (quam feliciter, nescio) addictus eram, nunc vero Tuo ac Tui similium, hoc est, eruditorum beneficio ad Evangelica me converti, in quibus, ut prius in Latinis Graecisque, *Rudolphi Collini*, iuvenis nunquam satis laudati, auxilio usus, apud quem, paulo ante cum essem, Tua in Homeri Iliadas Scholia [2] reperi. Is cum doctrinam ac eruditionem tuam omnifariam, mihi non nihil ex scriptis Tuis cognitam, insigniter ac merito laudaret, tum et humanitatem praedicaret singularem, ita me Tui studio accendit, ut non censuerim, mihi diutius cunctandum, quin illico ad Te scriberem. Esto igitur hoc amoris in te mei *μνημόσυνον*, quod si non doctum, certe tamen amicum, et sinceri animi fidum testimonium. Porro sunt et hic Christiani aliquot, qui te salvum optant, inter quos est hic tabellarius, concivis tuus, homo me hercle candidus ac studiosus. Caeterum praeter huncce et alios quatuor *οὐδὲν ὑγιές* apud nos est.

---

1) *Melchior Dürr*, Macrinus latine, *Solodurensis*, Paviae et Parisiis 1515—1518 artibus excultus, amicus Zinglii et Glareani, docebat in coenobio S. *Urbani* aliquamdiu linguam Graecam; inde Solodurum delatus diaconum plebani *Grotz* egit, postea correctorem apud *Cratandrum Basileae*; inde mox rursus *Solodurum* demigravit. Rixam cum *Decano Steinero* excitaverat disputatio cum isto amicisque istius Soloduri. Nimius fervor in concionibus quum turbas moveret, Macrinus 1523 urbe cessit. *Glutz*, Helv. Mus. 1816. p. 766 sqq. 2) quae nondum erata sunt.

Vale et me redama. Datae *Salodori* pridie Cal. Oct. (30. Sept.) 1522. Salutem dic nomine nostro sodalitati literariae apud vos.

Melch. Macrinus tuus.

XLIII.

VOLCATIUS IONERUS [1] FORTI DOCTOQUE PRAECONI EVANGELII, M. HULDRICO ZUINGLIO, FRATRI PRAECIPUO PACEM ET GRATIAM A DOMINO.

Frater dilectissime *Huldrice* in Evangelio Christi! quamquam de meis Dominis optima quaeque expectem in re suscepta, constanter profliganda: attamen sollicitudine Christiana, ut verbum Dei vindicetur in libertatem et augeatur, per incursus frequentes et nimios Vestri causa commotus, Vos cohortor, ut nunc ut cum maxime memores sitis eorum, quae Vobiscum in aedibus *Ovis* effigie insignibus, in atrio, seria locutus sum. Id quod hoc tempore renovare mihi maxime opus esse videtur, sicubi excidisset, quod quidem non putabam. Quare his brevibus citisque verbis indico, ut hodiedum multis a partibus probi christianique homines me instigent e tribus pagis Tuginorum, Suitensium et Uraniorum, quibus sine dubio Dei verbum et iustitia iucunda est, ut pro virili in Dominos meos et Patronos incumbam: quoniam Deus ipsos in eam cognitionem adduxerit, talem virtutem ac fortitudinem, qua instructi simus, insumamus honori Dei auxilioque oppressorum, nostroque in coepto impigri perseveremus, neque iam in cardine rerum deficiamus, sed constanter progrediamur, quum Deus certo certius a nobis sit, ac firmi stemus: nam et ipsi lubenter contemtum, laborem, inopiam, crucem denique suam subituros esse, dum modo semel sua conscientia liberetur. Haec igitur talia tam crebro perferuntur ad me non ore modo, sed scripto, quae Vobis latere nolim, fiduciae plenus, fore ut Domini mei clementes hoc opus maiore cum constantia peragant. Quam ob causam, ut quae antehac dixi confirmarem, haec Vobis nuntiavi, simulque pro mea, quae Vobis manifesto patet, voluntate propensa oratos volo, ut Vos quemadmodum adhuc, porro praestetis constantes, non segnes et secordes; unde nobis multum detrimenti, confusio et corruptio verbi nosterque adeo redundaturus interitus esset. Vale optime! VI. die Oct.

Volcatius Ioner, frater vester propensus.

43.

Volcatius Ioner an den standhaften und gelehrten Prädikanten des Evangeliums Mr. H. Zwinglin seinem sundern Bruder.

Frid und Gnad von dem Herrn. Lieber und fürnehmer Bruder Huldreich in dem Evangelio Christi! wiewol ich meinen Herren

---

[1]) *Wolfgangus Ioner* cognomine *Rupli*, filius Sculteti *Gynopediani*, ab anno 1519 Abbas *Capellae*, coenobium suum in seminarium praedicatorum convertit, *Bullingeri* ductu, eruditionis reformationisque studio ardens, attamen consideratus ac lenis; cum Zuinglio occubuit in praelio *Capellae*.

alles Guts und der Standhafte ihres Vornehmens halb vertraue, bin ich aber doch aus christlichem Eifer, damit Gottes Wort gefreit und geäufnet werde, in vielem und unmässigem Anlaufen euerthalben bewegt, Euch daran mahnen, damit Ihr auch ietzmal eindenk seyit dessen, das ich ernstlich mit Euch zum Schaf im Saal geredt habe; darum in diesem gegenwärtigen Fall ich grösslich verursacht, euch solches wieder erneuern, ob es entfallen wäre; das ich doch nicht vermeine. Desshalben zeug ich mit dieser kurzen und schnellen Schrift, wie ich noch zu heutigem Tag werde vielfaltig angefochten von frommen christlichen Leuten aus den 3 Ländern, Zug, Schwetz und Uri, denen ohne Zweifel Gottes Wort und Gerechtigkeit wohl schmeckt und die der Erlösung erwarten, dass ich nach meinem Vermögen M. Hrn. und Gutwilligen obliege, sintemal Gott sie zu solcher Erkanntniss gebracht hat, solche Stärke und Tapferkeit verordnet, wir nun solche brauchen zu der Ehre Gottes und Schirm der Unterdruckten, und wir ohne Verleidung unsers Vornehmens beharren, ietzt im End nicht abfallen, sondern steif vorfahren: denn Gott sey gewisslich unserthalben; steif stehen: denn sie wollen auch gern Verachtung, Arbeit, Mangel und kurz ihr Kreuz tragen, wo nun einmal ihre Gewissen erlöst würden. Und solches das kommt an mich so viel, nicht allein mündlich, sondern schriftlich, dass ichs Euch nicht hab wollen verhalten, steifes Vertruwens gegen M. gn. Hrn., sie werden die Sache mit grösserer Standhaftigkeit zu Ende bringen. Darum zu Bestätigung meiner vorgeredten Worte hab ich Euch solches zugeschrieben und dabei (als euch mein gutwillig Herz unverborgen ist) gebeten haben wollen vorfahren als bisher, standhaft und nicht fahrlässig zu thun; das uns zu grossem Nachtheil, Verwirrung und Verderbung des Worts, auch Unser, reichen möchte. Vale optime. Geben auf den 6. Tag Oct.

Volcatius Ionerus, euer geneigter Bruder.

XLIV.

GLAREANUS ZUINGLIO

VERE CHRISTIANO THEOLOGO.

Vehementer doleo, mi suavissime *Uldrice*, quod neque in *Eremo* Te convenire,[1] nec nunc quidem cum maxime volo possum. Et illud sane huius apparatus praepedivit, hoc vero fortunae nescio quis casus. Ischiaticam medici vocant, quae me etiam ita deiecit, ut aliquot diebus decubuerim. Valeo nunc utcunque. Sinistro testi timeo, ita ut neque equo me committere nec pedibus iter facere ausus fuerim. Tempore sane importuno, tum ob *Valentini*,[2] tum ob meas nuptias. Tu me apud *Scudos* excusatum habe et apud D. *Geroldseckium*. Gaudebam fore, ut omnium colloquio fruerer, sed fortunae genius res alio vertit.

---

1) In dedicationem angelicam *Eremi*, ubi *Zuinglius* concionatus est.
2) Ea occasione, quam *Valentini Tschudi* primitiae missales atque inauguratio eiusdem, parochatum Claronae ingredientis, dederat.

Vale et me ama. *Basileae* ex aedibus nostris. Non. Oct. (7. Oct.) Ao. C. 1522.

Erasmus, ut opinor, hac hieme *Basileae* permansurus est.

XLV.

MELCH. MACRINUS D. HULDRICO ZUINGLIO VIRO DOCTRINA ET PIETATE NULLI SECUNDO, APUD TIGURUM CHRISTI PRAECONI, AMICO SUMMO S. D.

Nugas, quas paulo ante ad te dedimus, praeterquam meruerant, humaniter excepisse te, docto hoc mihique gratissimo *Archetelis* tui munere contestatus es, pro quo utinam, ut meritus es, olim tibi gratiam referre liceret. Hunc simul atque legissem, dici non potest, quam gavisus sim, cum propter commune reipublicae Christianae in te positum praesidium, tum et ob privatam in te mihi spem repositam, quam tua mihi humanitas, imo plane christianus, quem scripta tua redolent, animus persuasit. Cuius cum egregia monumenta prius dederis, nunc plenum testimonium illius in defendenda veritate protulisti, in quo certandi genere tantum vales, ut nesciam, an quisquam magis. Sed ut tuae laudis minime dignus buccinator esse possum, sic auxilii ac opis tuae, sicubi opus habuero, improbus flagitator ero; quod nunc primum hac mea imprudentia auspicabor, in qua ad Te tanquam *πρὸς λοξίαν ὸς θεσπιῳδεῖ τρίποδος ἐκ χρυσηλάτου* confugio. Ob hanc enim nonnulli me, ut qui Ecclesiae templum incenderim, insignem reddere conantur. *Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.* Porro ut ad rem ipsam veniam, forte fortuna nuper evenit, ut in quodam convivio sacrificis non paucis in *Frawenbrunn*, Monasterio inquam Vestalium, sesquimiliario a *Salodoro* sito, coniungerer. Hi cum invalescente Baccho disputationes, imo verius iurgia, contra novas doctrinas, ut vocant, proferrent, quam quidem cantilenam mihi occini illico subodorabar, quapropter mihi silentium indixi. Inter hos autem Decanus quidam magnus ex *Burdolf*, Tibi, ut arbitror, non ignotus, simul accumbebat, qui me propter utriusque linguae studium, quod admodum tenue in me est, prius non semel absentem, ac nunc etiam praesentem, acerbe mordebat. [1] Ad quod cum hactenus semper connivissem, atque tunc etiam idem facere decrevissem, transmittens ac contemnens quaevis eius convitia. Quod cum hominem non parum male haberet, quippe passim occasionem captans calumniandi ac certandi mecum, quam tamen illi per silentium et alterius mensae consessum amputaveram, quo facilius colloquium illius effugerem. Sed id minime ex spe evenit, verum, ut dici solet, incidi in Scyllam, cupiens vitare Charybdin. Nam cum rursus recta studia sincerumque ac renascentem christianismum impudentissimis verbis laceraret, atque inter cetera magna confidentia assereret, verba Testamenti,

---

1) *Benedictus Steiner*, Decanus Capituli *Burgdorfiani*, qui paulo ante *Georgium Brunner*, pastorem in *Klein-Hoenstetten*, quum admodum libere concionatus esset, indulgenter tractaverat; hic secus egit omnino.

quae Christus in ultima coena discipulis dixisset, nemini praeterquam sacerdotibus illis nostrorum temporum, oleatis scilicet et rasis nomine apostolorum, esse dicta. Quod cum illi in os aperte retundere nollem, in proximi assessoris aurem sententiam meam insusurravi, sedulo asseverans, omnibus pure Christianis, Spiritu Sancto unctis, haec a Christo dicta; quippe cum sacrificium hic nullum esset, quod pro vivis et mortuis, ut illi opinantur, offerretur, sed mera promissio ac testamentum, quod ex aequo ad omnes Christianos pertineret. Quod simulatque Decanus ille noster audisset, magno hiatu unum impossibile, quod ad meam sententiam sequeretur, infert: videlicet omnes Christianos hac ratione sacerdotes per me dici; quod haereticum esset, et si crederem, me simul esse Haereticum. Ob quod cum nonnihil moverer, eadem illius verba repetens in os aperte regerebam, inquiens, ipsum, si secus sentiret, quam omnes christianos esse sacerdotes, dicere haeretica et esse Haereticum, et pro hac sententia mea confirmanda testimonium illud 1. Petr. II. adducebam: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus qui in lucrum accessit etc. Quod ille Sardonico risu et convitiis lepidissimis exagitans, inquit: Estote ergo Graeculi ac Donatistae regale sacerdotium! quasi diceret: Ut estis reges mendici, sic et sacerdotes absque praebendis et beneficiis. Atque inter haec, omnibus uno ore in me convitia iacientibus, ut qui propositionem tenerem haereticam et ordini sacerdotali contumeliosam, tum quod Decanum illum, tantum virum, singulari numero, quod illi tuizare vocant, compellarem, allegantes mihi illud Decalogi praeceptum: Honora parentes! Sicque tumultu valido, tantum non in verbera prorumpente, contra me exorto consurreximus, nec deinde quicquam actum. Sed enim quoniam totum hoc lepidissimum capitulum *Burdolfense* mea haeretica sententia laeserim, ac caput etiam ipsum petiverim, consilium inierunt, quomodo tam inexpiabilem laesae maiestatis calumniam in me ulciscerentur, itaque congregato nuper conciliabulo suo decreverunt, imo compulerunt Decanum suum, ut mihi ob haec tam horribilia et haeretica dicta diem dicat, ac de iisdem disputando convincat; quod se facturum recepit. Quare ne inermis prorsus congrediar, in hunc usum, sc. sacrificii et N. T. sacerdotii, nonnihil testimoniorum ex Scriptura, ut potui, corrasi. Sed cum in hac palaestra non usquè adeo sim exercitatus, Te per christianam compello charitatem, ut hac in re Te mihi Apollinem consiliis, Vulcanum fabricandis armis praestes, aut si ita res tulerit, vocatus per Senatum nostrum ipse ad nos venire non graveris. Nam Senatus noster pollicitus est, se mihi non defuturum, et si ipse rem inter nos componere nequeat, Te tuique similes, qui negotium sane intelligant, iudices constituturum. Haec sunt, quae Te latere nolui, sperans, imo certo sciens, te mihi hac in re non defore. Itaque cum mihi de sacrificio et sacerdotio N. T. certandum cum illo sit, enixe rogo, ut mihi per literas illico sententiam tuam in hac parte manifestes, quo paratior sim ad respondendum. Quae *M. Lutherus* super his adducit, diligenter ad fontes contuli, unde et prolaturus sum, ne autoris nomen invidiam mihi apud iudices pariat. Quo autem pacto rem aliquanto modestius quam ille tractem, insuper qua serie proponam, per

te erudiri velim. Item cum ille solum ex fontibus utriusque Testamenti sua stabiliat, a te etiam discere cupio, quid Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Hilarius, Cyprianus ceterique eiusdem farinae scriptores de sacrificio illo, quod hodie creditur, altaris, et sacerdotio hoc regali, cuius Petrus et Iohannes in apocalypsi meminerunt, sentiant. Tu ergo cum haec in promtu habeas: ordine, rogo, omnia nobis per literas recenseas. Nam ita te affectum esse veritati, quae est Christi, certe scio, ut pro hac nihil non laboris ac taedii devorare et exhaurire cupias, pro quo olim immarcessibilem gloriae coronam a Deo O. M. accipies, qui utinam te nobis evangelicae veritatis tam strenuum propugnatorem quam diutissime incolumem servet. Amen. Hominem indies expecto; quare celerius responde. Vale. Salutem dic nomine meo *Valentino Scudo* et *Conrado Grebelio*, quem audio singularem evangelii patronum factum, quod mehercle non mediocriter gaudeo, etiam iuvenes, qui ingenio et eruditione praestant, ad ea se studia convertere, ubi sibi ac toti mundo vere prodesse possunt. Item ceteros omnes pure christianos saluta, quorum apud vos longe plures, tuo beneficio, quam uspiam alibi in Helvetia esse scio. Rursus vale. Ex *Salodoro* 15. d. Oct. 1522. *αὐτοσχεδίως*. *Vannius* et *Grotzius* [1] salutem tibi suo nomine ascribi iusserunt. Hoc ipso, rogo, nuncio rescribe, quem ob id potissimum, ut referret a te responsum, conduxi.

Melch. Macrinus tuus.

Velim mihi super hoc Matth. XVI: 18. 19. „Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam," copiose etiam scriberes, quia et super hoc nobis contentio est. Non quod existimem hoc te in *Archetele* non abunde explicasse, sed quod ea quae sequuntur, quandoquidem ad institutum non pertinebant, non tractaveris, scilicet: „Et dabo Tibi claves regni coelorum." Et: „quicquid alligaveris in terra erit alligatum in coelis, et quicquid solveris in terra erit solutum in coelis."

LXVI.

IOH. XYLOTECTUS HULDRICO ZUINGLIO S. D.

Accepimus, *Myconius* et ego sermonem tuum de S. Maria, pro quo iterum magnas Tibi habeo gratias, non tam pro sermone, quam pro tuo in me studio meique memoria. De libris meis olim apud Te relictis certior tandem reddi velim, anne is, quem *N. Mantz* consuendum acceperat, nempe *Basilius Magnus* cum *Fulgentio* ligatus sit, praeterea ut duos alios, nempe Cornucopiae et Cyrillum, eidem consuendos tradas, non habita ratione vel defectus Cyrilli, vel laesionis ultimi quaternionis Cornucopiae. Pro defectu Cyrilli nempe quatern. IX. i. scilicet minoris alphabeti papyrum vacuum pro numero foliorum de-

---

1) *Philippus Grotz*, *Tugiensis*, spurius ortu, primum diaconus *Altdorfii Uraniae*; tum plebanus *Soloduri*. Invectus praeter modum in fidem pristinam 1523 abdicavit et parochatum in *Kriegstetten* obtinuit; postea rursus concionator *Soloduri* tandem cum omnibus Reformatis exagitatus est. *Glutz* in Mus. Helv. 1816. p. 766 sqq.

fectus insuat, ut si defectum recepero, excisis foliis suppositiis, vera adglutinem; sin autem defectum nunquam recepero, utar Cyrillo, quatenus eum habeo, ne propter folia IV vel VI. totus inter pulveres situ pereat; datisque libris *N. Mantz* calcaria quoque addas, ut citius perficiat.

Ceterum ait *Myconius* noster, te mirari, quidnam in Comitiis sacrificorum quorundam apud *Beronam* actum sit. Plane nihil eorum quae suspicabamur: nam ea gratia ego quoque interfui, ut audirem quidnam vellet illa Magistrorum nostrorum congregatio. Prima autem sessione cautum est, ne quis vel suspicetur, eos conspirationis causa, vel quocunque factionis nomine, sed solius amicitiae gratia, convenisse; sicque praeter spem concilium istud satis laete tranquillum sortitum est finem. Vale, et de libris quid agatur, responde. Bonos viros omnes, qui tecum sunt, ex me salvos dicas. Uxor quoque Te plurima salute impertit. Ex aedibus nostris *Lucernae* VI. Kal. Nov. (26. Oct.) 1522.

Credit Te uxor gaudia sua gavisurum. Iussit enim, ut certiorem te reddam de tranquillitate sua. Impetus in nos factos iam iterum vicimus: in aedibus propriis mansit; a quibusdam consanguineis adhortata est ne matrimonium neget; a glore audivit, sanctius esse, si matrimonium contraxerimus (incerta est enim de coniugio nostro), quam prohibito semper uti concubitu. At haec nihil contra impetum nostratium, nescio an dicam *Lucernensium*. Quid enim iis cum Lucerna rei est, qui densissimis tenebris adeo offusi sunt, ut se ipsos videre nequeant. At unus est praestigiator noster,[1] qui solus nobis imponit, quo superstite nulla spes est resipiscentiae. — *Glareanus* uxorem duxit.[2] An Te vocarit ad nuptias, fac sciam; anne hac hieme *Basileam* petiturus sis: haberes enim me comitem. Iterum vale. Plus satis Te nugis meis obtudi.

XLVII.

BALTHASAR STAPFERUS,[3] SUITENSIUM CIVITATI AB ACTIS, DOMINO REVERENDO, INPRIMIS DOCTO RERUMQUE DIVINARUM INTELLIGENTI, HULDRICO ZUINGLIO, PLEBANO AD MAGNUM MONASTERIUM TIGURI, FAMILIARI MEO DILECTOQUE DOMINO ET FRATRI CHRISTIANO.

Salutem, incolumitatem omnemque prosperitatem amice precor in Christo Iesu, domino nostro. Eximium, quo me colitis, favorem cognovi ex eo, quod fidelem exhortationem ad patriam nostram tuendam[4] a Vobis peculiariter accepi; quo munere admodum laetatus permagnas gratias agere debeo. Nam, volente Deo, eius vis ac sententia, in quam hoc scriptum commentati estis, per me effectum habebit. Quumque non

---

1) *Bodler*, Decanus. 2) Non *Ammanni* soror *Tigurina*, quam prius ambierat, sed filia civis *Basileensis*. 3) Hic non permutari debet cum *Bernhardo Stapfer*, scriba publico *Suitiae*, qui contra partes Evangelicas historiam belli Capellani infestam composuit. 4) Libellus, quem inscripserat admonitionem ad Confoederatos Suitiae, ut sibi caveant ab exteris dominis.

ita pridem per aliquot clericos, bonos meos patronos, excitatus, ut ab instituto meo pristino desisterem, aliquantum in Evangelicam doctrinam et rationem, ut viam iustam vitae beatae, inclinarem, ideoque aliquot libellos et paraeneses discendi delectandique causa domum portarem, et nominatim orationem illam sacram a Vobis habitam feminisque sacris, quae Tiguri ad *Oedenbach* domicilium habent, missam e Monasterio Magno Tiguri die 6. Septembris huius anni, *de claritate et virtute verbi divini:* quo plus frugis reperiebam lustrans, hoc maiori desiderio spiritualium amoenitatum animus incendebatur, ut esurirem ac sitirem coelestes delicias. Quod quidem per me non est effectum, sed persuasum habeo, Omnipotentem huc me traxisse. Nam his rebus antehac ignotis audientiam crebro recusaveram. Hanc ob causam, dilecte frater in Christo, meam ad Vos scribendi audaciam mirari nolite, quum sic natura comparatum sit, ut eo confugiamus, unde nobis plurima spes auxilii affulgeat. Nihil ergo mirum, si Vos inprimis accedo. Nam quum aliquot annis[1] abhinc propius quam nunc a Vobis habitarem, non pudebat Vestram opem invocare, ut meae meorumque liberorum inediae corporali subveniretis; qua in necessitate a Vobis minime destitutus largas mihi quotidie suppetias tulistis; quod beneficium Vobis remunerari velit Deus! Quumque temporali necessitati sic provisum fuerit, quam Deus pro sua gratia levavit (laus Ei sit in aeternum!): quanto certior a Vobis expectem solamen desiderio mei animi, quippe qui norim, Vestrum studium maximum gaudiumque dulcissimum in eo constare, ut Christianos perducatis in viam verae caritatis christianae! Nobis igitur omnibus in Christo Iesu, nostro capite, membrorum instar copulatis, sperare licet meam famem Vobis non minus quam mihi curae cordique fore. Quo circa Vos admoneo rogoque in Christo Iesu, nostro Domino dilecto, quoniam me singularis clementia Dei valetudine incitavit, mei officii autem negotiis detineor, quo minus id locorum, ubi talia prostant, venire possim, ut eiusmodi scripta iucunda, quae Vos mihi commodissima esse arbitramini, per amorem Dei et Christianae vitae mihi transmittatis. Tantam enim cupiditatem concepi, ut nihil mihi optatius contingat, quam res eius modi christianas addiscere et lectitare in meam ac meae familiae utilitatem omniumque eorum, quibus arrident. Quam in rem me caritati Vestrae fraternae commendatum habere velitis, ut mihi talia scripta Tiguro mittatis cum indicio pretii, quod pro fide Christiana haud gravate sum soluturus. Erga Vos ita sum affectus, ut doleam iniquum aliquid de Vobis audiens, neque contumeliam silere possim, quae vobis a tergo veritatis causa important. Primum: vestros sermones non ex honesto consilio manare, sed ex invidia et odio; vos nebulones esse. Secundo: Vos convitiis opprobriisque adspergere sacros tantum principes; quidni etiam Caesarem seculareseque dominos? propterea nimirum ut vos tutentur. Tertio: quum vos Evangelium tam sincerum reddere velitis, vos decere vitam ex eius praecepto. Tum omnes permotum iri, vestra ut sectarentur exempla. Sin autem vos flagitiis praeter alios indulgeatis, hoc argumentum esse vestrae fal-

[1]) 1517 et 1518.

sitatis. Ista quidem vestram personam solam non incessunt, hoc vero proprie ad vos pertinet: duas vel tres praebendas a Vobis acquisitas esse concionando, quo plures possetis meretrices habere, quoque commodius lasciviam saltando, cantandoque voce, tibiis, fidibus exercere.[1] Cuiusmodi dicta quum crebro iactantur a multisque hominibus, ut vi veritatis, cui resistere nequeant, redarguantur: expeto, ut me copiosius instruere velitis, sicubi haec talia audirem; quod quidem non ex alia mente quam e candore Christiano profectum a me suspicari velitis, ut Vos iuxta et ego veritatem melius defendere possimus. His iam literis me Vobis commendo in christianam fidem fraternam pro mea fiducia. Vestri, simul rogans, ut a me salutem dicatis fratri Conrado Kussnacensi eique meam voluntatem testificemini officiosam. Percupio denique amicum in hoc responsum, quam primum fieri potest. *Suitiae* 19. Oct. 1522.

Addictissimus Vobis *Balthasar Stapfer*, scriba publicus Suitiae.

47.

Balthasar Stapfer, Landschreiber zu Schweiz,

dem ehrwürdigen, wohlgelehrten geistlichen Herren H. Zwinglin, Lütpriester zu Zürich beym Gr. Münster, meinem vertrauten lieben Herrn und christlichen Bruder.

Mein freundl. Gruss, Heil und alles Guts wünsch ich euch in Christo Iesu unserm Herrn. Nachdem und ich einen besondern Gunst zu mir tragende von üch gespürt hab, als ich eine getreue Warnung unser Vaterland zu beschirmen von üch insonders empfing, darob ich nicht wenig erfreut, üch dessen billig hohen Dank sage (denn es ob Gott will so viel es mir möglich seine Kraft und die Meinung, darum es erdicht, in mir wirklich handlen soll), und so dann ich jetzt kurz vergangener Zeit, durch etliche Priester, meine guten Gönner, gereitzt von meinem alten Vornehmen abzustehen und mich etlicher Massen auf die Ev. Lehre und Meinung, als den rechten Weg der Seligkeit gebogen; deshalb mir etliche kleine Büchlein und Ermahnungen, mich darin zu erkennen und erlustigen, in mein Haus getragen und namlich eins durch Euch gepredigt und den ehrwürdigen geistlichen Frauen zu Zürich in Oedenbach zugeschrieben vom grossen Münster am 6. Tag Sept. in diesem Iahr, weisend von der Klarheit und Kraft des Worts Gottes. Und so mehr ich mich darin ersuche und befind der Früchte, je mehr meine Seele entzündet wird nach den geistlichen Lustbarkeiten, hungrig zu seyn und Durst zu haben nach den himmlischen Ergetzlichkeiten; vermag ich durch mich selbst nicht, sondern bin in Hoffnung, der Allmächtige habe mich dazu gezogen. Denn ich diese Ding hievor unverstanden, widerfacht gänzlich davon nichts hören wollen. Hierum lieber Bruder in Christo lasset

---

[1]) Haec falsa crimina primum *Salatus*, deinde Hartmannus scriptis mandarunt.

Euch meine Frevelheit, an Euch zu schreiben, nicht Wunder nehmen: dieweil uns doch angeboren Zuflucht zu haben an die End, daher man sich allermeist Trost versieht, ist kein Wunder, dass ich hierin zu Euch besonders kehre. Dann als ich üch vor etwas Iahren näher dann jetz gesessen, schamt ich mich nicht üch anzurufen um Hilf mir und minen Kinden, zytlichen Hunger abzuwenden, darin ich von üch ganz unverlassen, sunder milde Handreichung täglich empfing, um welichs Gut üch Gott Widergelt thue etc. So das um den zytlichen Hunger beschehen, den mir Gott durch sin Gnad abgestellt, dem Lob sye in Ewigkeit; wie viel mehr soll ich mich Trosts zu üch versehen um den Hunger miner Seel, dieweil endlich weiss üwer grösste Neigung und begierlich Freud seyn, die Christen zu führen auf den Weg wahrer Christenlicher Liebe? Dieweil und wir denn alle Glieder sind in Christo Iesu unserm Haupt, verhoff ich min Hunger sölle üch, wie mir, angelegen seyn. Desshalb ich üch vermane und bitte in Christo Iesu, unserm lieben Herren, dieweil und mich Gott durch sein sunder Gnad mit Krankheit angeregt, auch ich meines Amts halber so vil beladen, das ich an die Ort und End, da man sömlich Ding vil hat, nicht kommen kann, dass Ihr mir sämtliche liebliche Bücher, die Ihr erkennet mir aller bequemst syn zu der Liebe Gottes und christenlichem Leben zuschicket. Denn ich darzu ein sömliche Neigung gewinn, dass mir nichts mehr angenehmer ist, dann in sölchen christenl. Dingen mich zu erlernen und lesen zu Frucht mir und minem Husvölkli, und allen denen so darzu Neigung haben. Hierin wellend mich in brüderlicher Treue befohlen haben, mir sömliche Bücher auszuziehen, und mir zu schicken, mit schriftlichem Bericht, was sie kosten; will ich darum bey christl. Treue fründlich Bezahlung thun etc. Dieweil und ich denn ein besundere fründl. Meinung zu üch hab, desshalb ich ungern hör ützid ungerades von üch sagen: mag ich nicht verhalten die Schmach, so üch hinderrucks um der Wahrheit willen zugelegt. Zum ersten, so flüssen üwer Predigten nicht aus gutem Grund, sunder aus Neid und Hass; seyend Leckersbuben. Zum andern, so scheltend und schmützend Ihr nur die geistlich Oberkeit. Warum nicht auch den Kaiser und die weltlichen Fürsten? darum dass sie euch beschirmen. Zum dritten, dieweil und Ihr das Evangelium so lauter wollet machen, gebürte es, dass Ihr ihm auch nachlebtind: möcht davon ein jeder bewegt werden üch nachzufolgen. So aber Ihr überflüssiger in Büberey denn andere lebt, sey ein Zeichen üwer Unwahrheit. Das regt nun üwer Person allein nicht an; aber das: Ihr habind zwey oder drey Pfrunden erpredigt, dass Ihr desto mehr Huren gehaben mögend, und desto bas üwer Pracht mit tanzen, pfeifen, singen, Saitenspiel gehaben mögt etc. Und so man sömlich Reden zu vil malen brucht und durch vil Personen gesagt, so der Wahrheit widerfechten, um das sies nicht mögen erlyden: begerte ich, Ihr wölltind mich ziemlicher Antwurt hierauf zu geben berichten, wo ich sömlichs oder derglychen mehr hören würde. Solches von mir in keiner andern Meinung, denn in christlicher Treu zu vermerken, damit Ihr und ich die Wahrheit desto besser beschirmen mögen. Hiemit befehle ch mich Euch in christliche brüderliche Treue nach meinem Vertrauen.

Hiemit wollet mir auch sagen mein Dienst und Gruss Bruder Cunrad zu Küssnacht. Begehr hierin freundliche Antwort, so erst das seyn mag. Datum Schweiz am 19. Tag Oct. 1522.

Eu. unterthäniger Balth. Stapfer, Landschreiber zu Schweiz.

XLVIII.

H. ZUINGLIUS BALTHASARO STAPFERO SCRIBAE PUBLICO SUITIAE S.

Dilecte, Honorate, Candide! Egregie gaudebam Vestra mente, literis ad me scriptis patefacta. Manete in ea! haec enim sola ratio vitae beatae. Quod vero mihi tantas gratias egistis ob exigua beneficia vobis olim per me praestita, id quidem necesse non erat; probum tamen arguit animum. Nihil enim foedius ingrata mente. Ea vero, quae malitiosis ab hominibus mihi insimulantur, nec tantillum pensi haberem, si non in detrimentum verbi divini efferrentur et iactarentur. Hoc enim gratia Dei nunc iam didici, ut mendacia, quae ad me solum pertinent, nullam mihi molestiam facessant, eaque omni tempore praetermittere solitus sum. Sin autem adeo exaggerantur ad veritatem suppriмendam, uno labore famam meam protego ac fidem sive respectum verbi divini. Sed quoniam Vos tam sollicite postulatis defensionem criminum, quae mihi propterea tantummodo inferuntur, ut ne verbum Dei fallendi nescium locum fidemque inveniat: accipite primum, me nullo odio unquam stimulatum certasse, nedum salutare verbum Dei concionatum esse. Omnis mea vita mihi testimonium praebet. Apud meos enim Dominos Claronae tanta cum pace et facilitate versatus sum, ut nunquam aliquid litis intercesserit, atque adeo tanta cum gratia discessi, ut mihi praebendam duos annos prorogaverint spe ducti, me reversurum esse; quod etiam factum foret,[1] ni venissem Tigurum; mea quc in abdicatione viginti florenos mihi donarunt propter sumtus de praebenda toleratos, quae me multo supra centum florenos constiterat.[2] Eremi autem etiamnunc in gratia sum et caritate apud Dominum et plebem. Quae omnia arguunt, me hominem non esse nocentem: homines enim nocentes rixantur, litigant, pugnant, cuiusmodi ego nihil feci. Ubi odium, ibi non est cura aliorum. Quum ego iam imperio labanti et communi utilitati confoederationis opem ferre studeo, in eo sane non cernitur malevolentia, sed caritas, quam, Deum testor, a pueris omni aetate tam magnam et alacrem alebam erga confoederationem honestam, ut adolescens eo diligentius me exercuerim omni arte ac disciplina hunc in finem [3]

---

[1]) Fidem adstruit Glaronensis catholicus illius aevi aliquot historicis notitiis in *I. H. Tschudi* Chronicis Glar. p. 737, 741. [2]) Coactus erat *Goeldlino* Curtisano pro exspectatione satisfacere, quam *Romae* impetraverat successionis in praebendam Claronae pastoralem, ne multas ecclesiasticas subiret. [3]) Hic finit Zuinglii authographum, sic abruptum, ut pagina altera vacet; unde colligitur, Zuinglium vel hanc apologiam inchoatam reliquisse, vel exscribendi operam non ultra profligasse.

48.

Zwingli an Balthasar Stapfer.

Lieber, Eersamer, getrüwer! mich hat träffenlich erfröwt üwer Meinung mir zugeschriben. Blybend daruf, denn das ist der einig wäg zur Saligheit. Das Ir mir aber so flyssigen Dank gsagt von kleiner Guttat üch etwann durch mich bewisen, hat nit Not gehebt; doch zeigt es ein gut Gemüt an, denn nüt ist schnöder, denn ein undankbar Herz. Die Artikel aber, so mir von böswilligen Menschen zugemessen werdend, bekümmerend mich warlich nit um ein Har, wo sie nit zu Schaden des Gottsworts geredt und herfürzogen wurdint. Denn das hab ich von den Gnaden Gottes jetz erlernet in dieser Welt, dass mir Lügen, so nun mich berürend, nüt zu schaffen gebend. Ich lass auch dieselben zu aller Zyt unverantwurt. So man sie aber so stark prächtet die Warheit hinderstellig zu machen, beschirm ich mit einer Arbeit minen Lümbden und den Glauben oder ufsähen des Gottsworts. Und sidmal Ir so ernstlich begerend Verantwortung der Artiklen, die uf mich geredt nun dorumb werdend, dass das war unbetrogen wort nit Statt noch glouben finde; so vernemend zum ersten: dass ich us keinem Hass all min Tag nie gefochten hab, ich will geschwygen das heilsam Wort Gottes gepredget. Das bezügt all min Leben. Ich hab so fridlich und fründlich by minen Herren von Glaris gewont, dass ich mit Inen keinen Span nie gehabt, und bin darzu mit söllichem Gunst von Inen kommen, dass sie mir die Pfrund zwey Jar darnach hand gelassen, der Hoffnung, ich käme wieder zu Inen, als ouch ich geton hette, wo ich nit gen Zürich kommen; und in minem Abzug hand sie mir nachgelassen zwenzig Guldinen um des erlitnen Kostens willen der Pfrund halb. Denn sie hat mich kostet vil ob hundert Guldinen. In den Einsidlen bin ich noch hüt by Tag lieb und wert dem Herren und dem Volk, das alles anzeigt mich nit ein hässigen Mensch syn. Denn hässig Lüt hadrend, rechtend, schlabend, dero ich keins nie geton. Wo Hass ist, da hat man nit Sorg für ein andren. So ich nun dem presthaften Regiment und gemeinem Nutz und Eer der Eidgnoschaft gern ze Hilf käm, ist nit ein Zeichen des Hasses, sunder der Liebe, die ich by Gott all min Tag von Kindswesen uf gehebt hab so gross und stark gegen einer frommen Eidgnoschaft, dass ich in minen jungen Tagen mich dess flyslicher gebrucht hab in allerley Künsten und Klugheiten, dass ich meint

XLIX.

IO. IACOBUS [1] ABBAS MONASTERII FABARIENSIS REVERENDO, PRAEDOCTO DOMINO ET DOCTORI EVANGELICO, M. HULDRICO ZUINGLIO TURICI, NOSTRO DOMINO DILECTO IN PROPRIAS MANUS.

Nostram amicitiam et caritatem eum fraterna probitate et fide sem-

1) *Russingerus.* Vid. Vol. I. 114.

per praefamur. Reverende, doctrina solida eximie, et integerrime doctor Evangelii! Vestra caritas cognitum habet, quod nuperrime coram ipse Vobiscum contuli de negotio quodam, quod iam Vobis per hunc nostrum nuntium certum transmittimus inspiciendum et corrigendum, ita ut pro Vestro arbitrio addatis, dematis, a *Martino Segero* [1] hac in re quidem una nobiscum ac prorsus arcane compositum, nostrae sententiae argumentum, ut facile intelligetis. Hoc igitur ut clanculum conficiatur et constituatur quam expeditissime Vestra opera et industria, per amicitiam nostram rogamus sub titulo tecto *Muti*, vel sub aliquo alio, qui vobis placere videbitur; quandoquidem scriptum ex parte, praesertim in Dominicanos, omnino vehemens est. Attamen, ut nos quidem arbitramur, titulus *Muti* congruerit. Offendi quaeso nolite eo, quod Vos exercemus ministerio nobis exhibendo! hoc enim scitote per bonam fieri voluntatem, quippe qui praecipue Vestrae caritati et gratiae nihil non concredamus. Si commodum igitur fuerit, vel nobis ipsis vel procuratori *Martino Segero* per proprium nuntium rem transmittite, et quicquid sumtuum in officina typographica aut aliter impenditur, nobis per literas indicate, qui iuste reddituri et exsoluturi sumus. Modo ne quis resciscat nisi arcano nos soli aut procurator Segerus. Si quid Vobis hac in re desit, cum nostro nuntio id communicare licebit; isque Vos rei certiores faciet. Habete nos Vestrae caritati fraternae bene commendatos pariter ac nos propensissima sumus in Vos voluntate. Nolite nostro iudicio pusillo praepediri, sed ad Vestrum arbitrium componite scriptum, quoniam nos talia omnino non callemus. Aliquot articulos scheda parva comprehendendos seorsim disponetis atque in seriem iustam redigetis. Fabariis ad diem Simonis et Iudae. 1522.

Clypei sunt in primo folio pingendi trium Foederum; capricornus autem supra duos alios esse debet. [2]

49.

Ioh. Iacob, Abt zu Pfefers,

dem ehrwürdigen hochgelehrten Herrn und Evangelischen Doktor, Mr. Ulrich Zuingli zu Zürich, unserm lieben Herrn zu eigner Person.

Unser freundlich Lieb in rechter brüderlicher Treu Euch allzeit bevor. Ehrwürdiger, hoch- und wolgelehrter und ganz gerechter Evangelischer Lehrer! Euer Lieb ist bericht, was ich nächstkurzverschiner Zeit selbst persönlich mit Euch geredt von wegen eines Handels, den wir Euch hiemit bey diesem unserm eigenen Boten zuschicken, denselben zu besehen, ihn corrigiren, dazu und davon zu thun, nach Euerm guten Bedunken, das so von Martin Seger (uns in solchem gemein und ganz heimlich) gemacht der Anfang zu seyn, auf welches unsere Meinung sich gründen wird, wie Ihr wol verstehen werdet. Damit und solches in Heimlichkeit gemacht und aufgerichtet möchte werden auf das Förderlichste, so es iemer gsyn möcht, wollet

---

[1]) Vid. Ep. XII. 1521. [2]) Hoc scriptum latet.

Euch der Sache annehmen und beladen, ist unsere freundliche Bitte, unter dem verborgenen Titel des Stummen, oder unter einem andern, wie es Euch bedunkt gut zu seyn; wann es zum Theil (besonders von den Predigermönchen) eben scharf ist. Doch unserm Bedunken nach, wär uns vermeint unter dem Stummen. Und wollet Euch nicht befremden ob solchem Euch in unsern Diensten zu üben; und sollet Ihr wissen, beschieht es guter Meinung: denn wir Euch sonder guts vertrauen in rechter Liebe und Gunst. Und sofern es gerecht wäre uns allein, oder dem Vogt Martin Seger zuschicken durch einen eigenen Boten. Was Kosten in der Druckerei und in Allem darauf geht, wollet uns das in Schrift berichten, und wir redlich ausrichten und bezahlen; und damit es niemand zukomme, denn allein in Heimlichkeit uns oder dem Vogt Martin. Was Euch hierin Mangel wäre, möget Ihr diesem unserm Boten wol vertrauen; wird er Euch das berichten. Habet uns in brüderlicher Liebe wol befohlen, solcher Mass wir auch gegen Euch sonderlich geneigt sind. Wollet nicht ansehen unsern kleinen Verstand, und solches nach Euerm Willen machen; wann wir solches ganz nicht bericht. Etliche Artikel werden in einem kleinen Zedel begriffen, dieselben an einen sondern Zedel zu machen und ordnen nach einander wie sich gebührt. Datum Pfefers auf Sim. und Iud. 1522.

Die Schilte auf das erste Blatt zu machen, sind der 3 Bünde; soll der Steinbock zuoberst ob den andern zweyen stehen.

L.

MICHAEL HUMMELBERG ZUINGLIO.

Salve in Christo Iesu. Literas tuas et libellum de certitudine verbi Dei mihi nuper *Constantiae* reddidit consobrinus meus, *Menlishoferus*. Quod ad literas attinet, certo persuasum habe, non me Tua probare, ut Tibi vel tantillum blandiar: hoc enim a me est alienissimum; sed ut verum perhibeam testimonium veritati. *Erasmus* lenis est et mansuetus, quia caro timet capiti, ne periculo illud subiiciat, nec minus timet amiculis, quod praecipuum amoris indicium est, et singulari illius benevolentiae tribuendum. Sed quantum bonus ille hactenus blanda hac lenitate *χριστιανισμὸν* promoverit, tute vides, vel nihil, vel parum admodum. Quod vero ad libellum ipsum, ut primum recepi, *Augustam* misi, a me necdum pellectum. Commodum, ut reddebatur, ad manum tabellio erat, *Augustam* profecturus. Per hunc *Adelmannis* Canonicis *Augustanis* transmisi, qui Tuae cum eruditionis, tum pietatis sunt studiosissimi, strenui reflorescentis Evangelii propugnatores. Apologeticon, quem mihi dono miseras, ego *Wittenbergam Melanchthoni* et *Blaurero* misi, per adolescentem illum tantopere a Te et me commendatum. De adolescente haec inter alia ad me rescripsit *Blaurerus*: Adolescentem vero cur non ultro amplecteremur, qui tam liberali et praestanti indole praeditus, longe etiam exuperat commendationes vestras. Igitur de eo, quod nobis optimum videbatur, *Lopadio Munsterlingensi*, homini plane literato et commodo, adiunximus, apud quem, non dubito, sic proficiet, ut neque expectationem vestram, neque se

ipse decipiat. De Apologetico vero haec: Habemus Tibi gratiam pro dono, quod mittebas; laudamus *Zuinglium*, huius muneris authorem, ut qui suas partes nusquam intermittat. Deus corroboret hominem, augeatque vos omnes, quibus Christi Evangelium cordi est, ut tueamini etc. Libellum *Lutheri* in *Anglum* Latine scriptum si non habes, faciam te eius lectionis participem. Interim haec lege *Melanchthonis* de duplici magistratu themata, et videbis, quam confuderint cum temporario spirituale ministerium Papistae. *Nerobergae Cardinalis Salzburgensis* et Apostolicus legatus adversum *Lutherum* magna moliri feruntur. Legatus coram *Ferdinando* Principe dixit, Pontificem quatuor conari, Caesaris et Pompeii concordiam, Lutheranae causae extinctionem, Ecclesiae reformationem et adversus Turcas bellum. Sed parturient montes, et nascetur ridiculus mus. *Rhodienses* de *Turcis* triumpharunt 30,000 occisis. E *Rhodiensibus* 3000 tantum desiderati sunt. Si Deus pro nobis, quis contra nos. Sed novis copiis *Rhodum* cinxit *Turca* et tertiam oppugnationem meditatur. Pontifex Romanus *Erasmum* haereticum declarasse fertur. *Tigurinos* Tuos multa in republica sua reformasse aiunt. Si potes, formulas eius reformationis mihi depingas; si non omnes, aliquas saltem. *Fabritium* et reliquos Tuos imo nostros Christianos, qui in Evangelii Dei verba iurarunt, ex me salutato et vale ac salve. E Museo nostro *Ravensburgi* IV. Non. Nov. (2. Nov.) 1522.

Tuus *Mich. Hummelbergius.*

LI.

THEOBALDUS A GEROLDSECK

HOC TEMPORE ADMINISTRATOR EREMI, M. HULDR. ZUINGLIO, CONCIONATORI VERBI DIVINI TIGURI, MEO FRATRI DILECTO, FIDELI IN TIGURO.

Carissime *Zuingli!* M. *Ioannes Oechsli*, plebanus meus, admodum enixe me rogavit, ut fratrem suum *Hans* his, quas perferet, ad Vos prosequar commendatiis, cui velitis aliquod ministerium civile conciliare vel scribae minoris aut eiusmodi quid, ut ne otiosus iaceat. Rudimenta scribendi haud infelicia posuit *Villae* apud oppidi scribam; et si opus esset, addisceret eius ergo. Huic ego petitioni annuebam, tum quia aedis nostrae sacrae verna est,[1] tum ob alias quas M. *Ioannes* mihi navavit operas probas. Hinc oro amice, eum Vobis commendatum esse velitis, prout confidimus. Quod in Vos demereri iuxta cum aliis benefactis me promtum paratumque habebitis. Nostrae res Dei gratia salvae; quam diu, latet. Si vacat, exopto, ut meditemini, qua formula utar sacerdotes parochos constituendi.[2] Quod ego ipse facturus sum

---

1) *Eremus* fundum ecclesiae in *arce* apud Lithopolin possedit cui cives ante pontem attributi erant. *Fuessli*, Geogr. I. p. 160. 2) introducendi in munus.

quo praeditus sum iure divino. Etiam meis Dominis Suitensibus res aequa videtur ac tutelam spondent. *Zinkius* quidem et M. *Ioannes* diversae sententiae componere formulam recusant. Sed in proposito maneo, vel si funis rumperet. Formulam ita instituite, ut eum nihil inauguratio iuvet, qui salutarem doctrinam Iesu non fideliter doceat. Deus Vobis propitius adsit! Salvos dic meo nomine salutandos! Eremi. Dominica post Sanctorum (post 1. Nov.) 1522.

51.

Theobald von Geroldseck,

Pfleger jetzmal zu Einsiedeln, an Mr. Ul. Zuingli, Verkünder des Worts Gottes in Zürich, meinem lieben getreuen Bruder in Iesu Christo.

Mein lieber Zuingli! Es hat mich M. Iohannes Oechsli, mein Leutpriester, gar treulich gebeten, seinen Bruder Hans, Zeiger dieses Briefs, gegen Euch zu fördern, ob Ihr ihm möchtet helfen an einen Dienst bey der Stadt, oder Unterschreiber, oder dergleichen, damit er nicht erlige. Und er hat einen guten Anfang zu schreiben gelernt zu Wyl bey dem Stadtschreiber; und ob es noth ist, wurde er lehren um ihn. Solche Bitte habe ich angesehen, und dass er mein Gotteshausmann ist und andere treue Dienste, so Mr. Hans mir erzeigt; und bitt Euch freundlich: lasst Euch ihn befohlen seyn, als ich Euch vertraue. Solches zu verdienen mit samt andern Gutthaten bin ich gutwillig. Unsre Sache steht durch Gottes Gnade wohl. Aber wie lang es währen wird, weiss ich nicht. Wenn Ihr Zeit habt, so wünsche ich, dass Ihr Euch besinntet, wie ich eine Form sollte machen, Pfarrpriester zu bestätigen. Ich will es selbst thun, weil ich das göttliche Recht dazu habe. Auch dunkt es meine Herren von Schwyz billig und sie wollen mich dabey schützen. Zingg und Mr. Hans sind nicht meiner Meinung und wollen mir kein Formular machen. Aber ich bleibe dabey und sötte das Seil brechen. Machet das Formular so, dass dem keine Bestätigung helfe, der die heilsame tröstliche Lehre Iesu nicht treulich lehre. Damit sind Gott befohlen. Salvos dic meo nomine salutandos. Datum zu Einsiedeln Sonntag post Sanctorum 1522.

LII.

SEBASTIANUS MEYER ZUINGLIO.

Plurimum salve, doctissime *Zuingli* ac frater in Christo amatissime! Libellos per Te editos *de delectu ciborum* videlicet, item *de coniugio clericorum*, duos quos dono ad me dedisti, gratissimo accepi animo. Cum voluptate atque profectu legi, praeterea crebras, *Berchtoldo* communi amico nostro referente ex Te salutationes, pro quibus ingentes Tuae humanitati interim ago gratias; quandoquidem referre nequeam, quod ignotum atque imbecillem tanta prosequeris benevolentia, certe non ob aliud, quam quod audieris evangelicae me doctrinae

favere, atque ob incredibiles animi tui virtutes. Ego vero qui sum ut felicibus his tuis respondeam dotibus? Animus tamen erga Te meus ingens est. Verum quibus hunc declarem indiciis, nullae suppetunt vires. Contrivi misellus ego dies iuventutis meae infelicibus *Scoti* argutiis, ubi didici inepte ac barbare loqui, more Academicorum de omnibus dubitare; nihilo tamen minus dubia fortissime clamando defendere, ut cum loqui ignorem, tacere tamen nesciam. Me vera scribere, ea ipsa epistola probabit abunde, cum, ut vides, latine vix paucula quaedam congrue, quod aiunt, ne dicam ornate, potuerim effari. Terret itaque me multiplex tua eruditio, linguarum peritia, sermo tersus et nitidus, ac disciplinarum plurimarum notitia. Nec ut Te palpem, haec scribo, sed ut tacite tuae et iustae quidem de mea tarditate querimoniae utcunque satisfaciam. Habes igitur doctissime vir, quid causae intercesserit, quod hactenus ad Te nihil scripserim, cum tamen ipse pro Tua humanitate prior calcar mihi ad scribendum admoveris. Nunc vero satius existimavi, vel barbare tecum loqui, quam omnino non loqui. Tu igitur boni consulas oro, cum hoc quod diu silui, tum illud quod ineptissime loquor. Iam quid velim, accipe. Venit superioribus diebus in manus nostras adhortatio Praesulis *Constantiensis*, haud multo absimilis illi, imo quantum iudico, eiusdem prorsus farinae, cui abunde et eleganter in *Archetele* tuo respondisti.[1] Huic nos in vernacula lingua, quam et ipsa in ea lingua ad nos devenit, scholia sive commentariolum adiecimus,[2] quo simplices a venenis exitialibus, quibus ea plena est, per nos admoniti caverent. Visum est nobis, ut anonymus aut ficto nomine excudatur libellus, ne tyranni illi, quod solent, dolo aut vi machinentur in nos quiddam incommodi. Nosti enim et occultos quandoque discipulos haud parum evangelico profuisse negotio; praeterea quod cum astutis astutule sit agendum. Movit quammaxime ad scribendum, quod sacrifici apud nos circumquaque in concionibus clamitant, qui vanis terriculamentis simplices terrent, sacrorum administrationem etiam in mortis articulo sese negaturos his, qui libellos teneant, legant, contra papisticos mores loquantur publice vel occulte, audacter interminantur, item sepultura ecclesiastica et communibus Ecclesiae precibus carituros; atque alia huiusmodi, quae mire simplices exhorrent. Redegimus etiam venena illa in compendium adhibitis numeris. Praeterea exemplar sive ideam veri Episcopi adiecimus. Ea omnia fidei tuae pariter et industriae duximus committenda. Tu itaque lege et exactam adhibe censuram; et si excudendum putaveris, errata quaeque castiga, quae duriuscula videntur, leni et mitiga, inepta rescinde, dubiis robur adhibe, cuncta pro animi tui moderare arbitrio. Quod si absque tui inprimis, deinde chalcographi, demum et nostri pariter honoris iactura libellum excudi posse non credas, fac tutus ad nos re-

---

[1]) Epistola pastoralis Episcopi missa 2. Maii. [2]) Hoc titulo: Gravis admonitio ad pacem et christianam concordiam Illustris Principis ac Domini Clementis *Hugonis a Landenberg*, Episcopi *Constantiensis*, cum pulchra expositione et interpretatione, admodum utilis lectu, nuper edita. In fine: typis exscripta in Hohenstein per *Hans Fürwitzig*. Epitomen praebet *Wirz* I. p. 262 sqq.

deat, et quid de illo censeas, libere nobis pronunties. Sunt alia quae *Berchtoldus* noster mittit. — Ceterum varii de Te, optime *Zuingli!* apud nos deferuntur rumores, quibus seram aut prorsus nullam habemus fidem. Inter cetera, interdictam Tibi publicam concionem, quod equidem vel ultro crederemus, si id per Episcopum *Constantiensem* factum diceretur; modo ferunt, Senatum *Tigurinum* in causa esse. A Te nos omnium istorum certiores futuros speramus. Tu constantissime, ut facis, Christum praedica, nihil prorsus tyrannicas pertimescens minas, proinde sciens ab eo ipso tuorum certaminum Tibi et victoriam et paratam esse coronam. Nos quoque ita persuasi sumus, Christo ferente opem, ut nullis unquam tyrannorum simus cessuri minis, quo veritatem evangelicam deseramus. Verum, si quis etiam puer ab evangelica veritate nos aberrare docuerit, huic tantum abest vel verbo quidem reluctemur, ut ingentes quoque gratias simus habituri. Iacobita quidam apud nos, ut solent hi fratres, strenue per *Thomam* suum papisticas tuetur partes; parum tamen promovet ille, nisi erga male sanas alioqui vetulas ac sacrificulos quosdam, quos timor sollicitat, rem suam domesticam Evangelii successu futuram tenuiorem. Ex canonicis atque item sacerdotibus aliqui, ex senatoribus vero atque civibus complures Evangelio adhaerent, quemadmodum ex *Fabiano* disces. Ego quod Paulinas Epistolas in scholis, articulos item fidei pro suggestu pure et ad sensum genuinum profiteor, a sacrificis quibusdam *Bernensibus* et ruralibus, quos vocant, ferme omnibus, haereticorum omnium haereticissimus, parens et magister proclamor, brevi igne exurendus. Verum ea Christi gratia libens audio, si modo Christi Evangelium quoquo pacto promoveat. Tu vale in Christo quam diutissime et quo coepisti perge quam felicissime. Ex *Berna* d. beati Martini (11. Nov.) 1522.

Berchtoldum nostrum ventosum adpellant haereticum, in malitia tamen et errore me paulo minorem putant. — Tuus in Christo humilis frater

Seb. Meier, Ecclesiastes *Bernensis*, utinam idoneus.

Consultum nobis videtur, ut charactere aliquo incognito ista excudantur, ne facile suspicetur, *Tiguri* esse excusa. Praeterea oramus obuixe, ne cui mortalium pandas, eam rem per nos esse tentatam. Satis enim exploratum habes, quantum subsit periculi.

Inscriptio: Doctissimo viro, *Huldrico Zuinglio, Tigurinae* Ecclesiae Ecclesiastae constantissimo, suo inprimis colendo.

LIII.

MYCONIUS ZUINGLIO.

Iam diu nihil de Te audio, carissime *Zuingli!* Quam ob rem admodum miror, uti res tuae habeant. Non possum enim non mirari, imo non sollicitum esse de Te, quo chariorem in terris non habeo. Legi concionem proxime missam [1] et invenio *Huldricum* sui simillimum. Movit me ob turbas quas significat. Movisset amplius, nisi Christus

[1]) De virgine Maria.

obstaret, quem praedixisse scimus, multa passuros eos, qui verbum suum in mundum disseminare pergant. De conventu *Beronensi* commendaras. Nil egerunt, nisi quod genius imperavit, propter quem et illic convenerunt ventris animalia. Senium plerosque vexat, animula pulsare incipit mox exitura. Voluerunt ergo, priusquam hoc accideret, semel adhuc convivere, atque sese satis contueri, ne obliti alter alterius faciem in alio seculo se inter se non noscerent. *Xylotectus* forte pluribus hac de re tecum aget. Vis scire etiam de me? Audi. Nescio iam dum, quonam eundum. *Eremus* nihil promittit, nisi *Suici* consentiant. Sed tam *Lucernates* mei ubique me commendant, ut nullibi sit mihi locus vel ad tempus degendi, nisi hunc inveniam apud vos. Statui igitur, si *Administrator* per hos dies nil boni renunciabit, adire *Tigurum*, atque ostiatim quaerere, quod edam, quando video, Deum ita velle. Missurus eram isthuc filium, ut graece disceret a *Ceporino* per hiemem; verum nondum a quopiam perdiscere potui, an is ad vos advenerit. De alio quodam audio, qui legat Hebraice; at quis sit ignoro, atque illi ignorant, qui de ipso mihi dixerunt. Sed satis obtudi. Tu fac valeas in Christo. Is largiatur, ut queas pugnare contra mundi huius nequitiam in gloriam suam quam felicissime. Me redames, volo. Felicitatem Tibi tota domus mea exoptat. *Lucernae* 15. Nov. 1522.

Osw. Myconius tuus.

LIV.

IOD. KILCHMEIER D. HULDRICO ZUINGLIO FORTISSIMO TIGURINORUM PASTORI, OPTIMO SUO S.

Quanquam haud nesciam, praestantissime pater, multis gravibusque negotiis Te involutum, adeo ut plane sit importunum, Te et meis iamiam sollicitari, quo aliena cura alienus, adeoque quietior, sincerius ac diligentiori cum studio Christi servatoris nostri, quod Tibi in manibus est, negotium perficere ac promovere possis: tamen, quandoquidem et meum Christi esse negotium confido, minus Te gravari existimavi, si consultandi gratia Te adorirer inter tot rerum agmina impigre certantem. Si quidem hinc ego facile sperarim et Christo rem Te gratam exhibiturum, si tuis consiliis et auxilio negotium, quod mihi in humeris est, feliciter finiatur. Rem sic accipe. Posteaquam secundo vocatus de *Lutheriana* h. e. Christi doctrina a me declamata rationem fecissem in publico, atque ita patria vocatione fecissem, ut placida omnia nunc, nihilque prorsus in posterum tumulti orituri mihi pollicerer: ecce vulnera iam sanata denuo refricat nomen meum, quod in supplicatione, Te auctore, ad Episcopum *Constantiensem* scripta, velut ex parte auctoris publicare concesseram. Grande namque flagitium esse contendunt id per me, qui non iam sui, sed Praepositi Senatusque iuris sit, admissum etc. Quod tamen et ipsa dierum dilatio absumpsit tandem. Quid namque tam animo infixum, quod non neglectu temporis obsolescat? Ita demum velut ab omni curarum onere solutum me quidam et ex unctis insimulant falsae et corruptae praedicationis, verba non minus

simpliciter quam vere a me prolata solo invidiae morbo vitiantes. Quae res adeo apud plerosque invaluit, tot contentiones passim generavit, dum ille accedit laniatorum convitiatorumque falso de me iudicio, hic contra nititur veritati adhaerens, ut iam nihil magis necessarium crediderim, quam quod Tu nuperrime de similibus sermonem purissimum de B. Virgine a Te factum edendo fecisti, idem et ego faciam, non tam meum quam Christi defendens nomen et gloriam. Quod nimirum, Te consultante et prius approbante concinnata, brevi fiet. Sentics autem tum visis nostris, quae dixerim, quidque corruperint ignavi sordidique. Postremo precor, si non alio me nunc promovere potes, digneris tamen me servum Tibi aut *Leoni Eremi* modo moranti eligere, sicque variis laboribus me de Babylone velut erepturum sublevare. Paratus enim sum, si hoc feceris, mox Canonicatum deserere, neque periculum Tibi sit, ab imperio in servitutem deturbatum servum fore inutilem pigrumque ad iussa. Nulla profecto servitus, sed imperium summum, rem Christi agere ex animo. Vale, et petitis accede. Me totum Tibi habeas velim in mortem usque. Nuntii festina abitio et multa intercepit scribenda et incultas ad Te abire fecit literas, quas tamen boni consule. Cruciat me *Myconii* nostri indigna sane deiectio quam vehementissime. *Lucernae* d. 16. Nov. 1522.

Iod. Kilchmeierus, tuus totus.

LV.

IOHANNES ZUICCIUS

DOCTO ET CANDIDO THEOLOGO, HULDRICO ZUINGLIO, APUD TUREGUM, AMICO SUO SELECTISSIMO.

Accepi ante paucos dies Apologeticum, ad me ex *Constantia*, Tuo nomine missum; nec solum pro hac, sed et pro incomparabili Tua, ceterorumque bonorum virorum mihi apud vos exhibita benevolentia multas gratias ago. Ego nunc sum apud meos, cum magna certe felicitate, si modo felicitas est, Episcopum habere parum propitium. Nam, cum primum *Basilea* venissem *Constantiam*, conabatur pro sua prudentia mihi persuadere, ne quid novi docerem populum; post hanc rem etiam egit cum meo parente. Tandem intelligere potui, nonnullos mihi apud illum movere insidias, nec distuli, quin illi scriberem nonnihil de suis delatoribus et parasitis. Quam grata fuerit mea scriptio, non scio; at vero nunc sum apud eum atrociter accusatus, oblato magno catalogo articulorum. Non tamen adhuc sum vocatus; sed expecto, quid mecum actura sit illa Synagoga Satanae. Conabitur fortassis pro merito tractare profugum iuris consultum, de quo iam spes erat, quod egregiam operam tuendae tyrannidis praestitisset. Sed Christus me revocavit, ne profanem iustitias Dei mei, neque illibenter tolerabo, quicquid mali hoc nomine mihi accessurum est. Quanquam hoc loco numero saepius oporteat ingemiscere, mi *Zuingli*, quod optimos illos meae aetatis annos in ediscendis iuridicis studiis tam pessime collocavi. Sed Deus bene vertet omnia. De Te scire velim (si modo audes aliquid

confidere amico) apertumne sit, te cum tuis habere uxores: audivi enim nuper quod publicas nuptias celebrasses cum filia praefecti civium. Proinde certa fama de te est orta, idque autore quodam sacrificulo, quod pro concione adseruerit, uxori praegnanti (si ita adfectet, quemadmodum saepe solent) non esse a marito negandum adulterium. Quod ipsum, cum certo sciam apud Te ne cogitatum quidem, soleo Te omnibus modis excusare, neque vero tam efficaciter hoc possum, quin a multorum gratia excideris. Et Barones quidam, proinde nonnulli viri nobiles, qui nomini tuo (postquam audissent Te in *Eremo* concionantem) optime voluerunt, nunc plane de Te sentiunt pessime, nec ullo pacto efficere possum, ut non credant huic sacrificulo, quem iurant, falsum esse non posse. Rogo igitur ad me scribas aliquid in tuam excusationem vel unum verbum, quo possim illis in faciem obtrudere nomen tuum scriptum, ut odiosos apud illos faciam huiusmodi nugatores, quibus semper solent aurem accommodare, quasi iuratum sit, quicquid multi autoritate quadam mentiuntur. Nunc vale et me ama. Ex *Rudlingen* V. Cal. Dec. (28. Nov.) 1522.

Domesticos tuos omnes, *Grebelium*, *Ioannem*, *Heinricum Göldli* et omnes bonos meo nomine salvere iubeas.

Tuus *Ioannes Zuiccius*.

LVI.

GLAREANUS ZUINGLIO.

Epistolam bene longam mittis, quam tamen voluissem, suavissime *Huldrice*, multo longiorem: adeo impense gaudebam Evangelii rem feliciter ubique ἀναζωπυρεῖσθαι. Ad eam, ut potui, breviter respondebo. Uxorem habeo ex animi mei sententia. Gratia sit Christo! Tibi *Xylotecto*que ob vestrum in me amorem habeo gratiam haud mediocrem. Pompa abstinui multis de causis, nec dum facti poenitet. Socerum et affines benignos invenio. De *Macrino* quod scimus, ex *Berchtoldi* literis scribimus, triumphavit Evangelium; canones Papae ridiculo habiti sunt *Saloduri* cum magna *Macrini* gloria.[1] *Huttenus* nobiscum est, *οὐ χαριεὶς*, *ὡς ὄιομαι*, *τοῦ πολυΐστορος ξένος*. Cum eo bis pransus sum; mansurus est aliquandiu hic. Sed tutela a magistratu promissa, qua nescio an indiguerit; eam tamen habere voluit. Morbo suo nondum liberatus, et in *Germania* cum vix alicubi tutus quiescere possit, hic respirandi tantillum spatium quaerit. Est etiam hic vere generosus vereque christianus a *Cronenberg*,[2] quo non vidi unquam placatius in miseria rerum omnium. Nam cum a *Palatino* innocenter, ut aiunt omnes, spoliatus atque exutus ditione tota, nihil tamen ille moeret, et qui consolari illum debebant, his ille consolator adest.

---

1) In disputatione, de qua epistolae 41 et 44 mentionem faciunt, brevi quidem effectu. 2) *Hartmuth* a *Kronberg*, gener *Francisci* a Sickingen, qui post eius mortem salutem Basileae petiit, celebratus animoso certamine, quod Hutteni socius pro Luthero et reformationis cupientibus contra viros obscuros sustinuit. Composuit ibi (8. Dec. 1522) scriptum, quo Confoederatos exhortabatur ad Evangelii praedicationem amplectendam.

Oecolampadius item vicinus meus apud *Cratandrum* habitat. De episcopo *Vislibachensi* quae scribis, tristi accepi animo.[1] Sed Christo confido bene. Vindex suae causae propediem aderit. Nec est in universum nomen Helveticum culpa reiicienda. Sed puto sacerdotes aliquos in culpa esse. Nam quid de *Bodelerio* illo[2] ac complicibus eius sperandum? Hi sunt, qui bonos etiam viros atque simplicem plebem illaqueant. Vellem tamen etiam Evangelistas cautos. Nam quorsum attinebat dicere *kupplen* pro *werben*, praesertim tam iniquo tempore, tam coecis atque malitiosis hominibus? et qui bene dicta male invertunt, aut potius bene invertunt: nihil enim non invertunt cum volunt. De *Myconio* nescio an quicquam unquam tibi scripserim. Res universitatis hic immutabitur brevi, et sane ignoro, an occasio aliqua illi occurrere hic possit? Ego, quod in me fuerit, lubens praestitero; promisero nihil, nisi quod praestare potero. Non sunt mihi ultra 25 iuvenes; quod si mihi maior numerus accedet, ut propediem spero, conabor ad futurum Pascha viro providere, honesta minimum apud me conditione. Quod si socer in urbem ex praefectura sua concedet, quod anxie spero, apud Senatum nonnihil potero. Nec plane scio, qua conditione apud *Geroldseckium* est. Tu si quando poteris perscribito mihi omnia: ab ipso enim nihil unquam ea de re accepi. D. *Erasmus* meas nuptias, cum praesens ob hypocausta esse nequiret, pulcherrimis duobus nummis, altero Traiani, altero Alexandri Magni, donavit. Summer S. Anthöngi[3] ich hette niemer nie gemeint, dass er so ein Eerenman wär gsyn. Is sane nunc senecta gravatur, laboribus tamen nihil remittit. Optarim Te diebus aliquot adesse, nec ut uspiam quam domi meae. Videres *Erasmum*, *Huttenum*, *Oecolampadium*. Si uspiam vacet, fac adsis. Literas alligatas tuis velim diligenter cures, ut *Glareanam* certo aliquo viro mittantur: nam res meae cum fratre serio aguntur in iis. Nautae aliquando cessant. Si cum nullo alio, certo cum legatis nostris, qui iam *Thermopolim* ad Concilium concedunt, facile mittes. Vale. Saluta nomine nostro *C. Grebelium*, *Ioh. Iac. Ammannum*, animulam meam, *Ursum Habeum*, adiutores item tuos, Dominos multis ab annis mihi cognitos. *Basileae* ex aedibus nostris ad 4. Cal. Dec. (29. Dec.) Ao. a Christi natali 1522.

Uxor mea te plurimum salutari iussit. Si frater meus quicquam rei ad Te miserit, in domum bibliopolae nostri dato. Is quum saepe *Basileam* adit, ad me satis tuto deferet.

LVII.

IODOCUS KILCHMEIER ZUINGLIO.

Arbitror esse omnino superfluum magno iam verborum cumulo, quam unice diligo uxorem tibi committi. Siquidem fides de Te spesque

---

1) *Urbanus Weiss*, pastor in *Fisslibach*, propter conciones adversus adorationem Sanctorum, et pro coniugio Clericorum, Episcopo *Constantiensi* in custodiam traditus est atque Constantiae ad revocationem adactus. 2) Decanus *Lucernae*. 3) Insiurandum Romanum: Ita me S. Antonius iuvet! Nunquam putaram eum tantae liberalitatis virum.

concepta iam hoc prohibet et dehortatur. [1] Stat igitur firmissime animus, ad literas illam *Erasmi Fabritii* nostri nuperrime ad me tuo nomine datas suscipi tractarique. Quando enim diversum sinet cogitare perspecta iam mihi tua integritas humanitasque fide officioque semper comprobata? Dant firmam futurorum rationem praeterita. Iam etsi certus sim, longe gravioribus Te occupatum, quam multis gravari aequum sit: illud tamen unum rei omnino novitas addit. Fertur apud nos hisce praeteritis diebus duos e monachorum coetu, dimisso religioso cucullo, seculari amictos vestitu fores tuas adiisse noctu, ac velut tua opera ac consilio utendum foret, summa te importunitate evocasse; mox te, ut es paratissimus ad praestanda cuivis obsequia, promisisse descensum. Ceterum dato et accepto consilio adiutoris tui retractum: non statim videlicet ad quorumvis clamores, maxime noctu, prorumpendum, prius rem per se explorandam, ne in tantis negotiorum undis navigantem te insidiarum procellae sic incautum obruant et extinguant. Qui, ubi descenderit, aestimantes, *Zuinglium* esse, manus in eum hostiliter protinus iniecisse abduxisseque, mortem interminantes. Verum, prodita voce, sese iam deceptos sentientes remque adversus opinionem cecidisse, relicto eo, aufugisse quam celerrime, ne forte deprehensi, quod tibi malum statuere, ipsi experiri cogerentur. Tu fac nos certiores obsecramus, verumne sit, quod modo fabulae faciem prae se ferre videtur. [2] Postremo dabis semper operam, ut aliquando vel Tecum vel alio quovis loco tuto agere possim tuo auxilio promotus. Id quod ex animo confido. *Erasmum* meo nomine salutabis, cui e proximo scripturus, quo vel ipse sentiat, quanti fecerim scripta, qualemque iisdem me fecerit sibi. Tu fac, ut diu valeas. Barbarae Virg. (4. Dec.)

Iod. Kilchmeierus, totus tuus.

LVIII.

IOANNES IACOBUS
ABBAS FABARIENSIS ZUINGLIO.

Fraternam benevolentiam in Christo praefamur. Reverende, evangelice, dilecte domine! Certiores facti estis de causa Vobis commissa; [3] sed nihil dum, quod resciremus, per Vos adornatum est, quamvis desiderantibus nobis. Rem ut maturetis, instanter flagitamus per amicitiam nostram. Si propere, quemadmodum prius petivimus, expediretur opella, si gratissimum fieret nobis. Praeterea eximio gaudio afficeremur, si quando de vestris commentationibus aliquam acciperemus nobis dedicatam. Nos caritati et fidei Vestrae commendatos habetote, perinde ac nos propensissima cum voluntate, quantum nostrae est opis, in Vos conferre parati sumus. Ut citra moram de nostra causa scripto referatis, petimus. Fabariis die Martis post Nicolai (post 6. Dec.) 1522.

---

[1]) Innotuerat, Kilchmeierum clandestino coniugio uti. Zuinglius perfugium apud se, quum promisisset, iam ille ad amicum uxorem transmittit in tutum. [2]) Vid. Wirz, N. Helv. H. E. I, 339. coll. cum 337. [3]) Ob vulgandum quendam libellum, Dominicanos inprimis carpentem. Vid. Epist. XLIX.

58.

Iohann Iacob, Abbt zu Pfefers, an Zwingli.

Brüderliche Liebe in Christo zuvor. Ehrwürdiger, evangelischer, lieber Herr! Ihr seyt bericht des Handels, so wir Euch zugeschickt; habet uns bisher von solchem nichts zu wissen gefügt, uns darnach verlangt. Euch in solchem zu fleissen, wär unsre freundliche und ernstliche Bitte. Damit solches förderlich unserm vordrigen Begehren nach, zugeschickt wurde, wär uns ein hoch Wohlgefallen; weiter uns etwas euers Gedichts uns dediciren und zuschreiben wär uns ein besondere Freud. Wollen uns in Lieb und Treu befohlen haben, dergleich mit sonders günstigem geneigten Willen wir sind gutwillig bereit mit allem unserm Vermögen. Uns förderlich von unserm Handel zu berichten in Schrift ist unser Begehr. Datum Pfefers Zinst. nach Nicolai (nach dem 6. Dec.) 1522.

LIX.

ZUINGLIUS AD VADIANUM S.

Cogor omnium rerum oblivisci, ac unius istius mentionem facere, quam strenue oportet omissis omnibus agi. *Simon*,[1] *Vitoduranae* functionis paulo ante praedicator, destitutus est. Hoc rescio istoc die. Scripsi autem haec 8 die Decembris. Suadet socer, ut confestim legatos mittant *Schapplerini* ad nos *Tigurum*, ita ut si visum erit, praetereundo Senatum *Vitoduranum* quoque conveniant, apud nos, inquam, commendationem petituros pro Licentiato ad Senatum *Vitoduranum* Matura: *σπεῦδε βραδέως*. Festinare enim oportet eos, qui pro commendatione imploranda mittentur. Interea tamen lentius, quamvis mature permitto arcessiri Licentiatum, cui locum impetrabunt periculum faciendi dicti legati in transitu. Festinationem vero impero, ne alius commendationem nostri Senatus occupet. *Grebelii*[2] interea et nos nihil diligentiae omittemus. Cetera, opus pulcre procedit, paulo tamen tardius, quam volebas: nunquam quicquam elucubravit, et prima pericula quam sint difficilia, non ignoras. Morae tamen minime pigebit: nam nobis hercle in his, quae vidimus, satisfecit. Plura scribere nequeo propter abeuntem nuntium. Vale. Ex *Tiguro* 1522. (post 8. Dec.)

Salvi sint *Burgouver*, *Crassus*, omnes boni.

Huldr. Zuinglius.

---

[1]) *Simon Mäglin*, praedicator Vitoduri, indecoris verbis quum contraxisset offensam, senatus Tigurinus eum munere abdicaverat. *Vadianus* commendavit *Christophorum Schappelerum* sive *Sertorium*, tum praedicatorem ac reformatorem primum *Memmingae*, ad successionem, atque idcirco senatum *Tigurinum* adiit, qui suffragaretur apud consilium *Vitoduranum*. (Vadianus ad senatum Tig. 13. Dec.) Haud constat, cur Schappelerus hunc locum non impetraverit. Unus praesidum fuit in secunda disputatione Tiguri; ex disputatione 1525 habita contigit, ut Memmingae reformationem obtineret. Per tumultum rusticorum in periculum discrimenque vocatus in patriam *Sanctogallum* confugit. (*Schelhorn*, hist. reform. Memmingae in Amoenitt. lit. VI.) [2]) *Iacobus Grebel*, senator, socer, *Conradus*, frater uxoris *Vadiani*.

LX.

ERASMUS ZUINGLIO.

Humanitatis illud est Tuae, mi *Zuingli*, boni consulere studium in Te meum. Sed ego multos frustra admoneo. Facile ferrem temeritatem aliorum, nisi haec res gravaret et bonas literas et bonos viros et rem evangelicam, cui, dum stulte favent, officiunt, adeo ut, si quis cupiat extinctam doctrinam Christi, non possit meliorem praestare operam. Exiit et aliud nugamentum nugacissimum de Pontifice. Qui scripsit, si addidisset nomen suum, fortiter insaniisset. Nunc periculosas, nec minus insulsas nugas absque titulo prodidit. Si tales sunt omnes *Lutherani*, mihi valebunt, quotquot sunt. Nihil unquam vidi dementius his inceptiis. Nisi me bruma hic alligaret, quovis demigrarem potius, quam huiusmodi naenias audire cogerer.[1] Bene vale, mi *Zuingli* et rem evangelicam prudenter ac fortiter age. *Basil.* postridie conceptus. (9. Dec.) 1522.

Erasmus tuus.

LXI.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Salve, bone *Zuingli*. Ne mireris quod antea per epistolam, quam coram tecum loqui, et familiarium iure, nondum a facie notus, uti praesumam. Acceptum hoc ferto tuarum virtutum laudi, tuique nominis benevolentiae, imo Christo ipsi, a quo nimirum in te destillarunt unguenta haec. Unde, ut qui illum vel tepide amant, siquidem tepide amari potest, te non solum ament, sed et amicitia tua diu multumque frui velle cogantur. Congruit enim in te tuique similes id, quod de pantheris ferunt, quod suo odore omnigenas feras post se trahunt. Sumus, ut ait, aliis in odorem vitae, aliis in odorem mortis. At tu mihi non in odorem mortis, sed vitae. Nam dum mihi de te tot praedicantur bona, quae absque singulari voluptate audire non possum, agnosco ego meam ignaviam. Et velim nolim animo trahor, quo me tibi commendem et insinuem, ut tua fragrantia refociller uberius. Quod privatum scribendi argumentum si deest, esset abunde sat magnum, si gratuler; id quod multo maxime facio. Et hoc potissimum nomine, quod talem te praestas, qui amari ab omnibus debeas. Aut quis non amaret eum, qui Christi negotium tanta diligentia agit? qui oves suas tanta fide pascit? qui lupis tam metuendus est, qui se murum opponit pro domo Israel, qui nobis priscos illos religionis cultores verbo et moribus exprimit. Nam haec atque multa alia narrarunt mihi de te, quibus fidem libenter habeo, et proinde tibi gratulor; gaudeo autem, aliquam e loci vicinitate opportunitatem contigisse, ut quum nondum vacet coram loqui, non denegatum tamen sit, mei erga te animi propensionem vel qualibuscunque literis declarare. Tu, pro tua humanitate id officii boni consules, vel eius praesertim nomine, qui charitatis est author, et charitas

1) Pertinet verosimiliter ad *Huttenum*, eo tempore *Basileae* commoratum.

ipsa. Precor Deum, ut spiritum tuum ita locupletet, roboret, accendat, fecundum faciat, quo mihi id genus laeta nuncia saepe de te afferantur, imo de Evangelii Christique, per te, gloria. Unde ego, licet in eorum numero sim, qui ad sarcinas sedent, saepe accendar, ut et tibi gratuler, et literis, ut pergas, adhorter. Nam hoc mihi permitto, ut te tantum applausu inhortari non verear. Nec mirum. Acclamant enim in caveis certantibus non solum magnates sed et triviales. Perge igitur et Tu, et vince, non tibi, inquam: nam hoc forte audire nolles, quippe qui scias, non tam nostra, quam quae aliorum quaerenda; vince ergo nobis, vince Christo! Fac mi *Zuingli*, ut epistolio hoc christianae cuiusdam familiaritatis iacta sint fundamenta. De amicitia non dubito quin idem in omnes sis. Salutat Te *Andreas Cratander* hospes meus. Vale in Christo. *Bas.* die 10. Dec. A. inc. 1522.

Ioh. Oecolampadius.

LXII.

IOHANNES XYLOTECTUS ZUINGLIO S. D.

Tam opportunum nactus tabellarium non patior Te latere ea, quae apud nos nova referuntur. Vidimus literas Patricio cuidam nostrati a *Basileensi* quodam non infimae sortis homine missas, quibus continebatur, *Huttenum* modo *Basileam* applicuisse cum eo, qui *Francisco Sickingensi* a confessionibus fuit. [1] Item quod brevi venturus sit illuc et *Melanchthon* et mox *Lutherus* ipse; praeterea timendum esse, totam urbem propediem ad *Lutheranam* haeresin declinaturam, quum eo cum Senatu populus praecipitanter feratur. Causam quoque adperuit, cur *Basileam* sint petituri, ut scilicet profugi ac nusquam tuti ad eam, veluti asylum quoddam, se recipiant. Habes nova, quae Te scire volui. Ea, si voles, credas; nos non credimus. Auctorem volo scias, ut et inde rem aestimes. *Iacobus Meier*, alias *zum Hasen*, olim consul *Basileensis*, haec nostrati cuidam scripsit. Tu vicissim, si quid novi habeas, ad nos scribito. Fac item ut olim aliquid de libris meis audiam. Tabellarius iste longius ibit. Interim scribere potes, ut rediens accipiat. Salute Te plurima uxor impertit, item et mater. Idem et nostri *Myconius* et *Iodocus* faciunt. Tu quoque nostra vice bonos viros salutato. Vale. Ex *Lucerna* ad 3. Id. Dec. (11. Dec.) 1522.

LXIII.

MYCONIUS ZUINGLIO S.

Ex proximis tuis literis illud didici, quam sis mihi verus amicus, tametsi multis argumentis atque iis clarissimis id olim quoque noverim. Apertus animus tuus, quem declarasti, in causa est, quare non possum non amare Te prae omnibus, qui se meos amicos volunt adpellari. Multi sunt; omnes tamen, si emptor adesset, vel quadrante venderem,

---

[1] Oecolampadius.

quod hoc tempore nullus eorum vel verbulo mihi succurrit, cum tamen nullibi amicus probetur, nisi in adversis. Scio ex iis quid faciendum. Quid, inquis? Agendum, ut in huiusmodi casibus mihi sim amicus, et inprimis Deum amicum habeam. Atque id est etiam, quod Tu maximopere suades, et sinceriter suades et probe. Si possem oculis exponere, ubinam istud consilium mihi placuerit, videres pectusculum exultans ob tam candidum amicum, qui tam sese mihi aperit totum. Dolosum abominor, ut vix alius quisquam magis, intelligens quam homines tales, si quis confidit, perniciose aliquoties decipiant, intelligens, inquam, meo malo, si mala sunt quae rem familiarem solent adterere. De quibus tamen si dubium est, de hoc dubium esse non potest, circa mores et doctrinam capere damnum. Si mansissem apud vos, quantum hoc temporis putas me auctum et vita et eruditione? Si coniectare non potes, vel apud Te dicis, nihil fortasse: concedo. Ego tamen sentio ubi calceus me urgeat. Sed redeo. Suades si recte intellexi (nam per transennam tantum adspexi literas tuas. Ubi enim in aliorum pervenerunt manus, nunquam vidi amplius) ut amicis nihil fidam, dum ipse mihi possim auxilium ferre; faciam id posthac multo diligentius, quam usque huc fecerim. Deinde polliceris omnia tua ut iis utar; quam ob rem ago. Tibi gratias, quas debeo, immortaleis, eius vocis dum vivo semper memor, atque animi tui erga me candidissimi. Praeterea non dubito, quin audieris, me his diebus fuisse *Eremi*. Convenimus *Administrator* et ego. Propediem illuc demigrabo. Illud petiit, ut post *Leonis* abitum Monachis aliquid legam. Faciam id et quidem lubens, sed non eo modo quo ille. Non enim video, quis fructus inde sit. Pluribus omnia dicam, ita tamen, ut ad rem omnia. Velim, dum otium est, quid legendum sit potissimum, significes vel mihi, vel administratori. Dum dabitur, etiam volo huic me commendes quam diligentissime; non literis dico, sed ore, cum venerit ad Te. Ne putes me Tibi imponere, quod commode nequeas perficere. Quae agis placent omnia. Deus O. M. sua gratia Te confortet, ut coeptum iter gnaviter perficias. Vale cum uxore [1] in Christo. Familia mea Tibi bene optat in Christo. *Lucernae* 1522. [2]

Myconius tuus.

LXIV.

MYCONIUS AD ZUINGLIUM.

Aureola, [3] dum adhuc esset *Tiguri* apud maritum, morbo adfecta nescio quo, simulacrum fecit Divi Apollinaris, atque hic in templo *Beguttarum* [4] erexit, ut morbus discederet. Nunc idem simu-

---

1) Confer. Epist. XXV. 2) Argumentum epistolae proxime subsequentis hanc ut haud longe ante 19. Dec. exaratam respicit. 3) *Aureola* (quam Wirzius post Leonem *Dorotheam* nominat) *Seiler*, Lucernas ortu, marita *Rennwardi Goeldlin a Tiefenau*, Tigurini, qui posthac religionis causa vel potius externorum stipendiorum causa, quapropter iam 1519 in aliquot annos exilio mulctatus erat, Lucernam demigravit ibique civitatem adeptus parens extitit familiae Goeldli Lucernatis. 4) In coenobio *am Bruch*.

lacrum ablatum e templo, ut liberaret conscientiam, combussit suo ipsius consilio, mota quod tot pallastros attraxerat per vulgi indocti vota, quos *Beguttarum* gula delicatissima devorarat. Qua re comperta, Senatus eam arcessit, exprobrat rei indignitatem, conqueritur similem rem apud Senatum hunc nunquam actam, eam esse contra fidem, contra ecclesiam Catholicam, contra evangelium Christi, contra sacra profanaque omnia. Quapropter mulctam imposuerunt, 40 aureos, et simulacri restitutionem, et eius facinoris, quod peregit, confessionem, quam ut sciant peractam, iusserunt, ut literas signatas a Plebeiano ad ipsos referat. Reddidit ea pecuniam lubens. Adibit etiam Plebeianum, non quidem ut confiteatur, sed ut edoceatur per divinas literas, sese peccasse; si sic fieri potest. Verum illud grave, si restituenda est imago. Videt enim duplo gravari conscientiam: aderit enim scrupulus antiquus, et novus additur, si obtemperabit hominibus contra Deum. Consideravimus rem, atque ponderavimus in omnes partes, neque possumus invenire, ut conscientia salva queat reponere idolum. Idolum enim est, praeterea nihil. Te consulimus ergo, quid hac in re nobis sequendum, quod animae conducat, putes. Ex te pendemus toti. Fac igitur, quod confidimus. Non clam nobis est, quam penitus immersus sis undis vehementissimis; verum, quod haec res tam nos premit, nec parva est certe etiam apud Deum, consilium Tuum remittas per hunc, absque omni mora. Animus est *Tigurum* transire, dum *Eremum* peto. Fac ergo ut sciam, ubinam tum habites. Ante Cal. Ian. nescio an *Lucerna* solvam ob Canonicorum in solvendo tarditatem. Vale et responsionem nobis per Christum remitte. *Lucernae* 19. Dec. 1522.

Myconius tuus.

P. S. Mittimus hunc nuntium nostris expensis; quamobrem non sinas vacuum redire rogitamus.

LXV.

HULDRICHUS ZUINGLIUS IOANNI ZUICCIO ECCLESIASTAE CONSTANTIENSI, FRATRI SUO CHARISSIMO SALUTEM.

Fecisti rem Te dignam, doctissime *Zuicci*, quod ad Tui amantem omnem vitae modum et ordinem tam libere, tamque secure scribis. Eram enim paulo ante nonnihil de Te sollicitus, quum vani rumores Te vinctum adseverarent; sed cum video et Christum et Te apud tuos recte habere, supra modum exhilaratus sum, tum ob Christi gloriam, tum ob tuam felicitatem. Nam homini maiorem contingere felicitatem non arbitror, quam si expansa Domini sagena immensum huius maris (mundi dico) numerum magnorum piscium concludat et ad Christi navem, qua suos in coelum transportat (quae inconcussa fides est), ducat, non ad quandam humana vanitate et doctrina fluctuantem cymbam; quae tanto vehementius agitatur, quanto animosioribus decretis et legibus imperium in omnes occupaturam se arbitratur, nusquam non inconstans, nusquam non tumultuans. Sed mittamus eam suo more iactari,

furere, grassari! dabit Deus his quoque finem. Tu ut paulo ante meminimus, felix eris, si, dum ista pertinaciter et sibi et universis molitur, salutem tuis compares! Nam quae par glória erit isti, qua rediens homo nobilis, qui in longinquam regionem abiit, explorata negotiatione servorum dicturus est: „Euge serve bone et fidelis! quod in pauxillo fuisti fidelis, ego te super multa constituam.“ Summa, obdura: qui enim usque in finem perseveraverit, salvus erit. Quod de nobis vulgasse quendam ais, quod permiserimus ei, quae uterum ferret, cum adultero congressum:[1] tam falsum est, quam si diceres, Christum permisisse adulterium, quum dixit: Non admittes adulterium. Ego per quicquid est sacrum, quicquid profanum, deierare possum, hoc mihi nunquam venisse in mentem. Nam hoc per verbum Dei effecimus, τῷ θεῷ χάρις, ut omnes adulterae urbe pellantur, non sine insigni luparum istarum contumelia, qua nos abeuntes adficiunt. Sed procedit negotium feliciter: omnes fere pulsae sunt; ante omnes pelluntur meretrices, quas constat cum adulteris rem habere; post, quae impudenter merent. Ecce quantum ego adulterio faveam! nam ex praecipuis flagitiis ante omnia detestor adulterium. Quae vero maior esse potest infamia, quam fingere quod non solum innocenti homini nociturum sit, sed etiam coelesti verbo: cui nimirum se speravit nonnihil periculi gignere, si nostrae fidei per falsam calumniam detractum esset. Nos vero gratiores ipsi Deo fieri nequimus, quam calumniarum falsarum constanti tolerantia. Bene vale, et Te servet Christus diu incolumem. Poteris crebro ad nos dare literas, certioresque reddere Christi, fortunae, casuumque omnium. *Tiguri* omnia bene habent, quam quod *Francica* pars sua quaedam agit; quod quidem ferrem, nisi et ipsi Christo nocere studerent. Ex *Tiguro*, vigesimo die Decembris, 1522.

LXVI.

ZUINGLIUS MYCONIO S.

Redit, carissime *Myconi*, prisca nascentis Christianismi tempestas, ne desit Christi militibus pugnandi materia, et ut praesto sit par gloria; potuisset magnus animus non contentus esse, si ψευδοχριστιάνους vicisset solum, ac non etiam idola evertisset et omnem eorum cultum. Verum ita sua membra animat diabolus, ut iam audeant idola tueri, deos qui aures habent nec audiunt, quo viris evangelicis maior nascatur labor, et post splendidior triumphus. Daniel cum suis mortem citius erat obiturus, quam simulacrum Regis adorarent, quapropter captus est etc. Summa: instituenda est lenis ac opportuna oratio,[2] qua clam doceatur Senatus, quod profecto ignorat. Ego in hunc modum ordirer: Vehementer placere Senatum, quod rerum divinarum non parvam curam haberet, placiturum autem longe vehementius, si miserorum quoque mortalium pectoris curas placide audiret, consilioque opitularetur suo. Nunc quum muliebri quadam olim levitate ducta imaginem (simulacrum) ere-

---

[1]) Vid. Epist. LV. [2]) Pro *Aureola Goeldlin* in ea causa, quam epistola LXIV. commemorat.

xisse, non tam (ut verum fatear) religionis quam ὑποκρίσεως causa, paucis abhinc annis coepi mecum reputare, quam potissimum ob causam id fecissem, invenique tandem ex ambitione potius, quam pietate negotium processisse, cuius cum me in diem magis ac magis puduisset, statui tandem, id quod ex pessimo fonte prodiisset, abolere, ne quod ipsa cupiditate vanae gloriae, ut sunt humana, feceram, detrimentosum mihi esset apud Deum: qui enim apud homines gloriam quaerunt, ignominiosi fiunt apud Deum. Quod vero multum gloriae accesserit immerenti, nemo est, qui videre nequeat, cum anathematis et victimis quidam simplices se eo devoverint, ubi nominis nostri monimentum potius, quam divi Apollinaris posueram. Equidem si recta simplicique mente hoc fecissem: fors tulissem, quod fiebat; quum autem crebro nos conscientia non recti propositi insimularet, nequivi hos pulsus et arietem amplius ferre, ac imprudens inconsultis omnibus mortalibus deieci, quod sola sciebam vana mente extructum. Tuli autem audaciae poenas. Quod ad restituendam effigiem adtinet, oro patres vos praestetis, nempe ne cogatis contra miserae conscientiam extruere, quod profecto nequiter inceperat, ac, ut diximus, ita D. Apollinaris gloriae faveatis, ut anima nostra ne pereat. Nam nos a sumtu aeris non tam abhorremus, quam a detrimento animae; quod hinc manifestius sit. Parata sum tantum aeris reddere *Beguttis*, quanto fuit simulacrum comparatum, atque ipsis integrum relinquo, de eo aere disponere. Neque enim unquam ferre potero *Aureolae* adscribi, quod ambitionis erat. Hactenus foemina fui, suadeoque ut ipsa verbum pro se faciat: nec enim ei metuendum est, quum ille sit adfuturus, qui iussit, nos securos esse debere, quid loqueremur etc. Hac forma in confessione quoque uti potest, neque illic veto, ne exigat a *Bodenläro* rationem delicti. Tacere enim cogetur, etiamsi ilia rumpantur; unde audacius eum alloqui potest, ita tamen, ut abiens interdicat ei, ne liceat effutire quicquam. At si nulla ratione nec Senatus nec *Bodenlär* frangi possunt, non possum ego aliud consulere, quam quod Apostoli dicebant: „Obedire oportet Deo magis quam hominibus.“ Unde iubeo mortem potius obire, quam cedere. Omnia tamen prius tentanda sunt. Vae miserae urbi, quae tales habet oculos! Opto vos omnes in Christo valere, qui et dictabit, quo quaeque ordine et consilio sint agenda. Orabunt pro vobis qui apud nos sunt pii. Ante Cal. Ian. non arbitror me alio migraturum. Da operam ut salvus solvas a periculosa Christianis urbe, quam tamen brevi speramus resipituram. Ex *Tiguro* XI. Cal. Ian. 1523. (22. Dec. 1522.)

Quis sim scis.

Revidere non potui, quae scripsi.

Inscriptio: An Mstr. Oswalden, Schulmeister zu Luzern, seinen günstigen Herrn und Freund gen Luzern.

LXVII.

GLAREANUS ZUINGLIO.

Multis verbis, cur non scripsisses, Te sedulo excusabat bibliopola tuus, quibus tamen apud me non erat opus: neque enim mihi quoque

vacat semper. Ideoque Tu boni alias consule, si quando idem mihi accidat. De *Myconio* nescio quae scripseram. Nunc vero e *Lucerna* audio *Eremum* migrasse, ac a *Suicis* donari quotannis aureis 30, ab *Abbate*, Maecenate nostro, 20. Quae res illi bene vortat. Constitueram eum vocare ad honestam conditionem. At antehac non licuit. Nunc autem ut liceat, non plane video. Nec enim hos mihi iratos volo, qui tam bene de me sunt meriti. Necesse autem est, ut vicarium aliquem habeam, quem ubi nanciscar, non facile invenio. Gravem vellem et facundum, ac meis moribus acquiescentem. De *Myconio* sane despero, quem nusquam tamen magis conspicuum futurum video, quam ubi doctorum frequentia. Si posset reduci, neminem aeque optarim. Et sunt qui *Clivanum* mihi offerant. Verum is, quo in me sit animo, scire equidem non possum; coniicere licet. Nam toto septennio, quo abfuit, nihil unquam literarum ad me scripsit. Accusavi aliquando tarditatem ingenii, cum esset mihi discipulus, ut excitarem magis iuvenem; atqui aegre hunc tulisse hoc, aiunt, idque saepe in conviviis non absque indignatione repetisse. Quod si talis est, non magnopere eius me torquet desiderium. Tu de *Myconio* mihi, ut antea rogavi, scribito. Vale felix. Basileae 3. Cal. Ian. ad annum Christi (30. Dec. 1522.) 1523.

D. Doctor *Wonneckus*[1] chartulam valvis templorum die ipso nativitatis affixit, tam elegantem, quam ipse est homo elegans, in qua, si modo unam lineam capio, contra *Lutterum* et novos haereticos disputaturus est ad 8. Cal. Ian. quem diem ille designari noluit, nemo nostrum scire potuit, porro ex eo interrogare prorsus nemo. Faciemus aliquando Te eius participem. Nam opinor, privabitur brevi, ac in alias universitates mittetur, ut pateat toti mundo, qualis nobis sit gymnasiarches. Ita enim se ipsum in eadem appellitat.

LXVIII.

ZUINGLIUS AD GREGORIUM[2] N. S.

Recte sentis, carissime *Gregori*, cum putas Tibi licere a me, quaecunque usus requirat, petere: nam ego tuis respondere votis ita cupio, ut non possim magis, cum ob summam, qua praeditus es, pietatem, tum ob inveteratam longis annis amicitiam, quibus factum est, ut communi amico nostro *Laurentio Moero*, viro iuxta pio atque docto, ex animi mei sententia consilium dederim, nihil veritus insidiosas suspiciones. Malui enim ipse me malorum calumniis obiicere, quam virum, tam probe de Christi doctrina sentientem, in rerum suarum naufragium pertrahere: nam sacerdotium istuc, pro quo ad nos venit, ita extenuatum est, ut vix Euclionem aliquem vel Chremilum enutrire

---

[1]) *Ioh. Romanus Wonneck*, Doctor Iuris, Medicinae et liberalium artium, communi sensu cassus, scholasticus Magister Noster, cuius sermone nihil obscurius. Eius disputatio in nihilum recidit, quum theses eius absurdae deriderentur, nemini autem disputare lubitum esset. [2]) Verosimiliter *Bünzli*.

possit; taceo quod praestantior vir sit, quam qui rei tantum domesticae curam gerere debeat, et non potius magni gregis esse dux. Adde quod *Rhaetorum Curiae* docendo Christum longe plus boni parare potest, quam *Tiguri* tacendo ac ad sarcinas sedendo, et nos expectando. Quod certe cogeretur: nam verbi ministerium a Senatu nobis commendatum est, a quo munere citra Senatus voluntatem sine tumultu deiici non possem. Quid facerem, quum is me per fidem eliceret, ut consulerem, et Tu per amicitiam iuberes? Consului itaque, ut ad suos redeat, nec deserat, nisi Dei spiritus iubeat ex una civitate in aliam fugere, *Rhaetos* Christo lucrifaciat. Sic enim apud nos comparatum est, ut si cum quibusdam Canonicis sentiret, hostem haberet plebem; si contra eos, multum decederet rei; nam ea quae promissimus, haud diserte expressimus. Ex quibus obiter id expiscari potes, quid de Christo sentiant quidam sacerdotes, atque hoc in urbe tam unanimi consensu recte credente. Sed fuerunt sacerdotum principes longe infestiores Christo et scribae, quam Herodes et Pilatus. Quamobrem nihil inconstantiae homini velim imputes: servasset hercle cum rerum dispendio fidem, nisi nos eum hac opinione liberavissemus. Vehementer enim dolebat *Curiam* suo evangelista privari, quae unde similem nactura esset, non occurrebat. Prudentes esse iussit Christus. Vale et pauca, quae cum illo de Sanctorum h. e. divorum intercessione coram contulimus, hominem memorare iube. Vale iterum. Ex *Tiguro*, 3. Kal. Ian. (30. Dec. 1522.) 1523.

Huldrichus Zuinglius.

LXIX.

HULDRICO ZUINGLIO FELIX MYCONIUS OSWALDI FILIUS S.

Quoniam tuam humanitatem, *Zuingli* doctissime, tam magnam esse ac tuam doctrinam, omnibus notissimum est, non veritus sum ego puer, et annis et scientia, scribere ad Te christianissimum Theologum omniumque literatissimum. Hactenus Te semper ut patrem amavi, colui, dilexi, veritusque sum. Certus enim eram, meam rem Tibi curae esse. Nunc, cum omnino mecum dissideam, ad Te tanquam amantissimum parentem fugio, tuumque auxilium in re admodum seria imploro. Nec haesito, quin mihi opitulaturus sis, postquam meam rem ordine perceperis. Evolvi hactenus (quantum per aetatem licuit) gentilium autores non paucos, quos cum exactius perpendebam, animadvertebam, quam omnino non conveniret, christianum animum in iis seductoribus versari. Sunt equidem Latini (ut hoc donem) elegantes, nitidi, exculti summa industria, rhetoricesque praeceptis pleni; at tanta rursus impietas, nequitia, impostura inest ipsis, ut pius christianusque animus mirari satis haud queat. Quare quid attinet vitam nostram adeo brevem in iis nugis consumere, cum scilicet hodie complures extent christiani libri, summa cura, industria elegantiaque elaborati? Nauseant ergo maxime mihi ethnici libri: nempe christianum animum magis inficiunt, quam aedificant; contra summe arrident evangelici, qui simul lectorem et doctum

et probum reddant. Quos cum exacta ac diligenti studio lectito, invenio quam omnino labores laudent, otium vero damnent; et cum sacerdotis unicum sit officium, seminare verbum divinum, ut Apostolus ait: „Non misit me Dominus baptisare sed evangelizare.“ Item Malachias: „Labia sacerdotis custodiunt scientiam.“ Item Apostolorum dux: „Pascite quantum in vobis est“ etc. nunc Paulus reiicit novitium: quid ergo reliquum mihi est, *Zuingli*, utriusque literaturae non mediocriter docto, nisi ut et ego me conferam ad artificium? Cum scilicet Christi verba Genes. III. et mihi sint dicta. Si forsan autem de grege illo essem, qui missi nominantur, haud me praeteribit Dominus, quin me iubeat ut suum seminem verbum. Proin ter chare *Zuingli*, summe Te obtestor, ut meo persuadeas parenti, quo permittat ut discam artificium, vescarque sudore vultus mei. Hactenus enim manibus ac pedibus obluctatus est meo voto. Quam ob rem tuum imploro auxilium. Meum enim ingenium obtusius est, quam quod debeat diutius bonis institui literis: opera enim et impensa periret; sacras vero literas e manibus dimittam nunquam, dum spiritus hos regit artus. Fac tuam hac in re videam opem. Id autem optime facies, postquam victoriam (quam Tibi omnes promittunt) nancisceris, in futuro conventu, quo Te meus adibit pater. Quo enim citius devenero ad artificium, eo melius. Vale.

Felix Myconius tuus, dum voles: voles autem semper.

Inscriptio: *Felix Myconius* D. *Huldrico Zuinglio*, *Tigurinorum* Evangelistae vigilantissimo, amico ter caro. *Tiguri.*

LXX.

HENRICUS AB EPPENDORF [1] AD ZUINGLIUM THEOLOGUM VERE CHRISTIANUM.

Libellum tuum a *Christophoro* [2] librario nobis oblatum, et quo *Germaniae* Principibus contra Romani Pontificis fraudes saluberrime consulis, [3] avidissime complexi sumus, eundem quoque *Ulrico ab Hutten*, et religionis et libertatis Germanicae unico vindici, legendum exhibuimus. Ego qui olim privatis in me beneficiis plurimum debeo, nunc intelligo, quam sim nomine communis patriae denuo Tibi obnoxius. Sic pergere debent, quibus nunquam par gratia referri potest. Quod autem *Consilium* tuum nobis arriserit, paucis abhinc diebus es intellecturus. Is enim, quem Tu et nomine et vindiciis refers, hac in re suum testabitur animum. Interim nos Te bene valere iubemus, atque hortamur, ut gloriae Christi nunquam deesse velis, utcunque ob-

---

1) *Henricus ab Eppendorf*, eques Germanus, disciplinarum amans, qui scripta Latina vernacule vertit, ab Erasmo celebratus, donec discidium *Hutteni* etiam *Eppendorfium* inimicum redderet *Erasmi*. 2) *Froschoverus*. 3) Libellulus a Zuinglio 1522 in lucem editus, itaque inscriptus: Suggestio deliberandi super propositione *Hadriani* Pontificis Romani *Nerobergae* facta ad principes *Germaniae* a quodam, ingenue tum in commune reipublicae christianae tum privatim Germaniae favente, scripta. In fine MDXXII. 1. Fol. 4.

strepentibus iis, quorum incommodo mundus ad frugem redire incipit etc. Ex *Basilea.*

LXXI.

VALENTINUS CURIO CLARISSIMO VIRO HULDRICO ZUINGLIO APUD TIGURINOS DIVINI VERBI CONCIONATORI S. D.

Dia sane multumque desideravi, vir ornatissime, aliqua meae herbescentis officinae foetura studium erga Te meum declarare. Verum cum non occurreret par et meis votis et tuis meritis, malim hoc quale cunque munusculum offerre; si non perinde splendidum, lepidum certe et opportunum, nempe *Ceporini* nostri de institutione grammatica [1] compendium, iam de integro non aspernanda me hercle accessione locupletatum, adiectis etiam nonnullis quibus observationes tanquam e tabula liceat indicari, [2] omnia sic *ἐπιτόμως*, sic scite, ut animadvertam non iniuria tam avide a studiosis et flagitari et coëmi. Sed enim cui magis conveniebat hocce opusculum nuncupare quam Tibi harum literarum doctissimo patrono? Praesertim cum idem libri autor, noster *Ceporinus*, tuo quoque auspicio, apud *Tigurinos* ad munus docendi graecas et hebraicas literas adscitus sit. Sic quidem Tu in illa praeclara urbe, vere christianum episcopum agens, praeter hoc quod populum cum summa laude pura sanaque doctrina instruis, illud quoque spectas, ut civium tuorum liberi, reipublicae seges, optimis literis veluti virtutum omnium nutricibus imbuantur. O veram Episcopi functionem! Tales erant veteres quidam nunquam satis laudati, non quales nostro tempore plerique, aposcopi verius quam episcopi — *ἀλλὰ καὶ ταῦτα ταύτῃ.* Tuo igitur patrocinio consecratus hic libellus in manus exeat studiosorum, non quo hac obligatione in totum me liberem, sed arrhabonem relinquam, donec iustum ac legitimum debitum persolvere concedatur. Vale *Basil.* Mense Dec. 1522.

---

[1]) Graeca. [2]) Compendium Grammaticae Graecae *Iacobi Ceporini.* — Item *Hesiodi* Georgicon ab eodem brevi scholio adornatum, ubi dictiones et sententiae quaedam obscuriores, atque obiter Graecorum carminum ratio declarantur. Ad haec epigrammata quaedam lepidiora Graeca. Gessnerus adnotat: „Haec grammatica hactenus apud nos in scholis obtinuit, non sine fructu discipulorum; nec enim ullam (quod meminerim) aliam vidi, quae tanta brevitate, cum alia linguae Graecae rudimenta, tum dialectos omnes comprehendat.“

MDXXIII.

I.

HULDRICHUS ZUINGLIUS IO. OECOLAMPADIO FRATRI SUO IN CHRISTO CHARISSIMO S.

Varie iactor, piissime et doctissime Oecolampadi! immotus tamen maneo, non meis nervis nixus, sed petra Christo, in quo omnia possum. Is enim est qui me confortat et animat. Cum enim hinc tristibus adflicti Evangelii nuntiis deiicior, illinc laetis profectibus levor et fulcior; minatur alius mille mortes, reficit alius Christianis scriptis: quod tu quoque facere orsus tantum es, crebro in posterum facturus, si me perges amare. Non quod tam altam laudem, qua nos oneras, digne nobis imponi putem; sed quod mentem tuam talem esse video, qualem nos habere cupimus, iamque veluti seminaria quaedam sentimus. Nam dum accipimus bonos aliquos recte sentire de Christo, mox effundimur, tantaque laude illos adobruere gestimus, ut etiam ineptire videri possimus; ni ad quos scribimus, animum scribentis potius quam se ipsos spectent. Sic ni animum tuum potius quam nos ipsos spectaremus, liberare te ab ineptiis non possemus, quod nos magnificum Christi praeconem, te vero apud sarcinas sedentem facis: quem ego magis semper suspexi, quam pictos quosdam *ταῶνας*, qui propter pigmenta fastuosae orationis soli sapiunt, sua quidem sententia, aliosque omnes naso suspendunt. Is enim es, qui pietatem humanitati eruditionique ita adiunxisti, ut haud facile cognitu sit, quaenam in te primas teneat. Verum ista mittamus posthac, atque haec mutuo conferamus, quae ad coelestis doctrinae incrementum facere possunt. Adlata est autem hisce diebus ad nos schedula N. Eggii [1] vestri, verborum monstris inusitatis ambitiosa; quam nec Sibyllas ullas, nec Magos intellecturos puto. Ibi hominem obsecro pro dignitate rideatis. Opportunissimus enim erit Glareanus noster, ut *ὄνον* istum, musas suas conspurcantem, exibilet iocis et salibus. Ego enim, cum paulo ante Glareanus rem significasset, statueram pars aliqua fabulae fieri; at postquam propositionem adspexi, satius esse duxi domi manere: citra enim periculum haud fieri posse, ut motae mentis homo attingeretur. *Τῷ θεῷ χάρις, ὅτι τῶν ἀντιχρίστων* causa huc sit redacta, ut talibus nitatur propugnatoribus. De certamine nostro, quod Senatusconsulto indictum est, narrabit, si voles, is qui literas adfert. [2] Spargitur rumor, Constantiensem vicarium adfore. [3] Faxit Deus ne retineatur, ne solitis triumphis fraudetur vel Roma vel Constantia: quos scilicet hactenus reportare solitae sunt. Vale, et crebro literis tuis nos doce, admone, hortare. Ex Tiguro, 14. Ianuarii 1523.

---

1) Non celeberrimus ille antagonista Lutheri Dr. *Io. Eckius*, sed cuius supra notitiam dedimus ad epist. LXVII. 1523, Io. Rom. *Wonneckius*. 2) De prima disputatione. 3) *Io. Faber*.

II.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO

SACERDOTI CHRISTIANISSIMO TUREGII DOMINO SUO OBSERVANDISSIMO SALUTEM IN CHRISTO.

Recte facis. atque rem plane dignam et officio et pio animo tuo, mi *Udalrice*, quod paratus es, et offers Te ad reddendam rationem de fide, atque de omnibus his, quae a Te hactenus docta sunt. Nimirum hoc fuerit apostolicum canonem imitari, et per omnia christianae mentis sinceritatem prae se ferre. Precor Dominum nostrum Christum, ut, quod bono mihi spiritu coeptum videtur, in carne non consummetur; id quod non raro fieri novit tua prudentia. Et ego sane bona ominor, atque non mediocria christiani gregis commoda; tantum fiant sancta sancte, ut aiunt. Audio esse quendam magni nominis,[1] qui rideat et parum probet. Sed valeat ille quantus quantus est. Quis scit, unde lucis suae radios magis et prius prodire velit Dominus? Tu mihi recte facere videris. Verum, si hoc ageretur, quod primum fama ferebat, non admodum probarem; tametsi non ignorem, sententiam meam vere nihil hominis esse. Rumor autem narrabat, fore apud vos disputationem, Te praeside. Scis, quot annis acerrime disputatum et digladiatum sit in scholis. At quando magis pugnatum verbis, tanto ampliorem veritatis fecimus iacturam. Sequitur enim ferme, si non et praecedit disputationem, vincendi libido, parit haec contentionem, contentio profert mala alia longe deteriora. Interim quomodo salva veritas et divina sapientia, quae pectus amat humile et quietum, tremensque sermones domini, ac eligens potius extremam suam ignominiam, addo et omnia barathra, quam ut tantillum veritati gloriaeque divinae decedat? Proinde, ut magnopere probo, quod sinceritatem doctrinae tuae coram adversariis tuis mansuete tueri vis (atque o utinam idem is omnibus esset animus): ita abominarer institutum, si ad contentionem descenderes, quod longe abesse non dubitarim a tam miti ingenio. Porro, mi Udalrice, boni consulas amici etiam intempestivam et supervacaneam admonitionem. Videor mihi videre, quos arietes nunc instruant, quos cuniculos acuant adversarii; nempe si Te modestia et mansuetudine destituere queant, et ita minus attendentem, quid spiritus domini dictet; dein, si evincere queant, ut humanis constitutionibus et consuetudinibus etiam quibuscunque suus honor salvus maneat, dicentes summa cum blasphemia divinis et evangelicis legibus parentes disturbatores. Habes propheticum sermonem, habes oracula Christi; sat scio, permittes Tibi vitam potius, quam illis unum iota adimi. Nihil tuo capiti tribues, sed primae in omnibus partibus erunt S. Scripturae, atque adeo Dei, qui per illas loquitur. Et illae solae iudices sint inter Te et adversarios; arbitri qui futuri sint, ignoro. Spero tamen fore bonos et pios viros, veritatem maximo loco habentes, etiam irato orbe toto. Sed iterum fraudes antiqui hostis mihi suspectae sunt, ne forte aliqui ex his parum exerci-

---

[1]) *Erasmus?*

tatas mentes habeant, et magis quid fieri soleat, quam quae sit voluntas Domini pia et sancta, curent. Precor illis spiritum sapientiae et fortitudinis. Dominus Iesus sit Tecum, et per Te adversarios suos vincat et destruat, eos autem, qui sui sunt, soletur et exaltet. Boni consule amici in Christo monitus; id quod mihi certo certius polliceor. Vale. *Bas.* in die S. Antonii.

Ioannes Oecolampadius, ex animo tuus.

III.

ZUINGLIO SUO GLAREANUS S. D.

Risisti quae de Horeste isto [1] scripseram et merito. Sed iam faxo, ut magis rideas: nam mitto eleganteis elegantissimi viri disputationes. Eas volo amicis communices, ut et hi, quod rideant, habeant. Sunt enim dignae, quas omnes rideant docti. Conatus urbis vestrae [2] summe placet. Nec dubito, Christum adfuturum suis. Tu indevicto sis animo. Non est, quod timeas. Sed quid sus Minervam? Legati urbis nostrae senatui eam rem proposuerunt. Ibi fuere, qui indignam rem existimarent, negotium *Tiguri* prius quam in eorum urbe, ubi tota universitas esset, tentari. *Wonneckio* [3] dictum est, si recte memini, ut ex dignitate universitatis vel ipse *Tigurum* iret, vel aliquem istuc mitteret. Quid fiat nescio. *Gebwilerum* [4] video mirum in modum consilia miscere. De *Erasmo* quae altera epistola scribis, vehementer sum admiratus. Ac mirum, si Tu hoc credis. *Faber* fortassis haec sibi persuadet, ac ubique temere seminat; sed nasutior est epistola, quam ad illum dedit, quam ut decem *Fabri* intelligant. Laudari se putat, ubi maxime suspenditur. Non addam, quod volebam; sed quid de disticho hoc in librum *Fabri* adversus *Lutherum* editum? [5] non dicam cuius sit, si quidem nescio. Sed enim audi:

Fronte cares, si res agitur Tibi seria; rursum
Mente cares, haec si ludis amice *Faber*.

Erasmus quid scripserit, in manu omnium est. Senex est; quiescere vellet. Sed utraque pars eum trahere conatur. Ille humanis sectionibus adesse non vult. Et quis eum trahat? Quem fugiat, videt; quem sequatur, non item. Christum omnes eius libri sonant. Ac magis verisimile, *Lutherum* studiis *Erasmi* adiutum, quam *Erasmum* illius. Timidus est, quia cunctator. Nunquam quicquam ex illius ore audio,

---

1) Wonneckius, de quo sermo in epist. I. 2) Disputatio. 3) *Io. Romanus Wonneck*, triplex doctor liberalium artium, iuris ac medicinae, eo tempore rector universitatis Basileae, ultra scholastica nihil sapiens, adversarius Lutheri. Turbis, quas faciebat, sibi contraxit relegationem e Basilea. (Athenae Raur. 168 sq. Wirz, Kirchhofer 338, 346.) 4) *Io. Gebweiler*, cognomine *clitellarius*, *Colmare* oriundus, Doctor et Prof. Theol. Basileae 1507, et Canonicus ibi, tentavit 1522 censor prohibere Lutheri scripta, ne typis excuderentur. 1526 pastor primarius factus Biennae, sed post annos duos dimissus, quum urbs reformationi nomen dedisset. (Athenae Rauricae.) 5) De potestate Papae contra Lutherum. Item, quare sectae Lutheranae non adhaereat. Opus adversus nova quaedam dogmata Martini Lutheri. Romae 1522 in fol.

quod non Christum sonet. Opiniones humanas quasdam habet. *Francis* plus favere videtur, quam *Germanis*, quanquam omnes adiuvat ex aequo. Displicent ei concionatores quidam, qui et Tibi placere non possunt, qui, cum indocti sint *Lutheri*que causam adiuvare volunt, non modo non adiuvant, sed etiam Evangelio nocent. Lutheranus esse non vult *Erasmus*, sed neque Anti-Lutheranus; nisi adeo flagelletur ab iis, ut ferre amplius nequeat. Mirum vero, cur Germani adeo *Erasmo* infensi sint, quos adeo literis illustravit; cum tamen pulchellus ille *Aleander* per totam Germaniam, aut certe magnam portionem, prope ut insultans victor iverit, a nemine laesus, multos interea laedens. Fumi sunt ruinae hae. In innocentem *Erasmum* saeviunt, et propterea nunc de eo tales rumores spargunt. Nosces tu fortassis *Fabrum*: quis sit. *Suevus* est, bonus vir, — sed nunc ad alia.

Vellem D. *Thomam a Wittenbach ac Sebastianos* duos Minoritas [1] advocares. Docti sunt, ut nosti. Cum *Oecolampadio* locutus sum. Habet in animo, ut veniat, quanquam certus non est. Mirum in modum fefellit nos charta tua, in qua scripseras, XIII. Kal. Febr. venturam disputationem. Eam cum ubique sedulus apud amicos circumferrem, quidam viderunt, ac *Tigurum* iverunt, fortassis mihi infensi, cum celeritas tua et te et me fefellerit. *Christophorus* intervenit opportune et a Legatis ex Concilio Helvetorum allata memoria, quam Tribunus plebis mihi ostendit vir integer et vere christianus. De *Myconio* quae scribis doleo, si quid adversi illi contingat. [2] Vir est optimus. Si eum habere nequeo, fortassis *Albertum* illum [3] vocabo, quanquam audio illi, nescio quod, esse caput; nisi mutaverit, ut bene spero. *Myconio* nemo esset mihi gratior, quoniam iuventus illum lubens audit. Habeo autem tibi immensas gratias, quod in tantis negotiis tuis etiam amici memineris. Scripsi *Vadiano* eadem de re. Vereor tamen, ut nihil adiuvare queat. Nullius enim famam istuc audio. Gaudeo *Collinum* falso apud me accusatum. [4] Neque enim sunt, quos aeque amicos cupiam quam humanos et doctos. *Erasmo* rem proposueram, antequam tua altera afferretur epistola. Ille rem unius oppidi esse; gaudere, si bene cederet res Christi, ne in nervum iret, quod multi tentarent temere; de te bene omnia sperare, et quaedam communia dixit. Vereor, te delatum apud istum. Coniicio de quodam. Sed certi nihil habeo. Si tu mihi auscultabis, pauca, aut si placuerit, nihil ad illum scribito. Ita sunt mores illius. Hoc unum crede, nunquam illum cum Pontificibus rem Christi prodituram. Sunt in *Luthero* quaedam, quae ille abesse vellet, quaedam etiam ut ab homine scripta, non placentia. Nec mirum, cum mediocris ingenii viri in *Luthero* quaedam desiderent. Ego quid de Pontifice Romano et Caesare aliisque hostibus *Lutheri* sentiat, probe scio. Verum quo consilio nil temere audeat, quaerere distuli. Nec scire fas est omnia. Matrimonii mei nondum poenitet. Studia etiam fe-

---

[1]) *Meyerus* et *Hofmeisterus*. [2]) *Myconius* hoc tempore *Lucernae* tantopere vexabatur, ut patriae tandem solum verteret ac Tigurum emigraret. [3]) *Albrechtus Dürrer*, pictor nobilis Norinbergae. (Simml.) [4]) Cfr. Epist. LXVI. anni 1522.

liciter succedunt. Sed iam vale. Saluta nomine meo *Ioh. Iacobum Ammannum* oppido charum, *Conradum*[1] tuum et *Luthenum*.[2] *Bas.* ex aedibus nostris XIII. Kal. Febr. 1523.

Quod ipse ad disputationem venire nequeo, non solum negotia in causa sunt, quanquam haec maxima, praesertim absque hypodidascalo, sed etiam morbus meus, qui etsi totus resedit, equitationem nunc evitandam censeo, ne gravius decumbam. Vale.

IV.

OECOLAMPADIUS AD ZUINGLIUM.

Salve mi Huldrice! Quocunque tandem spiritu doctus *Wuneckius* in nostra sacraria irrumpat, mihi, cum omnes disputationes parum probentur, utpote ostentationis et contentionis alumnae, tum haec, quae nobiscum habebitur, minime; nisi, ut meretur, ridiculum quoddam sit carnis triviale, quod vocant. Quis enim bonus vir, cui christiana mens, et cui cordi est pax, quam nobis tantopere commendavit Christus ipse, vellet temere in arenam descendere, unde commodi nihil, sannarum plaustra reportet? Quid aliud in tali conventu speraretur? Beatus qui non abit in consilium impiorum. Aut, non est haec impietas, velle tam abominabiles idolorum et dogmatum statuas denuo excitare, velle sub ovium habitu et pietatis titulo iterum lupinam nobis rabiem invehere, velle tam adversa christianae sinceritati adeo pertinaci insania defendere? *Μὰ τὴν ἀλήθειαν, ἀχαδημίαι εἰσὶ τοῦ διαβόλου πορνεῖα, ὡς αὐτὸς ἔφη.* Prudenter Tu agis, quod domi Tibi manendum censes.[3] Cavebit sibi a fecibus illis optimus quisque. Tametsi doleo, quid futurum sit. Triumphatores se dicent, et ex ioco nascetur serium. Pro victoribus venditabunt se plebi stultae, malas suas consuetudines semper nimium amanti. Ita malis artibus explantare vult diabolus quod nondum recte plantatum. Tales nobis subornat Sanabalatos et Tobias, et ridiculos quidem, malignos tamen. Verum de his, quae hic, ita male auguror; de his autem, quae istic, bene spero. Tantum citra contentionem negotium agatur. Nosti frater, descendere Christum sicut pluviam in vellus; non esse turbulentum neque clamosum. Opinor, sapientissimum Senatum tuum, etiam nullo admonente, et, ut aiunt, *ὄπισθεν κινούμενον*, curaturum probe, ut reiectis forensibus scholasticisque ambagibus et strophis, vernaculo idiomate, brevibus et apertis verbis res agatur, et maxime, ut utrinque absint convitia et aliae litium materiae. Alioquin quis felix futurus exitus? Obnubilata affectionibus pectora quomodo lucem videre possent? Quo pacto se hostibus suis crederet veritas? Quomodo *τοὺς ἀνοήτους καὶ ἀνοσίους ἐκείνους* intra adytum summus sacerdos admitteret? Audio enim contentiosos quosdam affore, qui mittentur istuc, non ut veritatem indagent, sed ut victores domum re-

---

1) *Schmidius*, Commendator? 2) *Henr. Lüthi*, diaconus Zuinglii. 3) *Wonneck*, doctor, theses Basileae promulgavit, de quibus disputaturus esset ad Lutherum haereseos convincendum. Sed eruditorum nemo hominem vanum dignatus est, quocum in certamen descenderet. (Kirchhofer, H. E. 339.)

deant, quibuscunque id artibus fiat. At tu, carissime frater, attende Tibi ipsi et gregi tuo. Nihil moveare titulis illis Magistrorum Nostrorum, Doctorum, Vicariorum, Praelatorum. Umbrae sunt *καὶ ἀσώματοι σκιαί*. Quo plus titulorum, eo minus rei. Habes spectatorem Christum. Huic in causa optima fidito, et soli placere satis puta. Serva erectum animum, serva et modestiam. Ceterum Dominus, prout noverit utile, moderabitur negotium totum. Vides quam Te familiariter utor, et arenam ad litus adveho, ipse nusquam rebus meis recte prospiciens; sed dabis amicitiae. In Christo nec ineptire mecum ingratum Tibi esse potest. Dominum *Conradum* Commendatorem[1] salvum esse opto. Vale. *Bas.* die S. Agnetis 1523.

Io. Oecolampadius tuus.

V.

ADRIANUS[2] PAPA VI.

Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem! Remittimus venerabilem fratrem, *Ennium*,[3] Episcopum *Verulanum*, Praelatum, domesticum nostrum et Apostolicae Sedis nuncium, hominem prudentia et fide praestantem, ad istam invictam, nobisque et huic sanctae sedi coniunctissimam nationem, ut de maximis rebus, nos, eandem sedem totamque Christianam rempublicam concernentibus, cum illo agat. Licet autem ei dederimus in mandatis, ut ea communiter cum omnibus et publice tractet: tamen cum de tua egregia virtute specialiter nobis sit cognitum, nosque devotionem tuam arctius amemus ac diligamus, ac peculiarem quandam in te fidem habeamus, mandavimus eidem Episcopo, nuncio nostro, ut tibi separatim nostras literas redderet, nostramque erga te optimam voluntatem declararet. Hortamur itaque devotionem tuam in Domino, ut et illi omnem fidem habeat, et quo nos animo ad honores tuos et commoda tendimus, eodem tu in nostris et dictae

---

[1]) Conrad Schmid, Commendator Kussnaci. [2]) *Adrianus* VI, filius textoris sericorum, cui patria Ultraiectum, praeceptor Caroli V, professor et cancellarius vicarius universitatis *Lovaniensis*, tum episcopus *Dertosae* et praeses regius *Hispaniae*; tandem 9. Ian. *1522 pontifex*. Aulae suae emendationem serio volebat, corruptionem eius non diffitens. Per suum legatum Ennium foedus anquirebat cum Confoederatis, ac praeprimis Tigurinorum favorem ambiebat. Hoc consilio affectabat praesertim opem Zuinglii, sine dubio gnarus, quanta esset auctoritate et gratia. Quum hae literae demum 23. Ian. 1523. Romae expeditae essent, per legatum non ante disputationem Zuinglio tradi poterant. Quantum referret Pontificis Zuinglium ipsi conciliari, declarat epistola Pontificis eodem tempore data ad *Franc. Zinkium*, amicum Zuinglii, per quam mandavit, ut nihil non parceret, quo Zuinglium in Pontificis partes inclinaret. Zinkius aliquando rogatus a Myconio, quid Pontifex Zuinglio polliceretur, respondit: Omnia usque ad thronum papalem. Omnia vero sprevit Zuinglius. E vita decessit Adrianus VI. 14. Sept. *1523*. [3]) *Ennius*, episcopus *Verularum*, inde a 1520 non semel ad Confoederatos legatus de auxiliis conducendis; quam ob causam, perinde ac *Schinnerus*, quasvis artes machinabatur, indulgentias, discidia civitatum, populique sollicitationes ac turbas.

sedis Apostolicae rebus procedas; de quo gratiam apud nos invenies non mediocrem. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo piscatoris. Die 23. Ianuarii anno 1523. Pontificatus nostri anno primo.

VI.

MELCH. MACRINUS D. HULD. ZUINGLIO TIGURINAE ECCLESIAE EVANGELISTAE, FRATRI IN CHRISTO CARISSIMO S. D.

Scripseram iam diu ante plenissime, quid in meo negotio actum esset; sed quia commoditas ad Te mittendi literas hactenus nobis defuit, post vulgatum illum rumorem nonnulla decernendi apud vos Christianismi negotia, decreveram ipse epistola esse. Verum nec hoc quidem concessum mihi est, quippe urgentibus me passim quum ludi πραγματιοις tum Canonicorum meorum [1] importunitate. Summatim tamen prospere cuncta in hoc successerunt negotio, [2] quod tu plantasti ac rigasti. Deus vero incrementum dedit. Ut autem singula acta sint, ex D. *Seb. Meyer* [3] intelliges, qui rei huius α καὶ ω fuit. Deus O. M. conatus tuos prosperet. Saluta *Val. Scudum* et *Grebelium*, et ecclesiam quae apud vos est Christi. *Solod.* 25. Ian. 1523.

M. M. tuus.

VII.

ULDRICO ZUINGLIO GLAREANUS S.

Iratam epistolam scribo non tibi sed hostibus tuis, nec illis quavis de causa, sed ob iustam causam. Stetit ad solem *Uldricus* sacerdos, bonus vir, ad officinam fabri argentarii; advenit D. *Gebwilerus*, [4] Dochtor Hänsly mit dem lampachten Hösli. [5] Rogavit aurifex, num Universitas quem missura esset *Tigurum* ad congressum illum? Homo tum bellus, ut est praeceps et iracundus: Es wärind alls Buben, die gen *Zürich* uf die Disputation giengend, [6] dixisse fertur; und wär der Zwingli auch ein Bub. Sacerdos tum modestiam ex eo postulavit, sed tantum abfuit, ut compesceretur, ut alia congesserit crimina. Zwingli wär ein Bub und hätte Ketzerey geprediget. [7] At vero tum sacerdos poscere in testes et aurifabrum et famulum illius. Nec multos post dies tibi hoc scripturum sese stipulatus est. Haec ita ad me retulit sacerdos, nec interim usquam apparuit *Gebwilerus* ille mihi. Atque id fortassis et commodo meo et illius. Neque enim continerem me, quin aliquid illi loquerer. Qui etsi sit homo stultus planeque indoctus, tamen haec spargit, si non compescat eum quispiam. Si, ut non dubito, res tua feliciter cesserit, poteris inire rationem cum senatoribus tuis, si a Se-

---

1) Canonici in monasterio ad S. Ursum. 2) Disputatio Soloduri. 3) Senatus Solodurensis *Sebast. Meierum* in disputationem advocaverat. 4) Vid. epist. III. n. 4. 5) Doctor Hansellus cum pendulis feminalibus. 6) Omnes esse verberones, qui Tigurum irent in disputationem. 7) Zuinglium verberonem esse, actorem haereseos.

natu unus alterve Tecum huc mitterentur ut iuri sisteretur. Invisus est Senatui: nam priore aestate, cum ab Universitate Rector electus esset, Senatus eum agnoscere noluit, coactaque est Universitas alium Vicerectorem (ita enim appellant) creare. Cetera de illo ceterisque ganeonibus recitabit *Iacobus* ille vir plane modestus et sane christianus. Neque enim volo nunc te diutius obtundere. Si adveniet vel *Faber* vel *Geckius*,[1] tracta illos ut meruerunt; neuter germanica lingua promtus est, ut aiunt, qui eos noscunt. Latine quod sciant, in promtu est. Non dubito te cum modestia omnia acturum. Iam vale. *Bas.* 7. Cal. Febr. 1523.

Albertus Dürrerius[2] mecum fuit; quare non est nunc opus, ut cum *Myconio* conferas quicquam, nisi ut me illi plurimum commendes.

VIII.

ZUINGLIUS AD N. A LANDENBERG[3]

EQUITEM ROMANUM ET COMMENDATOREM IN KÖNIZ, DOMINUM SUUM GRATIOSUM, IN PROPRIAS MANUS.

Gratia, misericordia et pax Christi sit vobiscum! Vestras literas, ad me datas recte intellexi, ut spero. Quum vero iam respondere curo, intervenit mihi primum inscientia Vestri loci et dignitatis, quam tamen, quoad licuit, e literis et nuntio sum assecutus. Deinde quod ignoro, qua ratione vitam vestram toleraturi essetis, si talem conditionem pertaesi desereretis. Sed utcunque haec se habeant, arbitrabar mihi convenire, Vobiscum christiana cum benevolentia sincere et ingenue loqui. Ordior igitur hunc in modum: Cuncti fere mali mores e doctrinae Christi defectu serpserunt: nam si lumen relinquitur ac tenebrae magis diliguntur, mirum non est quod gravis capit homines error. Deus non est alligatus ulli urbi, nec Hierosolymae nec Romae; est ubivis terrarum, et qui ipsum certis locis circumscriptis monstrant, falsi sunt Christiani, vel adeo adversarii Christi. Quare sinistrum propositum esse videtur Hierosolymam propugnare, nedum bellis recuperare. Hierosolyma magnam mihi fidem Evangelii facit. Nam sic profatus est Christus: Hierosolyma conculcabitur a gentibus, donec aevum gentium consummatum fuerit. Ecce gentiles! Quid pugnare libet, dum cernimus, haud aliter placere Deo. Vester igitur ordo si Hierosolymam affectat, ego quidem nescio, quae hominum ratio, vel quae sacrorum oraculorum auctoritas id consilii comprobet. Veruntamen hac in re aliquantum cedi debet ei tempori, quod humana opinione et sapientia deceptum iudicat, magnam religionis partem in eo constare, ut sacros (quos ipsi nuncuparunt) locos et fundos defendant vel affectent; quod vanum esse supra diximus. Praeterea putant, ordinibus, factionibus sive sectis colendis

---

[1]) *Io. Eckius.* [2]) Vid. epist. III. n. 8. et XXXIX. 1519. [3]) *Albrechtus a Landenberg*, Commendator Koenizi ad Bernam, se totum evangelicae doctrinae addixit, ac Berna diu ambigente in agrum Tigurinum discessit. (Wirz-Kirchhoferi H. E. II. 299 — 301.

coli numen divinum, quamvis, ut Christus pronuntiat, Deum frustra honorant, qui secundum commenta placitaque humana honorant. Quid sunt ordines? Humana commenta. Ergo vana. Nam vox Christi (Matth. XV.) fallendi nescia est; humana doctrina et praeceptio vana. Atqui ordines humanae doctrinae sunt ac praescriptionis. Ergo ipsi quoque vani sunt. Hic nihil valet quod obloquuntur: si quis homini spoponderit, tenetur promissis. Omnino vero! Homini promissum servet oportet pariter ac Deo, Deoque pariter ac homini; sed utrique hoc tantummodo praestare, quod Deo sit gratum et acceptum. Quod contra si spondeas Deo parum probata, illa vox te feriet: Quis huiusmodi quid a tua manu poposcit? (Ies. I.) Deo nihil odiosius quam sectae, ordines, discrimina; omni tempore fas est levare se rebus, quae contra Deum sunt, ac liberae misericordiae Dei committere eamque tenere. Haec hactenus. Facite, quod Deus imperabit. Ne quid autem conemini, quod gravem cuiquam sollicitudinem importet. Dei causa non modo pusillum bonorum caducorum, sed omnem mundum missum faciamus, oportet. Nihil amplius, quam votum, ut Deus vos tueatur ac moderetur. Si coram loqui vobiscum liceret, copiosius rem dissererem. Nolite succensere propter titulum. Tiguri, 2. die Febr. 1523.

Huldricus Zuingli, Vestri semper studiosus.

8.

Zwingli an N. von Landenberg

deutschen Herren und Comthur zu Cuniz sinem günstigem Herrn in sin Hand.

Gnad, Barmherzigkeit und Frid Christi Iesu sey mit Euch. Euer Schreiben, mir gethan, hab ich vernommen als ich hoff. So ich aber Euch antworten begehre, gegnet mir zum ersten das Unwissen eueres Standes, den ich doch so viel mir möglich aus den Briefen und Boten ermessen. Darnach, dass ich nicht weiss, wie Ihr Euch würdet oder möchtet enthalten, so Ihr solcher Ordnung Euch beschwerend verliesset. Aber dem sey allem wie es wolle, mein ich, mir zieme mit Euch christlicher Meinung lauter und wahrlich zu reden. Heb also an: Fast alle Missbräuche sind erwachsen aus dem Abgang der Lehre Christi. Denn so man das Licht verlasst, und hat die Finsterniss lieber als das Licht, ist es nicht ein Wunder, es trefflich geirret wird. Gott ist an keine Stadt gebunden, nicht gen Ierusalem, nicht gen Rom; ist allenthalben, und die ihn an eignen ausgezielten Orten zeigen, sind falsche oder Antichristen; darum eine schlechte Meinung ist, Ierusalem oder Rom behalten, geschweige mit Kriegen gewinnen. Ierusalem macht mir einen grossen Glauben am Evangelium, so es von den Ungläubigen inngehalten wird. Denn Christus hat geredt: Ierusalem wird von den Heiden zertreten, bis die Zeit der Nationen erfüllt wird. Ihr sehet die Heiden da! was wollen wir fechten, so wir sehen, dass Gott es anderst will? Ist nun euer Orden auf Ierusalem angesehen, weiss ich nicht, aus was Vernunft oder Schrift das Grund hab. Doch ist in dem Ding etwas derselben Zeit nachzugeben, die sich Menschensinn und Weisheit

hat lassen verführen, nemlich gemeint, es sey ein grosser Gottesdienst, die heiligen (also haben sie sie genennt) Stätte, Stifte beschirmen oder suchen, das doch vergebens, wie obsteht; dabey auch gemeint Orden, Rotten oder Sekten ansehen, sey Gottesdienst; so doch Christus redt Matth. XV, 9. „Sie ehren mich vergebens, so sie mich ehren mit den Lehren und Geboten der Menschen.“ Was sind Orden? Menschliche Erfindungen. So sind sie vergebens; denn das Wort Christi (Matth. XV, 9.) mag nicht liegen. Menschliche Lehr und Gebot ist vergebens. Orden sind menschliche Lehr und Gebot. Beschluss: so sind sie auch vergebens. Hie hilft kein Einreden: Verheisst einer einem Menschen, wird er schuldig ihm zu halten. Ia billig sollst du dem Menschen dein Geheiss halten so wohl als Gott, und Gott sowohl als dem Menschen, aber ihnen beiden nur das leisten, was Gott gefällig ist; sonst wenn du Gott verheissen willst das, was er nicht begehrt, so mag zu dir gesprochen werden: Wer hat das von deiner Hand erfordert? (Iesai. I.). Gott ist nichts widerwärtiger denn Rotten, Sekten, Orden, Unterschied; daher einem ieden Menschen zu aller Zeit ziemt sich änig zu machen von dem, das wider Gott ist, und sich in die freye Barmherzigkeit Gottes zu lassen und sich derselben zu halten. Hiebey lass ichs bleiben. Thut als Euch Gott heissen wird; fanget aber nichts an, das bärlich Unruhe jemand bringen möchte. Um Gotteswillen ist nicht nur ein kleines zeitliches Gut, sondern die ganze Welt zu verlassen. Nichts mehr, denn: bewahr und walt Euer Gott. Möchte ich mündlich mit Euch reden, wollte ich Euch weitern Bericht geben. Zürnet nicht von der Titel wegen. Geben Zürich 2. Tag Hornung 1523.

Huldreich Zwingli, Euer allzeit williger.

IX.

GLAREANUS ZUINGLIO SUO S. D.

Gratulor Tibi, imo non Tibi sed Evangelio, quod feliciter vicit.[1] Ita benignus est Christus. Ternas nunc mitto literas, ad quas quod nihil responderis, non equidem miror, imo vero ne sollicitus sis velim. *Gebwilerus* ille, cum audit tragoediam illam et verba turpissima, quae de Te dixit temereque effutivit, a me perscripta *Tigurum*, iniit suae sortis consilium. Tandem invenit, eundum esse ad Decanum summi templi, qui nunc senioris Episcopi munia obit. De Sacerdote *Uldrico* conqueritur, quod is verba sua aliter atque dicta sint, interpretetur. Convocatur Sacerdos; pro tribunali sedetur, in primis ille *a Diesbach*, Decanus,[2] *Liechtenfels*, *Andlow*, et nescio qui alii, Pontifices et Vicarii. Porro, ut res gestae erant, a sacerdote dicuntur: Dixisse in Te, et in nomen Tigurinum: „Es sygint Buben und Leker, die diese Disputation angesehen heygind und der *Zwingli* sey ein Bub, und heig Kezerei gepredigt.“[3] Tum admonitum, ne talia diceret in urbem Tigu-

---

[1]) In disputatione. [2]) *Nicolaus* a *Diesbach*, Decanus cathedralis *Basileae*. [3]) flagitiosos esse homines, qui ad disputationem appulissent animum; Zuinglium haeretica docuisse.

rinam, et in Te; adesse homines hic, qui talia pati nequeant. Cum ab insania non desisteret, dixisse, *Glareanum* haec statim scripturum, si rescierit; atque adeo dein dixisse mihi, neque scripsisse. Multa alia effutivisse dicitur. Sed ad omnia fortassis connivendum erat, si de haeresi tacuisset: quanquam urbi Tigurinae neutiquam silendum existimo, quam puto optimo animo haec et voluisse et mandasse. Dicitur flevisse ante Episcopum. Tu videto, quid in re tali agendum censeas. Ego sane velim obstrui os talibus, qui ubique haereticos Evangelicos appellant. Nunquam interim visus est doctorculus ille, invisus Senatui alicubi sedet domi suae. Episcopus sane cum audiret, civitatem Tigurinam his verbis petitam laesamque, concilium dimisit. Ego ut certus scriberem, adii aurifabrum eum, qui una cum famulo haec audierat. Uterque idem asseverat, constantissime te haereticum appellitasse. Priorem tamen propositionem sic variant, ut alii dicant, ita eum verba protulisse: Es wird niemand uf die Disputation gan, dann Lecker und Buben.[1] De te nihil variasse, sed identidem appellitasse ein Ketzer und Ketzery geprediget, und eim Bidermann sin Wib entführt, und by ihr Kind gehebt, drum dass man üch kein Wib heig wellen lassen.[2] Contentio cum sacerdote aliquamdiu duravit, sed testimonia in eum sunt manifesta, quamquam famulus plura audierit; quippe cui est familiaris stultus ille Magister, duntaxat de haeresi testatur, quod saepius te haereticum appellitaverit, haereticasque tuas conciones. Bone, si otium tibi suppetet, scribito mihi, quid *Valentinus*[3] noster Glareanus plantet, quem credo Evangelium sedulo praedicare. Sed nolo diutius te obtundere. Vale felix. *Erasmus* pituita vexatur, de quo plura tibi. Tu de illo optima speres. Bonus est, noster est. *Bas.* pridie Non. Febr. 1523.

Salutat te S. P. Q. R.

X.

HEDIO ZUINGLIO.

Salve in Christo! Sive hoc occupationibus adscribam, quae tamen mediocres sunt, sive tabellariis, quae communis est excusatio, certe iam diu nullas ad Te literas dedi, neque Tu contra ullas ad me, *Zuingli*, in Christo frater charissime. Neque vero tam infirma est amicitia nostra, ut huiusmodi adminiculis egeat apud eos cumprimis, quos eadem professio, et idem ministerium arctissime conglutinat. Nulla mihi obrepsit oblivio Tui, neque Tu patiebaris, etsi hoc ambivissem, editis in publicum aliquot eximiis libellis, partim Germanice, partim Latine scriptis. Legi de delectu ciborum, legi Architelem contra Constantiensem bullam, Apologeticon videlicet. Supra modum placuit. Ubi olfacere potui quid Tu *περὶ κυνοχαίτης*. Nuper vero amici *Basileenses* scripserunt, decretum per Senatores Tuos, ut concionum Tuarum publi-

---

1) *Valent. Tschudi*, pastor *Claronae*. 2) Nemo in disputationem ibit praeter petulantes homines et flagitiosos. 3) haereticum, haereseos actorem, qui maritam viri honesti corruperit liberosque ex ea genuerit, propterea quod matrimonium non fuerit permissum.

eam reddas rationem, inque hoc vocatos *Constantienses*. Neque hoc displicuit, quandoquidem scio, Te lubentissime hoc facturum, vel Petri praecepto. Et est, quod sperem inde plurimum utilitatis toti Germaniae. Erit hoc pulchrum exemplum et aliis civitatibus. Passim enim sunt, qui Christum asserant, et huius nomine seditiosi, irreverentiales haeretici, et huiusmodi convitiis sexcentis traducuntur. De me nihil dico, qui in medio nationis pravae, distortae et adulterae inque domo ipsa exasperatrice versor. Hostes habeo pertinacissimos, qui nullum non movent lapidem, quo me perdant, non aliter, quam Amasias contra Prophetam Amos agebat; sed frustra, inquit ille, sine viribus ira. *Κύριος ἐμοὶ βοηθός*. Rursus vero non desunt, quibus sum bona fragrantia. Vocatus fui superioribus diebus ad aliquot conditiones, non minus honestas; tamen animus est adhuc hic docere Christum, si ita visum est Domino; sperans non obfuturum rebus innovandis, quando hic Metropolis, et prima Germaniae cathedra; etsi ubique Christi bonitas et misericordia, cui mea industria nec vult nec potest modum praescribere. Tu, quod facis, fortissime vir, leva signum, praedica, et noli celare. Cur enim tandem et perpetuo operarii isti iniquitatis moerere faciunt cor iusti mendaciter, quem Dominus non contristavit, et confortant manus impii. Gratia Deo, qui talem spiritum in Te suscitat. Decretum *Norabergae* de instituendo generali concilio, quod intra spatium anni incipiet. Pontifex cogetur annuere, ni velit periclitari suum in Germanos imperium. Ubi ubi fuerit, volente Domino conveniemus. Sunt qui putant *Moguntiae* futurum, sunt qui *Norabergae*, et is locus omnium maxime videretur convenire. Senatus isthic, ut audio, omnium prudentissimus et populus pulchre praeditus christiano iudicio. Rogaverim Te, per Christum, ut seriem disputationis Tuae mihi scribas futuris nundinis. Avidissime hoc scire cupit ecclesia fratrum hic, qui omnes *Zuinglium* amant, venerantur et adorant; ego vero inprimis. Inscitia *Constantiensium* iam olim mihi perspecta. Ego qui nihil sum, haud magis curem istos, *ὡς εἴ με γυνὴ βάλοι, ἢ παῖς ἄφρων* etc. Eximium virum, *Conradum Fabri*,[1] haud dubie a partibus Tuis stantem, M. *Leonem Iudae*, et quotquot invocant nomen Domini, ex me salvere iubeas. Christus Opt. Max. Te diu nobis incolumem servet. Vale vale. *Moguntiae* X. Febr. 1523.

Caspar Hedio, Concionator *Moguntinus*.

Inscriptio: Clarissimo Theologo, *Huldrico Zuinglio*, Episcopo vere apostolico apud Tigurinos, fratri suo in Christo carissimo.

XI.

OTHO BRUNFELS ZUINGLIO
AMICO CANDIDO ET PIO.

Vehementer probo constantiam tuam atque animum illum in te vere invictum et christianum. Sic perterrendi sunt hostes Christi. Perstan-

---

1) *Conr. Schmid*, Commendator Kussnaci.

dum, perrumpendum, audendum. Hac una re tantum est opus ut perseveremus, et ne sinamus extorqueri nobis gladium verbi Dei. Atque sic fiet, ut sponte concidant triumphemusque nos. Utinam exemplum tuum sequantur, qui iactant ab Evangelio se esse! Certe huc ventum est, ut non omnino male sit sperandum nobis. Passim floret Evangelium praeterquam apud *inferiores Germanos* et *Brischoios*. Sed et illis quoque restituet mentem Christus. Dimidius annus est, quando cum commendatitiis literis iussit ut ad te irem *Nesenus*, communis noster amicus. Ab amicis autem retentus sum in oppido *Nueburgo*, quanquam necdum desponderim illum animum ut eam. Si enim perseveraverit persecutio illa, quae apud nos iam regnat, atque locus mihi fuerit relictus suffugii: non spernam illud consilium Christi ut fugiam de una civitate in aliam. Spero autem apud vos liberum mihi esse et scribere et dicere, quae evangelica et seditiosa non sunt. Conditionem meam tibi scripsit fortasse *Nesenus*; aut si non scripsit, aliunde aliquando scies, quam ex me. Credo, si me noveris, sponte aliquando me arcesses. Novarum rerum nunc nihil habeo, nisi quod pessimo omine captus est senior filius *Sickingii* a *Palatino* tyranno et quidam etiam alii primae sortis, in quibus omnem spem suam collocaverat *Franciscus*. Multa nobis de hoc viro spes fuit, sed ruunt et labant illius omnia, et nedum illius, sed omnium, qui iam Evangelium amplectuntur. *Huttenus* noster male habet et nos alii passim profligamur. Exibilamur per omnes terras, et certe nescio, quid sit mihi suspicandum mali. Spiritus Christi cum spiritu tuo! Amen. Bene vale. Saluta *Leonem* et omnem christianum fratrem. Raptim domo Franciscorum. *Nuiburgi Brischoiorum*. Id. Febr. 1523.

XII.

ZUINGLIO SUO GLAREANUS S. D.

Mirum vero cur tamdiu nihil abs Te literarum accipiam. Scripseram ego Tibi de *Gebwileri* Doctoris negotio, id quod ex christiana caritate debui, tuam et cuiusvis proximi famam indigne laesam defendere. Scripsi tamen modeste, atque ita scripsi, ut nihil adderem, quam quae testibus fide dignis probare possum. Et neque rem exaggeravi, ut plerique solent. Denique in id feci, ne aliis plus fidei dares, qui fortassis plura, quam ego scripserim, retulere; quanquam id nimium, quod ille dixit, et quod nescio an bonus ullus vir vel ageret vel pateretur. Sentio poenitere eum, atque apud amicos vehementer detestari; imo vero nescire se, si unquam tam demens fuerit, ut talia exciderint verba, dicere. Id cum saepe apud amicos quosdam meos protestatus sit, dolere se si dixerit, ac re vera nescire se si dixerit: intercesserunt amici mei, ut id amicitiae darem, ac nomine cum illorum tum meo apud Te intercederem, lenirem iram, iustam quidem illam, sed fortassis condonandam amicis; praesertim cum testimonio bonorum virorum facile is ad palinodiam apud eos, ad quos talia dixerit, adigi possit, et is etiam nunc poenitentia ducatur, quanquam satis sera, ut verum fatear. Accidit

illi, quod plerumque senibus deliris: cum omnibus temporibus non admodum frenatae linguae fuerit, nunc maxime stultescit. Id quod in *Wonneckio* propemodum ad simile conspicimus. Haec ita a me scripta intelligas velim, ut ab eo, qui amicis id dederit; sed tamen, ut de Tuo Tibi iure nihil derogare voluisse me, prorsus putes. Sint Tibi omnia integra. Ego intercedo tantum. Omnia in tuo sint arbitrio. Omnia ut consultissima putaveris, facito. Amicis denegare id non potui, quibus obsequi in tempore prudentis est. Nihil dissuadeo, ne levitatis quis me arguat. Intercedo tantum, si commodum Tibi videbitur; nec illius causa, qui nunquam quicquam de me meruit, sed amicorum. [1] Tu omnia boni consulas etiam atque etiam oro. Vale felix. *Bas.* ex aedibus nostris ad 16. Cal. Mart. 1523.

Salutat Te S. P. Q. R. quem nuper egregium institui.

Inscriptio: D. *Uldr. Zuinglio*, Theologo vere christiano, Ecclesiae Tigurinae Episcopo, amico nostro summo.

XIII.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Salve in Christo. Narraverunt mihi fratres, dulcissime *Zuingli*, disputationis vestrae totam historiam et iterum gratulandi materiam nactus sum. Evenit, ut sperabam. Neque certior ulla spes mihi fuit. Sciebam, Christum causam suam non derelicturum. Prope est omnibus in veritate sese invocantibus. Ceterum, quod ego non comparuerim, opinor non opus esse alia excusatione, quam non satis opportune literas tuas redditas: nam de negotiis et hiemis saevitie non admodum conquerebar. Verum, etiamsi affuissem, ut audio, tam inermes prodierunt adversarii, ut praerepta tibi sit occasio, robur viresque tuas experiundi. At quid non imbelle et languidum, quod veritati se opponit? Quam quia Tu semel defensandam suscepisti, certissimum habes, quod et Te tuebitur saevientibus etiam omnibus inferi portis. Desideratissimum est colloquium tuum; idcirco quamprimum feriatus fuero, animus mihi est, Te invisendi, ut animum meum aliquanto notiorem habeas, quam literae indicare possunt. Tu interim vale cum omni ecclesia tua, ecclesiaeque tuae magistris, quorum caritati ac precibus commendatus esse cupio. Iterum vale. In die Iuliani martyris.

Tuus *I. Oecolampadius.*

XIV.

HULDRICUS ZUINGLIUS

AD WERNERUM STEINERUM SALUTEM.

Non sum nescius, carissime *Wernere!* quam recte de Christi doctrina sentias. Unde hac parte monitore non opus habeo: ita enim de

---

[1]) *Gebwilerus* veniam scripto petiit ab senatu Tigurino, ut qui ignoraret, quid locutus esset, ac de Zuinglio nil nisi honestum ac bonum dicere sciret. Episcopus, capitulum cathedrale atque universitas pro eo deprecati sunt itaque causa composita. (Wirz-Kirchhof. H. E. II. 254 sq.)

te persuasus sum sentiendum esse, ut de pio Christi discipulo, qui cupiat cunctos Christo lucrifacere, nisi quosdam perniciosa coecitas in transversum sensum ageret, qui secundum quod caeci sunt videntibus etiam dicunt: Videte nobis falsa et vana, praedicate nobis errores, dicite nobis placentia! Christum unicum animarum nostrarum praesidium exibilant; Christi praecones contumeliis adficiunt, quin eo proh dolor ferociae veniunt, ut proximum quemque parum humaniter tractent. Nihil possunt apud quosdam divina iura, humana vero (ius naturae intelligo, ne forte fortuna putes, me de Antichristorum traditionibus loqui) ita proculcant, ut de eis nihil melius, quam de crocodilis, tigridibus, leonibus ursisque sperare audeam. Sed sunt ista mundi huius mala, quibus Deus fideles suos probat. In Christo dico, non mentior, nullum nos dolorem tantopere macerare, atque quorundam Helvetiorum incredulitatem; ea me omni momento comitatur, flagellat, terret, non certe, quod mihi male timeam, sed quod illis. Iam enim veluti ob oculos volat omne genus mali: nam malignitas non longe abest, apud proximum quemque habitat; proinde autem et adflictiones adeo minaciter nos expectant, ut, si nos pro sua atrocitate aliquando excipiant, vereor, ne non ferre possimus, et tamen ferre cogamur. Fiat voluntas tua, Domine! — *Franciscus* rem omnem fideliter, non dubito, reddidit; quapropter admonitione nostra opus nihil habes. Ego articulos istos nunc diu noctuque laboro, ut explicem.[1] Ibi Tu quoque communem Christum orabis, ut me labi nusquam sinat: erit enim veluti farrago omnium opinionum, quae hodie controvertuntur. Scribo autem germanice; nam conclusiones quaque germanica lingua prodierunt. — *Faber Constantiensis* vehementer audax est ad effutiendum, quidquid in buccam venerit, sed nactus erit aliquando aliquem ultorem et incidet in cotem novacula. Quanquam ita inops est sanae doctrinae, ut mihi videatur, quidquid aliquando doctus fuit in re christiana dedidicisse *Romae*, nec iniuria. quid enim Romae cum Christo? Hunc si illo ausus fueris portare, mirum ni vapules. Novi nihil est, quod scire Te magnopere referat. Si vero quid occurrat, certiorem reddam. *Constantia* suum apostolum habet, *Vannium*, praedicatorem, quem etiam contra pontificios Scribas et Pharisaeos fortiter defendit;[2] hinc futurum spero, ut fori Constantiensis rabulae sint brevi minores futuri. Saluta nostro nomine *Barthol. Stockerum* et, quae apud vos est, Christi ecclesiam, quam et firmabis indesinenter sana doctrina et docebis, ne sibi metuant, tametsi pusillus grex sint. Ego enim tot negotiis implicor, ut hac vice nihil ad eam scribere liceat; quum vero dabitur, lubens ad eam scribam. Servet te Christus cum ea incolumem. Ex *Tiguro* XIX. die Febr. MDXXIII.

Huldricus Zuinglius, tuus.

Postscriptum: Pisces optimos misisti dono, gratia Deo, qui ut gustum delectant, ita animam laetificant, quod ab amico tam nostri stu-

---

1) Expositio Thesium. 2) Factio episcopalis consilium ceperat, ipsum noctu deripiendi ex urbe, atque in manum episcopi tradendi. Senatus ei providit. (Füssli, Epp. Ref. n. 1.)

dioso missi sunt. Haec ab utroque tibi dicta accipe, puta, tam a *Leone*, quam a nobis. Iterum vale.

XV.

IOH. ALEXANDER BRASSICANUS HULDRICO ZUINGLIO.

Quum nuper *Constantiam* venissem, eruditissime *Zuingli*, reperi apud *Fabrum* meum [1] (sic enim appellare soleo quemcunque tandem honestissimum studiorum societate mihi devinxero) epistolam quandam tuam, ut amicam, ita et amicis omnibus exhibendam. Quam cum integram perlegissem, nimirum ita tibi deditus, ut summa cum attentione, quicquid ex officina tua prodierit, evolvam: admiratus sum et ingenii tui dexteritatem, et iudicii non vulgaris integritatem inaestimabilem. At non est quod isthic mire mihi displicuit. Si tamen hoc est displicere. quod in tali amico cupias emendatum esse, qui ceteros item velit et possit emendare. Atque is est ille scopulus, in quem te nolim impingere, praesertim qui tam inconcussa sententia regulam illam evangelicam tueare. Minaris *Fabro* nostro nescio quas invectivas. Addis aliquot e doctis tecum expostulasse, quo mores illius omnes tanquam in tabula depictos orbi proponas. Quasi sit hoc evangelicum hominem esse, statim traducere, quem non possis in tuam sententiam perducere. Nosti, mi *Zuingli*, quam verum sit hoc Platonicum, si tamen non Platonicum videbitur illis, qui bonarum literarum causam tam odioso negotio coniunxerunt: *φθόνος ἔξω θείου νοεροῦ ἵσταται*, neque ego ignoro, quam eruditionem tuam insigni modestia praemunieris. Quamobrem si quid est quod per Christum a Te queam exorare, certe nihil est uspiam, quod tantopere cupiam, quam ut a *Fabro* nostro Tibi temperes, homine tantum laudando, quantum intelligi virtus potest. Quod si me tanquam Homericam illam Palladem postica monitione condocefacientem averseris, ac in *Fabro* deturpando perrexeris: ego quidem, quod ad me pertinet, *Fabro* meo non deero, neque parvo cum vitio deesse potero. Quanquam illi praesidiis evangelicis ampliter instructo nihil opus sit nostris machinis. Audio iam vulgum etiam exclamare, nihil aliud Evangelium esse quam pacem atque tranquillitatem. Porro quaenam gravior tempestas, quis turbo perniciosior esse poterit, quam hominem iuxta doctum ac innocentem mundo deridendum propinare. Haec ad Te scribo mi Zuingli, quo conceptae dudum de Te honorificae opinioni strenue respondeas, ne fors arrepto calumniandi negotio ab Evangelica sinceritate excidas. Bene vale et nos ama, qui Te semper observabimus, si tamen ipse Te, quod soles, observaris. Ex *Constantia* 1523. 20. Febr.

Tuus ex animo *Ioh. Alex. Brassicanus* L L. Doctor.

---

[1]) Vicarius Generalis Constantiae.

XVI.

H. ZUINGLIUS URB. WYSSIO

CAPTIVO CHRISTI CONFESSORI IN GOTTLIEBEN S.

Mox ut nuper scripseram, reddebat me quidam rerum tuarum certiorem, ut putabat, quod iam per concepta verba revocasses hoc, quod per Christi spiritum recte sentis: quae me res vehementer contristabat, donec petitionis Tuae ad *Vicarium* missae copiam abs te acciperem. Ibi sensi eum, qui me paulo ante certiorem fecerat, per quosdam fuisse deceptum, qui et ipsi rem non ex amussi perspectam habuissent. Didici ex hac copia, te laturum fuisse, si Vicarius quacunque tandem ratione te liberasset. Quod equidem vehementer fui admiratus, non tam quod te Christus mergi paulisper passus esset (nam Petrus se abiurantem restituit), quam quod eis, qui Evangelii Christi pessimis artibus, imo apertissimis mendaciis oppugnant, hanc gloriam cederes, ut de te ac per te de Christo apud filios huius saeculi triumpharent. Qui quam impudenter essent gloriaturi, hinc patet, quod iam infecta re a *Tiguro* solventes passim iactitarunt, quam nos magnifice vicerint, qui tamen haud magis viceruntquam hydra Herculem. Proinde constans esto; quod vere credis, ad mortem usque profitere. Qui enim usque in finem perseveraverit, hic salvus erit. Agunt amici omnes diligenter causam tuam; spero autem et Senatum *Tigurinum* in diem magis ac magis facturum. Tu interea dura! apparebunt quorundam brevi mendacia. Episcopus *Constantiensis* scripsit ad Senatum, te S. Scriptura victum cessisse; scripsit etiam neque ignem neque perpetuos carceres tibi unquam intentatos fuisse. Tu vero ista, si facta sunt, cave facta esse neges. Nam et Vicarius *Constantiensis*, dum apud nos esset, dixit coram Senatu palam, se apud te invenisse scelestissimam tum conspirationem, tum coniurationem. Unde nostris facile fiet manifestum, dum negotium tuum tractabimus, non nihil istius sceleris perluxisse. Episcopus item negat quicquam, quod ad me attineat nomenque meum, tentatum esse a suis; forte tamen fieri potest, ut clam eo rabulae isti aliquid consilii ceperint. Verum Tu persta, noli negare, quae fidis amicis ipse dixisti: nam ea erit tuae liberationis aptissima occasio. Plura nunc scribere non locus est, nec tempus: ita me distrahunt negotia, tum finienda, ut arbitror, cum dissolvar; omnia tamen possum in eo qui me confortat. Vale et christianum pectus te habere tolerantia et constantia proba. Ora Deum per Christum, ut te labi non sinat, aut inferorum portis cedere. Ecclesia nostra pro Te orat. Servet Te Christus incolumem. Ex Tiguro 24. Febr. 1523. Salvum dic nostro nomine *Martinum Luchsingerum*, militem de *Clarona*, qui apud vos est in praesidio.

Huldrichus Zuinglius Tuus.

XVII.

HULDRICUS ZUINGLIUS MAGISTRO I. ZIMMERMANN SIVE IUSTO KIRCHMEYERO, CANONICO LUCERNAE, SUO FIDELI.

Fratres carissimi! non est, quod vos multis turbem, ipse multis obrutus negotiis, eos, quibus paucissima possunt satisfaçere, quum unum hoc vobis significari cupio, nos vehementer exultare, quod pro nomine Christi digni habiti sumus apud vestros contumeliam pati. Res creditu certe difficilis, sed gratia Deo! nihil unquam adversitatis aequanimius tulimus; [1] unde vobis spes maxima nasci debet, Christum suis nunquam defuturum. Audio praeterea, Decanum [2] apud vos, nescio quae, axiomata promulgaturum contra me, ut defendat. Ibi ante omnia opus est, ut tuto possint omnes, quotquot veritatem quaesituri sunt, loqui, quae ad eam inveniendam faciant, fraudique non esse, quicquid liberius etiam dixerint; modo intra mensuram integritatis christianae sese contineant. Quicquid in ea re certi indicare potestis, oro, ut indicetis. Tabellio iste tutus est et fidus. Miratus sum vehementer, tanto me tempore nihil literarum a vobis accipere, [illegible] mirari desino, quum omnia, quae apud vos aguntur, contemplor. Servet vos D. Opt. Max. incolumes cum ossibus vestris, quas et salvas esse iubeo. Ex *Tigure* 1. Mart. 1523.

Domi meae non scripsi, ideo sigillum nostrum non indidi. Signa sint, *Ioh. Xylotecte*, quod contentionem *Eremi* inter Te et N. ortam diremi, et *Iodoce*, quod tecum in *Wolfgangi* domo coenavi. Ex domo *Leonis Iudae*.

Huldrichus Zuinglius.

XVIII.

IOH. XYLOTECTUS HULDRICO ZUINGLIO AMICISSIMO SUO.

Scripsissem ad Te iamdudum, nisi vel tabellionis fraudem, vel factionis cuiuspiam suspicionem veritus fuissem; praeterea septimana iam integra a *Lucerna* abfui. Habent etiam se res nostrae, ut nihil tutius sit silentio. De passione *Zuinglii* apud nos celebrata quid scribam? quum Tu omnia, quam ego, melius scias, quandoquidem ego interim, dum luderetur, *Solodurum* in amici cuiusdam negotiis petii, ubi nonnullos bene christianos minus christiane tractari comperi. *Phil. Grotz*, pastor, [3] ac *Melchior Macrinus*, ludimagister, plane humaniter me

---

1) „Aliquando ludibrii causa Zuinglium ad supplicium traxerunt, ut interfecturi haereticum, Tigurinosque spectatores esse iusserunt; quod quidem Tigurini admodum stomachabantur.“ Chronica Frid. Sicheri in Kirchhofer Helv. H. E. II. 307. 2) *Bodlerus*. Theses ab ipso promissae non venerunt in lucem. (ibid. 306.) 3) *Philippus Grotz*, Tugiensis, pastor urbanus Soloduri. Quum praecipitantior inveheretur de cathedra in aliquot praecepta ecclesiastica: abdicatus est. (Glutz.)

exceperunt, querentes interim, se una cum tribus aliis sacrificis officiis suis ac sacerdotiis privatos. Ita nebulo quidam cucullatus Senatum in eos concitavit. Apud nos dum silemus et aure obturata transimus, satis tranquilla sunt omnia. Interrupit me tabellio, ne plura scriberem. Tu rescribas citius oramus, quem tumultus illi in *Oedenbach* orti [1] sint sortiti exitum. *Iodocus* ac ossa nostra [2] Te salvum optant. Vale post 1. Mart. 1523.

Xylotectus tuus.

Pastor noster quomodo axiomata doctis discutienda proponeret, qui sartorem provocantem audire et cum eo conferre recusavit?

XIX.

IOH. OECOLAMPADIUS AD ZUINGLIUM.

Salve in Christo. *Caspar Hedio*, frater meus carissimus, imo noster, nudius quartus ad me dedit literas quibus et tuae illae fuerunt adiunctae. Servavi eas penes me. Erat enim mihi animus Te invisendi hac hebdomada, sed iterum impeditum est iter meum. Patior enim me iterum astringi pistrino perquam molesto, nisi tanti esset apud me functiuncula etiam minima posse fratribus in Christo prodesse. Proinde cum fieri nequeat, quod volo, boni consulam necesse est, quod necessitas ipsa docet. Spes est, me adhuc ad aliquot menses hic permansurum; forsitan aliquando tantum suffurabor temporis, quo tuo frui queam colloquio. Scio etiam Tibi nunc tempus non valde otiosum, tum propter cottidianas declamationes, tum ut aemulis respondeas. Cuperem videre acta tua, si essent excusa. Et nugas meas propediem leges. [3] Videbis, opinor, non multum dissidere spiritus nostros; si tamen dissident, et non magis unus spiritus. Quod si Tibi quid revelatum amplius, perquam gratam mihi rem facies, cum docueris. Dominum *Conradum Commendatorem* salvum opto in Christo et Te quoque cum tuis omnibus bene valere semper. *Bas.* 3. Mart. 1523.

Tuus *Ioh. Oecolampadius.*

XX.

MARGARETA A WATTENWEIL

IN KOENIGSFELDEN DOMINO HUDRICO ZUINGLIO DOCTISSIMO, REVERENDO, PLEBANO AD MAGNUM MONASTERIUM TIGURI.

Gratia et pax in Domino Iesu Vobis semper impertiatur ac donetur a Deo, patre caelesti. Domine doctissime, reverende, inprimis dilecte! Vestram dignitatem oratam rogatamque velimus, literulas ut nostras simplices non inique accipiatis: nam me impellit christiana caritas, et

---

[1]) Turbae apud moniales in coenobio *Oetenbach* Tiguri a Dominicanis excitatae. (Wirz, II. 93 — 95) [2]) Uxores. [3]) Verosimiliter dissertationes: De passione Christi; de venerando et laudando in Maria Deo; de invocatione Divorum contra *Fabrum*. Bas. 4.

praesertim, quod comperiebam, magnopere per Vestrum praeconium verbi divini evangelicam veritatem atque doctrinam indies crescere. Unde omnipotenti aeternoque Deo laudes et gratias dico, quod nos rursus illustrarit ac miserit per suum spiritum tot probos doctores ac praecones sui sancti verbi, expetens precansque ab ipso, ut Vos cunctosque eos, qui suum verbum divinum tradunt, virtute ac robore instruat contra universos hostes veritatis, quo suum verbum divinum augeatur et alatur in omnibus hominibus. Domine reverende, doctissime! mittebam Vestrae dignitati hoc meae mentis exiguum indicium, orans, ut ne a me oblatum spernatis, quod christiana caritas mihi dictavit; sed placide ut accipiatis etiam atque etiam oro. Si hoc electuarium Vobis conducat Vosque plus eius desideretis, mihi notum facite! nam praecipuum gaudium mihi foret, si quid iucundi Vobis praebere scirem. Nec vero ego sola; sed idem spondent omnes Christiani evangelici de nostro conventu in Koenigsfelden,[1] qui vestrae dignitati sua vota suamque salutem una deferunt in Christo, cuius praesidio auxilioque praesentissimo nos Vestram dignitatem assidue commendamus. Die sabbati ante Laetare 1523.

20.

Margreth von Wattenweil zu Königsfelden

an den wohlgelehrten, würdigen Hrn. Ulrich Zwinglin, Leutpriester in dem grossen Münster zu Zürich.

Gnad und Frid in dem Herrn Iesu werd Euch allezeit mitgetheilt und geben von Gott dem himmlischen Vater. Amen. Wohlgelehrter, würdiger, besonders lieber Herr! Mein Bitt und Begehren an Euer Ehrw. ist, mein einfaltig Schreiben nicht in Argem von mir aufzunehmen: denn mich das zwingt christliche Liebe, und insonders als ich vernehme, dass die evangelische Wahrheit und Lehre fast durch Euere Verkündung des Gottesworts täglich zunimmt. Denn ich dem allmächtigen ewigen Gott Lob und Dank sage, dass er uns wieder erleuchtet und gesendet hat durch seinen Geist so viel treuer Lehrer und Verkünder seines heiligen Worts. Bitt und begehr auch von ihm, dass er Euch und allen denen, so sein göttliches Wort verkünden, verleihe Kraft und Stärke wider alle Feind der Wahrheit, dadurch sein göttl. Wort sich mehre und zunehme in allen Menschen. — Würdiger, wohlgelehrter Herr, ich schicke Euer Würden hier ein kleine Meinung: bitt Euch, dieselbig nicht von mir zu verachten: denn mich sie zwingt christliche Liebe. Bitt Euch, Ihr wellend also dasselb im Besten von mir ufnehmen. Ich bitt Euch auch auf das höchst, ist diese Latwerg für Euch und so Ihr mehr begehrend, so lassets mich wissen; denn es mir ein besundere grosse Fröud wär, wenn ich Euch etwas Gutes wüsste zu thun; und ich nicht allein, sunder dess erbütend sich auch

---

1) Hoc eodem anno Senatus Bernensis precibus enixis crebrisque monialium concessit coenobiumque aperuit ac necessitate monachica levavit. Wirz-Kirchhofer II. 296 — 298.

alle evangelische Christen hie in unser Versammlung zu Königsfelden, welche auch Euer Würden ihr Gebet und Gruss in Christo entbietend, in dessen allersichersten Schirm wir Euer Ehrwürden fleissiglich befehlen. Dat. auf Samstag vor Laetare 1523.

XXI.

MELCHIOR MACRINUS ZUINGLIO.

Mirari merito posses, optime *Zuingli*, qui fieret, ut si quid laeti ac prosperi mihi tuo etiam beneficio accideret, id minime tempestive tibi nuntiarem, aut gratias pro beneficiis agerem, ceterum in exposcendo officio procax admodum essem; verum tamen mirari, credo, desines, si quo animo haec fecerim, intelliges. Nam postquam Sophistae huius impii [1] laqueos effugeram, te illico invisere decreveram, ut coram omnia effuse exponerem, quod cum tunc non daretur, in aliud commodius tempus distuli. Itaque inhiante me ac in dies opportunitatem ad te migrandi captante, occasio offertur commodissima, nempe tuae disputationis nuntium, ex quo mihi iustum desiderii mei perficiendi argumentum datum esse putabam. Sed ut sunt humani conatus plerumque inutiles ac vani, hic quoque spe frustrabar, obstrepentibus scilicet canonicis, apud quos hic servitutem servio extremam, tum et amicis quibusdam dissuadentibus, qui, quod nunc accidit, tunc futurum ominabantur. Decretum enim paulo ante a Senatu nostro clam erat, ut Lutheranam, quam vocant, doctrinam, exemplo *Lucernanorum*, exploderent; quod ut a me, quem huius factionis praeter caeteros ob professionem graecarum literarum, tum et congressum nuper cum Decano [2] habitum, insimulaverant, ordirentur, occasionem passim captabant. Quare privatim admonitus omnem calumniandi ansam illis amputabam, et illius iniqui desiderii effectum praepedire conabar, sperans fore, ut conceptum furorem ea facilitate, qua suscepissent, remitterent. Nam hactenus utcunque Evangelium toleraverant, et eius praecones audierant, ita ut sanabiles videri possent. Sed enim quum iam pullulascere feliciter rem evangelicam Satanas cerneret, singulare quoddam monstrum, monachum inquam, de medio fere illius impiissimae Minorum factionis nobis excitat, qui hactenus in angulis, nunc autem in propatulo, a Senatu confidentia sumta, veritatem evangelicam ac eius professores non minus impudenter quam indocte calumniatur, sicque per iram Dei in hoc munere diabolico profecit, ut nobis ademta omni fide, quam hactenus multo cum labore apud populum *Solodurensem* merueramus, nunc illi soli credatur, solus audiatur, imo regnet, reiectisque christianae plantationis primitiis illius Satanica zizania colantur avidissime. Porro, cum Senatui nulla in nos saeviendi occasio, ut optabant, per me daretur, a discipulis meis, quibus Evangelium praelego, leviter sumunt. Ex his enim quia duos feria sexta et Sabbatho carnem tempore dierum genialium comedisse intellexerant, in carcerem subito coniiciunt. Rogati

---

[1]) Minorita, senatum populumque adversus Macrinum et Grotzium omnibus modis exasperans. [2]) *Steinerus Burgdorfii.*

autem causam, cur id fecissent, Evangelicum hoc: non quod intrat in os, coinquinat hominem, praetendunt. Quo quidem responso insaniores redditi mihi delictum, ut qui iuvenibus Evangelium temere profiterer, imputant. Retentis igitur ad triduum in carcere discipulis, deinde iuramento extra suos fines relegant, atque in me animum intendunt, illico officio ludi, nondum dicta causa, cedere iubentes. A quibus quum causam sedulo sciscitarer, non aliam, quam quod Lutheranus essem, obvertunt, sicque in omnes eius farinae homines subinde saevituros sese affirmabant; quibus aliud non respondi, quam ut me pro causa, quam imputarent, loquentem audirent, quod tamen tunc statim non impetrabam. Itaque aliquamdiu silens nec ambiens quemquam, verum quid acturi essent, observans. Furorem igitur suum haud ita multo post in Presbyteros quinque, quos in hac re una mecum habebant suspectos, convertunt. Inter hos quoque *Phil. Gratz* pastor noster erat, cum quo quid actum sit, ex ipsius literis intelliges. Mecum sic agitur, ut παῤῥησία loquendi ac docendi evangelica prorsus adempta sit. Ceterum in pristinum pistrinum restitutus sum, in quo hactenus detinebor, quoad veritatem obticeo. Pii tamen homines, dum haec patrant, Evangelium scilicet, ut aiunt, odisse videri nolunt, quum interim professores eius extreme persequantur, quod hoc facinore insigniter contestati sunt. Nam cum nobis ora, ne veritatem libere proloqueremur, occludere non possent, instrumenta, videlicet libros, unde libertatem disceremus christianam, publico edicto abstulerunt, ita ut tutum nemini sit, vel unum Iota, Lutherani nominis titulo, domi reservare. Sic igitur omnes Lutheri codices, qui hic erant, iussu magistratus in praetorium comportati sunt, quibus, ut suspicor, Vulcano sacra fient. Veruntamen impossibile est, ut non veniant scandala. Ego in praesentiarum nihil dico praeterquam: si conditionem commutare daretur, non illibens facerem. Potes ergo, si quicquam uspiam apud vos vel alibi esset, me commonere. Nam etsi propheta non sim, tamen quantulacunque hac ingenii mei mediocritate patriae molestus sum. Vale in Christo. *Salodori* 6. Mart. Saluta *Grebelium*, ac totam ecclesiam, quae est Christi.

Melch. Macrinus tuus.

XXII.

VALENTINUS DE SAXONIA.

Totics ego tecum fabulor, et tu mecum, *Huldrice*, decus meum et spes mea, nec dum mutuo nos cognoscimus. Nonne monstri hoc simillimum? Imo non monstrum, sed plane quotidianum opus. Quis enim est, cuius penetralia non penitus occupet Huldarichus, quem non doceat, in quo non regnet Huldarichus. De iis loquor, qui veritatem recte amant. Nam satis gaudeo, quod inter caetera dona Christi etiam hoc numeratur, quod multis displices, quo ego argumento soleo discernere dona clementis Dei a donis irati. Itaque tibi gratulor, quod, dum summe omnibus bonis places, non minus displices iis, qui soli omnium summi esse, et summe placere volunt. Sed ego stultus, qui te talem virum, sic illotis manibus absque reverentia et honoris praefatione, veluti familiarissimum adgredior;

ignotum ignotus. Verum dabis hoc pro tua humanitate meae vel caritati vel imperitiae. Quandoquidem ego inter monachos consumta aetate, nec tamen didici, ut eruditum virum possim per literas salutare. Alioquin quantis iamdudum literis te fagitassem, nec passus fuissem, ut perpetuo tu mihi solus loquereris in cubiculo meo. Nunc quando ex optimis viris accepi, tuam erga singulos caritatem, tum benevolentiam erga veritatem (quae est in C. I.) amantes: ea ab re vires accepi: coarctor enim nimis ultra quam quis credere potest. Quamobrem cogor agnoscere vel barbarissimis literis egregium tuum spiritum, meo et omnium locupletiorem. Quamquam scio Te prorsus pro re minima habiturum, quod literis amantem et gratum me exhibeo, qui abunde contentus es, quod occulta et apud Deum gratitudine et caritate animus in Te fervet; sicut et ego sat habeo, quod ignoranti tuum animum et officia in libris sine literis et corporis tui conversatione exhibes: non tamen patitur et pudor et conscientia non gratificari et verbis, praesertim postquam coepit ista controversia inter doctrinam veram christianam et humanam. Ita mi Huldrice, vir honorabilis, tam amabilis quam desiderabilis, si ita tibi visum fuerit, agnosce et hunc fraterculum in Christo, tui certe et studiosissimum et amantissimum instruendo et admonendo peraffluentur. Amore, quo suum e coelo Optimus filium elabi iussit, peto atque efflagito. Praesertim de Monachis et votis ipsorum, tam missa, quam decimis, nec non et aliorum, quas possident, rebus; cum accepi, minime illis licere ex eleemosynis vivere, multo minus e decimis, aliisque exactionibus subditorum et pauperum. Pariformiter de censis mutuatis, scilicet 100 fl. annuatim 5, ut melius nosti. Tum iis, quae pro spiritualibus beneficiis accipiunt, scilicet missa, anniversaria et huiusmodi. Quid plura? ut arbitror, iniuste acquisierunt singula, possederunt et possident. Posthac an licet ex ordine exire, habitum sacerdotiumve ponere, operando vero manibus victum acquirere, an non et quomodo. Deinde an magis licet subire mortem vel poenam quamcunque, quam sic esse monachum, scilicet vivendo secundum traditiones hominum, victum et amictum de iniuste acquisitis (ut arbitror) accipere et quotidie celebrare. Deinde officium feceris quam gratissimum, si per literas me monueris; tamen secreto (ut tibi scripsi), ne Prior aut ullus sciat. Ego hic solus D. Luthero et omnibus ipsi adhaerentibus faveo sinceriter; ideo prohibitus sum sua perlegere scripta. Ipse Dominus Iesus servet te in aeternum, optime *Huldrice*. Amen.

Frater *Valentinus de Saxonia*, professus domo S. Laurentii in *Ittingen*.

XXIII.

FRATER ALEXIUS ITTINGENSIS ZUINGLIO.

Gratia Domini nostri Iesu Christi tecum. Cum Tibi, vir optime ac frater in Christo, scripserim, licet semper tuas occupationes excusatas velim habere, atque altiorem sensum, quo melius prospicies, quae expediunt: tamen satis magno tacdio tenecr propter responsum mihi pro-

missum abs te per *Udalricum*,[1] vigilem in *Rickenbach*, qui satis alias sollicitus est pro me, atque mihi specialis frater in Christo. De hoc autem vehementer gaudeo, quia absque meis scriptis, licet de nullo mendacio mihi conscius sim, multa, ut iustum est, deferuntur Dominis tuis a rusticis circumquaque, ut mirer nimis quod grangia in *Andelfingen* et alia confirmata sint ipsi monasterio, praesertim sic stante malo regimine in dicto monasterio vestraeque opinioni gravibus inimicis, ut alias sciri potest. Timeo quod diversa arma, favor fautorum, munera multiplicia, convivia, socialitates, pro curis, et omnia huiusmodi nihil ipsum iuvabunt;[2] sed multo deterius habebit, intervenientibus minis, prohibitionibus, concionibus in contrarium atque universa machinatione propter libidinem dominandi etc. ut tandem sortiatur malum finem. Cuius causa si bona esset, deferre arma quasi latronis non indigeret, ut quasi in ictu oculi interficere possit hominem. Si omnia scripta mea tibi ad manus venerunt, quibus opus fuit, non caritate te allicere potuere tantum, sed et cauta et diligenti providentia, ut qui magnus es in curia Dominorum tuorum, quae ad pacem fidei deservient, sine dilatione sis acturus, atque in his, quae meam salutem conspiciunt super recessu sive alteratione status, ut cum consilio sic agens non praecipitanter, nedum Deo, sed et tibi gratias referre habeam immortales. Quantis autem nugis hi teneantur, qui ex adverso sunt, quantis adinventionibus nitantur, ut evadant, nemini melius eos comparare potero quam coecis Pharisaeis, tot insidiis dediti contra verbum incarnatum, aut sanam doctrinam veritatis, ut nemo magis iuste impetitus increpatione domini quam ipsi. Nec mirum; suam enim altitudinem ad introitum humilium verborum Christi viderunt annullari apud vulgum, qui hactenus magni habiti fuerunt. Ita et isti faciunt; sed amplius ut spero non proficient, sed peccatum eorum manifestum erit omnibus, sicut et illorum fuit. Cadat ergo obsecro deprecatio in tuo conspectu, ut indices conservo tuo, quid agere debeam; (etsi sine scriptis negotium accelerari sentiam; tamen et me latent, ad quid haec progressum habere velint), et me indignum vel modica schedula solari velis. Tres enim habeo, ad quos in huiusmodi causis meis et monasterii, verbi Dei causa atque mei status mutatione, scribo, et omnes iudicium ad Te suspendunt. Non credo te adeo Proteum, ut alius iam appareas, qui hactenus non tantum scribentibus pietatem exhibuisti atque consilia, praesertim iis qui viciniora salutis quaesierunt. Nec dissensio a Te, cuius scripta magis stabilia placent atque rationabilia. Etsi sint multi, qui contra Te scribant, tamen mihi dubium non est, quin innumerabilia bona ex tuis scriptis venerint, etiamsi qui contrarium dicant. Sed si diligenter ipsos intueor, semper gloriam Dei plus convertere voluerunt in idolum aut creaturam, quam in creatorem, ut ex eorum volatu quoque, stilo, avaritia, adulatione magnatum, siti sanguinis atque innumeris convitiis deprehendi potuerunt, ut iam ex omni clamore et vesania eorum non sit spes quod recte sentiant, et nobis sit procedendum, etiam si vitam perdere debea-

---

[1]) Huldricus *Werdmüller*, parochus *Rickenbachensis* in *Thurgovia*.
[2]) Prior *Ittingae*.

mus pro Christo et Sancto Evangelio; in quo positi sumus. Haec sano animo et indubitata fide ad te scribens merear obsecro vel aliquantulum consolari a tua pietate, a quo indivisus sum caritate. Parce mihi causa Dei, quod tuam laboriosam vitam occupo meis scriptis tam insulsis; et tamen deprecationem pauperum exaudiet Dominus, et tu ergo quaeso non confundas me a petitione mea. Vale atque ut arridet tibi Dominus in tuo opere prosperare, cuius gratia in mille generationes, cui omnis honor et gloria in secula. Amen.

Frater *Alexius Ittingensis.*

XXIV.

ZUINGLIUS MATTHAEO PASTORI REUTLINGENSI [1]

Nihil est, vir in Christo charissime, quod nos huc audaciae impellere potuisset, ut ignotum literis adoriri auderemus, quam una fides, quam te adserit praesentium lator tam candide praedicare. Macte virtute! cave pergere desistas! Haec est pugna, quae te decet; quae te Christo tamen gratum, licet hominibus ingratum reddat. Non est praeterea quod te vehementer extimulem, sua sponte currentem. Adsit oro Christus, qui ut increduli principes, qui apud nos sunt et saeviunt, ad se convertantur efficiat; et servet te Christus Opt. Max. incolumem. Plura per negotiorum tumultum scribere non potui. Quanquam hoc ipsum, quod scripsi, *Bertoldo Hallero* negare non potui, qui me peculiariter in literis suis hortatus est, ut vel tantillum monumenti nostri ad Te darem; quo amicitiam haud temere coeptam nobiscum audeas feliciter et amplificare et ornare. Vale. Ex *Tiguro* 10. Mart. 1523. Orabis Deum item pro me ut gressus nostros dirigat. Commenda me fidelibus tuis fratribus.

Huldrichus Zuinglius, tuus et omnium qui Christi sunt.

Inscriptio: Dem frommen Gottesdiener und Lehrer Matthäusen, Prädikant des Evangeliums Christi zu Reutlingen, seinem Bruder in Christo Jesu — gen Reutlingen in Schwaben.

XXV.

IO. IACOBUS [2] ABBAS FABARIIS

EVANGELICO DOCTORI, M. HULDRICO ZUINGLIO PRAEDICATORI TURICENSI AD MANUS.

Nostram fraternam caritatem in Christo praefamur. Dilecte Domine et Frater! negotia rescivimus, quibus Vos distringimini una cum vestris amicis. Sua gratia Deus Vos semper incolumes servet! Quos misistis libellos [3] eximia cum laetitia accepimus ac protinus diem circum-

---

[1]) *Matthaeus Alber* 1519 pastor *Reutlingae* factus, cui Zuinglius doctrinam suam de S. Coena insinuare non potuit. Propter *Interim* quum cederet Reutlinga, praedicaturam cathedralem Stuttgardii, tandem Abbatum in Blaubeuren nactus est. (Füsing, Hist. Reform. Reutling.) [2]) *Russinger*, de quo vid. Opp. I. 114. [3]) Acta disputationis primae Tigurinae.

foraneorum proclamavimus; quod quidem non quemvis iuvabat. [1] Nihil refert; non sunt probi Christiani. Attamen vos celare nolumus, haud propitium dominum nobis propterea episcopum [2] esse. Qua de causa in Vobis fiduciam collocamus; quia fortasse nobis opem ferre debebitis, quum eo devenerimus, ut Vos vocaremus. Magistri Erhardi [3] dedicationem cogitavimus primo lagena italica remunerari; at nobis videbatur non ita consultum, quoniam, ut ipsi nostis, cum vino transportando improbe agi solet. Mittimus igitur hac in epistola inclusos tres florenos aureos, quos ei tradatis, non mercedis aut pretii loco, sed ut indicemus amicam mentem gratamque voluntatem, unde potum sibi redimat somni conciliatorem. Carmen [4] nostrum per tabellionem Augustam misimus ad bonos sodales; non autem ante encaenia Curiae [5] nobis absolutum redibit. Spem habemus, Vos quoque in *Mels* [6] venturos esse, quo nos conferre in mente est feriis paschalibus; nuntiabimus ulterius. Semper nostri mementote, quaesumus, fraterna cum benivolentia, prout satis confisi sumus, nobisque aliquid novi rescribite ac mittite per hunc nuntium! Gratum feceritis nobis, quum M. Erhardo gratias copiosas agetis pro Vestra facultate. M. Leoni nostram benivolentiam et favorem, nec non aliis vestrorum amicorum ut contestemini, admodum rogamus. Quando nostri amoris facimus mentionem, id non tantum nostro nomine facimus, sed etiam eorum, quibuscum necessitudo christianae caritatis nobis intercedit ac studium evangelicae doctrinae commune, quorum idoneus est numerus. His volumus nos nostro unico Domino et Magistro Christo commendatos. Fabariis, 24. Mart. 1523.

25.

Iohannes Iakob Abbt zu Pfefers an Zwingli.

Unser brüderlich Lieb in Christo, Lieber Hr. und Bruder! Wir haben verstanden euer Unmuss, damit Ihr beladen seyt samt andern Euch Geliebten. Gott enthalte Euch allzeit mit seinen göttlichen Gnaden. Die Büchlein, uns zugeschickt, haben wir mit besondern Freuden empfangen, auf solches den Kesslertag ausgerufen. Hat nicht jedermann wohl gefallen. Liegt nicht an; sind nicht gute Christen. Doch wollen wir Euch nicht verhalten, wir haben nicht einen gnädigen Herrn an dem Bischof. Hierum wir unsern Trost auf Euch gesetzt, werdet uns vielleicht Beistand thun müssen, wann wir Euch werden berufen. Von wegen Mstr. Erharts Euerm Verschreiben hätten wir Willen gehabt, ihm einen welschen Trunk zu schicken; hat uns nicht wollen geschickt bedunken. Ursach: Ihr seyt bericht, wie man mit Wein auf

---

[1]) Hostes reformationis hanc disputationem vocitabant *Kesslertag*, i. e. conciliabulum hominum, qui lebetibus ollisque resarciendis victum quaerunt circumforanei. [2]) *Curiae Paulus Ziegler.* [3]) *Hegenwald*, qui huic Abbati acta disputationis Tigurinae ad diem 29. Ianuarii dedicaverat. [4]) Vid. epistola *Russingeri* ad Zuinglium. [5]) Die Martis post Nicolai 1522. [6]) *Mels*, iuxta oppidum Sargans.

dem Land handelt. Schicken ihm hiemit in diesem Brief 3 Gulden an Gold; wollen ihm die überantworten, nicht von wegen Miet und Gaben, sonder zu anzeigen freundliche Lieb und Meinung von unsertwegen, ein Schlaftrunk damit zu thun etc. Das Gedicht haben wir durch unsern eigenen Boten gen Augsburg geschickt zu guten Gesellen. Mag aber nicht fertig werden vor Churer Kilwey; alsdann so wird es uns gefertigt. Wir sind in Hoffnung, Ihr kommet auch gen Muels. In Osterfeyertagen sind wir Willens uns dahin zu fügen; werden Euch weiter berichten. Wollet uns allzeit mit brüderlicher Liebe (als wir Euch wohl vertrauen) bedenken, und uns etwas Neues zuschreiben und schicken bei diesem Boten. Thut Ihr uns ein Wohlgefallen, auch Mstr. Erhard fast zu danken, wie Ihr wohl könnet. Unserm Herrn und Mitbruder M. Löw unser Lieb und Gunst, auch andern Euch Geliebten zu sagen ist unser fründlich Bitt. So wir schreiben Euch unser Lieb, beschieht nicht allein von unsertwegen, besonder auch deren, die mit uns allen in christlicher Liebe verwandt sind und der evangelischen Lehr mit uns anhangen, deren wir ein gut Theil haben. Hiemit wollen wir uns unserm einigen Herrn und Meister Christus befohlen haben. Datum Pfeffers 24. März 1523.

Inscriptio: Evangelico Doctori M. H. Z. Praedicatori Turicensi ad manus cito, cito.

XXVI.

BERCHTOLDUS HALLERUS ZUINGLIO.

Vix verbis consequi queam, doctissime *Huldrice*, quam hilari vultu tuas omnes acceperimus epistolas, tuae et eruditionis et humanitatis testes locupletissimas. Episcopus noster *Vadivillius* [1] nusquam eas satis abunde commendare potest alioqui commendatissimas. Mitiorem paulo effecisti hominem *Sebastianum*. [2] Ita tamen utrinque concionati sumus, ut alter alterum effusius redimeret. Dominus addit quotidie congregationi. Reluctantur nobiles, censibus annuis et decimis faventes. Unde non est quod me plus urgeat, quam ut tuis institutionibus expeditiorem aliquando me redderes super illud Matth. V, 42. Petenti abs te dato et cupientem mutuo accipere, ne avertaris. Cogor illic satisfacere cum his, qui resistunt, tum qui amplexantur Christi doctrinam. Habeo quorundam iudicia, nec satiari potero, nisi tu me plane erudias. Ceterum concessit *Sebastianus* noster *Colmariam* Capituli Minoritarum gratia, post mensem forte rediturus. Interim Dominicanus noster [3] suo Thomistico Marte omnia invertere tentabit, nisi tum opportune tum importune restiterim. *Sebastianus a Lapide*, [4] qui inter Dominos

---

[1]) *Nicolaus a Wattenweil*, praepositus. [2]) *Meierus*, Halleri socius. Vid. I. 141. [3]) *Heim*, rector et praedicator in monasterio Dominicanorum, quem hostes reformationis Moguntiaco arcessiverant. [4]) *Sebastianus am Stein*, dux Gallicarum partium, quae Bernae initio reformationi favebant, unus legatorum illorum, qui 1522 in conventu Helvetiorum Badenae declararunt, Senatum Bernensem velle per suos praedicatores libere secundum S. Scripturam

Bernates primus Evangelio favit mireque tutatus est episcopum *Hōnstettensem*, nescio quibus Pontificum imposturis seductus viribus adversatur omnibus. Utrumque, *Sebastianum* et *Bertoldum*, verbi Dei adulteros et mendaces inculpavit palam. Domini Magnifici pro veteri prudentia ita negotium, nobis instantibus, temperarunt, ut omnibus abunde satis factum sit, evangelicaque veritas libere triumphet in eius dispensatoribus. — Adfuerunt ex *Helvetiorum pagis* nonnulli oratores, qui cum plurimum attentarint in Evangelii praeiudicium, minus apud nos efficere potuerunt, quam si omnino tacuissent. Optimates apud nos, qui *Gallo* favent, favent et Evangelio. Sunt item ex *Silvanis*, qui Christi doctrinam ceteris pagis ob *Tigurinos* invisam reddebant. At cum *Bernae* eandem offenderint, nihil habent, quod contradicant. Ita passionibus privatis ferme aguntur omnia. — Episcopus *Lausannensis* convocavit omnes parochos; nescio quid cum illis acturus sit. Id unum constat, quotquot sacrificulos inunxit, speciatim iuramento expostulavit, ne contrahant neque faveant Lutheranae doctrinae. Ceterum opus conclusionum expectamus omnes, nec est, quo *Bernatibus* magis ac magis gratificari poteris, quam ut excuso non diutius aequo privemur. Nolo te hominem sanctissimis studiis occupatissimum diutius immorari. Salutant te *Praepositus*, olim tibi responsurus una cum Sp. sua *Bernens.* — Salvus item sit *Leo* fortissimus, cuius unius familiaritatem vel maxime affecto. Modo et tu valeas athletice. *Berhac* 6. Id. Apr. 1523.

Bert. Hallerus tuus.

XXVII.

HEGIO HULDRICHO ZUINGLIO

MAGNANIMO CRUCIS CHRISTI PROFESSORI, SPECULATORI TIGURINO, FRATRI SUO S. D.

Typographus portavit acta tua, [1] quae libenter admodum vidi ac legi. Video invictam rem esse veritatem, ut mendacium contra res est plus quam imbecillis. Iam vero quis non defleat infelicitatem istorum hominum, vel magis rideat insaniam, qui sic excaecati sunt, ut clarissimam Evangelii lucem videre nolint, et cum perniciose errant, doceri vel in viam reduci renuant? Non desunt hic istorum similes, qui non alio nomine aversantur Evangelium, quam quod est contrarium cupiditatibus et factis istorum. Satis diu impositum est simplici ac sequaci populo hypocrisi et pessima doctrina. Tempus instat, ubi detrahenda est larva et asinis istis cumanis Leonis exuviae. Pulchre tu mi *Zuingli* et fortiter egisti. Faxit Christus, ut hoc exemplum imitentur et

---

doceri. In cognoscenda causa *Georgii Brunneri*, parochi in Kleinhoenstetten, praeses reo subvenit. Faber, vicarius generalis Constantiensis, ex amico ipsum saevum inimicum reformationis reddere potuit. Praeivit legatis decem Cantonum, a Tigurinis, ut reformatione abstinerent, postulantibus, atque Wirthium de Stammheim quaestioni subiectum inter tormenta ludibrio habuit. Senatorium ordinem vero relinquere 1523 coactus est. (Wirz. Hottinger.)

[1] Acta disputationis.

aliae Germaniae urbes. Rogo frequenter ad me scribas si modo licet per nuntios. Nam solatium est audire, quod Christus feliciter herbescat apud vos. Apage Herodes istos et Caiaphas, qui mortem intentant magnis consiliis, quibus tamen saturabuntur quam primum. Sunt qui putent, subornatos tres Principes a sacrificulis istis Papisticis, ut supprimant nobilitatem a partibus Evangelii stantem; his stratis posthac saevituros in novae fidei professores. Quod si verum est, quis non gravetur sub talibus Principibus vivere? Bona spes est de Principe nostro. Scribit a *Wittemberga Nesenus*, *Lutherum* huic amicissime nuper scripsisse, et nihilo amicius responsum per Principem. *Hartmudius a Cronberg* [1] *Bremiam* concessit; quid istic acturus, ignoro. Tu haec subito scripta boni consule. Matthaeum hoc ieiunio absolvi. Si quicquam in Acta dum declamares tuo clero, collegeris, gratum faceres id, quidquid est, communicando. *Frobenius* bene huc mittet, si voles. Raptim. *Moguntiae* 1523. Vigilia Paschae.

C. Hedio, Ecclesiastes Mogt.

XXVIII.

INCOMPARABILI VIRO DOM. ULRICO ZUINGLIO TIGURINORUM SANCTO EPISCOPO, AMICO CARISSIMO IOANNES SAPIDUS.

Dominus Iesus sit cum spiritu tuo, mi *Zuingli*. Sed a quo auspicarer, nisi ab eo cuius negotium tam fideliter exequeris, et cui, quem habes spiritum, debes? Is itaque, quod agis, faciat perpetuo agas; et quia in Dei negotio totus versaris, commendo tibi hunc iuvenem nescio probiorem dicam an doctiorem? iuratissimus amicorum meorum, qui spiritu eoque, ne dubites, sancto impellente a factione Iohannitarum, quos vocant, ad verum confugit Christianismum, dignus, qui resipiscentiae suae a *Te* et *Leone* nostro, viro pariter sancto, solatia percipiat. Fac ut sentiat Christianum, a Christiano, Christiano fuisse commendatum. Legi acta *Tiguri* inter Te et *Fabrum*. Gratularer tibi, nisi Tu, quidquid id est, Christo, non tibi, acceptum referres. Quem Christum spiret animus *Fabri*, vel bubulus intelligit. Tardior est hora, quam cui liceat plura scribere: nam hic iam primum elapsus Missa ad me confugit intempesta nocte. Pluribus posthac et commodius scribemus. Valeas in eo, quem confiteris, Christo. Salutes amicos et maxime *Leonem* meum. 1523. d. 10. Aprilis.

XXIX.

SEBASTIANUS OECONOMUS [2] ZUINGLIO ERUDITISSIMO VIRO, AMICO IN CHRISTO.

Salve frater in Christo carissime! Noli mirari, quod tam raro ad

---

1) Harthmuthus a Cronberg, eques imperialis, socius *Francisci a Sickingen*, qui reformationem scriptis quoque propugnavit, ac praecipue Ducem *Wirtembergiae*, Huldricum, ad reformationem amplectendam permovit. Francofordiae ad Moenum praedicatores Pontificis minis suis, ut linguis temperarent, adegit. 2) *Hofmeisterus.*

Te scribo. Id ego consulto facio. Causam ipse dicam, dum ad Te venero. Nunc cogor scribere; sed pauca, ne Tibi molestus sim. Tam varius est apud nos rumor. Venient *Tigurum Episcopus Verulanus*, [1] et Idolum nostrum *Constantiense*, [2] oppugnaturi vel per insidias negotium Tuum, imo Christi. Fac constanter et Christiano pectore excipias Anti-Christos hos. Huius rei summa est de Te omnium expectatio. Eia! invictum gere animum. Alioquin tecum casura est res Evangelica. Apud nos Christus summis desideriis excipitur. Grates Deo! Resipuerunt multi nunc, olim virulentissimi hostes. Ego constanter praedico bonis avibus. Promisit Senatus noster etiam adversus Pontificem patrocinium, modo sincere doceam, id quod praecipuum in votis meis habeo. Tu fac scribas ad nos, quid in tua causa agatur *Tiguri*: nam eius rei cepit nos magna admiratio. Salvos dic communes amicos, *Iudaeum* inprimis. Vale et me ama. Dat. *Schaffhusii* Sabb. in Albis. 1523.

Hodie dum scribo, narrat amicus quidam, *Vicarium* e *Friburgo* rediise. Quid illic monstri parturierit, tu ipse rescire potes. Fac ut et nos sciamus.

XXX.

HULDRICHUS ZUINGLIUS WERNERO STEINER TUGIENSI, AMICO SUO S.

Nihil est, charissime *Wernere*, quod magnopere te scire referat; quam quod negotium Christi bene habet, apud urbes etiam inferiores, eas videlicet, quae Rheno adiacent: id quod ex bibliopola nostro, ex nundinis Frankfordiensibus redeunte, didicimus. Admonuit amicus quidam integer, quod *Episcopus Constantiensis* et *Ennius Verulanus* gravibus insidiis me sint petituri. Ego vero (ne metuas! hoc dico non ut iactem) si insidias fuissem veriturus unquam, non tam constanter suscepissem Evangelii praedicandi provinciam. Hic est frater iste, de quo dicebam tibi, quem ii, quibuscum diebus aliquot habitavit, plane stolidum esse praedicant, sed probum. Tu, postea quam beneficium tuum in eum contuleris, admonebis ut *Argentinam* versus se dirigat ad amicum suum: nam si ad nos redierit, metuo ne insigni aliqua stultitia sese notet. Vale et servet te Christus incolumem. Ex *Tiguro* 14. April. 1523. Salvum iube nostro nomine N. nostrum in Christo fratrem, et nostris verbis admone, ut omnia cum modestia agat. Certior enim factus sum per amicum quendam, eum nonnunquam importunius negotium Christi aggredi. Quod equidem non improbarem, imo verius laudarem, si apud eos esset qui non offenderentur; at cum secus habeat, per Christum oro, ut opportune cuncta et consulte agat. Doctus est satis, fervet satis, modo se et alios etiam servet. [3] Salva sit postremo tota Ecclesia Christi, quae apud vos est.

---

1) *Eunius*, legatus Papae. 2) *Faber*. 3) Verosimiliter *Trachslerus*, parochus *Artae*.

XXXI.

ADAM WEISS

MINISTER IN CREILSHEIM [1] AD ZUINGLIUM.

Vir eruditissime, veniam deprecarer in primis quod tale tuum pectus nil nobis praeter Christum spirans, meis nugis vel tantillum a sua sacra meditatione remorer; nisi perspectissimus iam mihi esset morum Tuorum candor vere Christianus, ac quae omnia fert charitas meas ineptias excusaret. Vidimus iam pridem piissimas lucubratiunculas Tuas aliquot, inter quas mire placuit acris ac vere erudita Tua cum *Vicario Constantiensi* disceptatio. Ut iacent, ut frigent omnia istorum nugamenta! E diverso, ut Tua ardent, urgent omnia! Non alia commodiori via traduci posset impia ac insignis Papistarum temeritas, quam cum Tecum tuique similibus committuntur homines deplorandi verius quam miserandi. Fusiorem positionum Tuarum explanationem, si edita est, precor, optime vir, ad me transmittas, aut si quid aliud interim peperisti; simulque indica, quo animo feras Collegii Tui ritus, ceremonias, atque id genus. Apud nos plus satis adhuc lacte vescuntur, tarde nimis grandescunt in Christo. Horrendum Missarum abusum ac nundinas, scribi non potest, quam indigne feram. Quid faciam? Si ita dissimulare pergimus, alitur noxia illa populi stultitia, et vix sine tumultu haec subito inverti possunt. Rursus nescio an tanta sit ratio habenda vel scandali, vel tumultus, ut ob id tantas abominationes semper feramus. Doleo, et quid aliud possum? nos nondum habere legitimam Ecclesiam; messem adhuc in semine esse. Te vero felicem, cui talis patria, talis populus obtigit. Insaniunt apud nos tum profani, tum ecclesiastici Principes. Etsi nihil palam audeant, clam tamen non desinunt verbi ministros miris modis divexare. At ita est verbi conditio. Boni consule haec effusa verius, quam scripta, sic urgente nuncio, et me Tuis literis non dedignare. Oremus Christum, ut plenitudine benedictionis Evangelii nos omnes obruat. Raptissime. 14. Apr. *Adam Weiss* inutilis verbi Minister in *Creilsheim*. Bene vale in gloriam Iesu, et perge, ut facis; in apertione oris Tui cum libertate notum fac mysterium Evangelii Christi, qua legatione fungeris. Dominus adsit Spiritui Tuo.

XXXII.

ZUINGLIUS OECOLAMPADIO S.

Debeo equidem saepius ad te dare literas, fateor, piissime Iohannes, quo crebrius te ad scribendum excitem; id quod nobis etiam in *ἀπορίᾳ* constitutis animum levaret. Sed non permittunt, quod volumus et cupimus, negotia. *Vicarium Constantiensem* Io. *Τέκτονα* imo *Ψευδοτέκτονα* perhibent amarissime in nos invexisse, partem autem etiam nunc Argentorati excudi. *Zasium* praeterea eiusdem calcaribus exstimulatum nescio quos posthumos parturire. Verum si belligerandum erit, non

---

[1]) In Marchionatu *Anspachensi*.

hercle optem alios hostes, quorum alter ex dolis ita consutus est, adeo patentibus, ut τὴν μαχὴν lusciosus etiam videat; alter nihil aliud praestabit, quam quod Darii exercitus, qui, quod et pretiosissimus esset et venustissimus, nihil praeclarum habuit, quam quod, primum quum Alexandri exercitus, neglectus certe, si pigmenta spectas mundumque muliebrem, aspexit, in praedam conversus est. Prodeant volo, palamque arma capiant, provocent ac videant, quam probe Christus nos defendat. Studio nihilominus ἀπὸ τεκτόνος calumniis et contumeliis nos obruí, ultimis nimirum refugiis istorum, nec ista veremur, plane nobis conscii quam innocentem semper vitam duxerimus. Fingant per me licet isti Herostrati mendaciorum plaustra aliorumque flagitia et in nos iaciant; nihil tamen unquam egit *Zuinglius*, cuius rationem reddens non possit apud quemcumque etiam iniquissimum iudicem absolvi. Deo gratia, quod huc ventum est, ut calumniis falso etiam confictis partes suas tueantur. Novarum praeterea rerum nihil est, quod te scire referat. Commenda me Christo et tibi. Servet te Deus. Salvos iube *Cratandrum*, *Nepotem*, omnes quotquot Christo favent.

Huldrichus Zuinglius tuus.

XXXIII.

NICOLAUS GERBELLIUS [1] ZUINGLIO VIRO IUXTA PIO AC DOCTO, AMICO ET FRATRI SUO CARISSIMO.

Credo te ex superioribus literis abunde satis accepisse, qui sit erga te animus meus; intelligere etiam, quam cupiam me tibi commendari. Nunc quia amicitiae iure omnia Tibi mecum communia esse volui, non in postrema parte erunt amici, e quorum numero hic unus est, qui has literas reddet tibi, quem probari tibi maxime desidero. Nam praeter morum facilitatem animo est adeo sincero, adeo candido, ut nesciam, si parem inter multos reperire queas. Id quod tute illico, me etiam tacente, animadvertes ex habitu corporis summaque in rebus obeundis, quas illi delegaris, dexteritate. Is in severo et Perilleo prope carcere annis aliquot excruciatus, tandem divino, ut aestimo, spiritu excitus, superstitionem cum habitu reliquit. Eius est animi, ut posthac sese cum uxore et liberis, si quos ex ea susceperit, manibus laboreque suo enutriat. Sed quoniam apud nos adhuc tuto id facere non potest, consilium fuit homini vel apud Te, vel quos Tu illi nominaveris, victum quaerere. Ea in re operam Tuam ego eius nomine studiosissime postulo. Nam vel ipsa causa ad hoc Te facile animabit. Quod si etiam meus interventus, quem commendatiorem Tibi facio, quod tam recens est, nonnihil impetraverit, maximi beneficii loco mihi erit. Non credis

---

1) *Nicolaus Gerbelius*, *Pforzheimiensis*, inter iureconsultos sui temporis excellens et linguarum antiquarum subtiliter doctus, necnon historiae graecae, cuius generis egregium opus ab eo conditum in lucem prodiit. Professor fuit iurisprudentiae *Viennae* primum, deinde *Argentorati*. Necessitudo intercessit amicitiae Gerbelio cum *Zuinglio* et *Luthero*. (Adami etc.)

enim, quantum sibi de meis ad Te literis homo omnium fere rerum egenus polliceatur. Fac intelligat, se non frustra tantam spem de amicitia nostra concepisse. Felicissime vale. *Argent.* 21. mens. Apr. 1523.

XXXIV.

OECOLAMPADIUS AD ZUINGLIUM

PRESBYTERUM TIGURI IN EVANGELII MINISTERIO OMNIUM DILIGENTISSIMUM, SUUM FRATREM S.

O beatum Te in Christo, mi Zuingli, qui reddis retributionem superbae et miserae Babylonis filiae clamanti per singulos dies suis: Expugnate, expugnate usque ad fundamentum! Non credit stulta illa, quod Dominus confortarit portas Sion, et quod imbelles omnium consiliorum machinae adversus Dominum. Beatum Te, qui pio zelo ad Petram parvulos eius allidis. Certa est victoria, quoties auspiciis et ductu Christi adversus incircumcisos et alienigenas bellum suscipitur et geritur. Benedictus ipse deus doceat manus tuas ad bellum, et digitos tuos ad proelium. Porro et nos nuper manum ad aratrum aliquanto diligentius admovimus, inventique sunt adversarii multi, simul atque apertum est ostium, sed quibus nihil ineptius; id quod Te ex aliis cognovisse reor. Bene vertit Deus negotium, variisque modis ostendit impressionem in illos impavide faciendam et neutiquam respiciendum. Bona spes, fulsurum diem more insolito, quoad obterantur omnes, qui blasphemant Sanctum Israel. Interim quoniam in hunc usum positi sumus, tantum absit, ut nobis timeamus, ut et minas et maledictiones et opprobria et calumnias et quicquid id genus nobis oggerunt, non solum non rideamus, sed et benedictionum loco susciplamus, confirmati ab eo, qui beatos nos dixit, si omne malum verbum adversum nos dixerint, mentientes, propter Christum. Dolent Pharisaeorum filii, decedere aliquid suo fastui, non attendentes, quod regis gloriae nomen benedicitur; sed vellent, aut certe non curarent, si nomen fortis Israel contaminaretur in gentibus. Unde audendum et infatigabili conatu non dormitantibus hostibus obluctandum. Videmus messem multam, operarios paucos: nam numerosos illos ignavos ventres, qui verbis quidem aedificare se dicunt, re autem ipsa demoliuntur et seminant zizania atque id genus, ne non operentur, sunt enim et iniquitatis operarii. Precare Dominum ne nos a pueris suis abiiciat, detque etiam nobis vel infimam in domo sua sortem. Uror enim, quod plebem video aliorsum rapi. — *Fabri* robur, quam sit contemnendum iampridem expertus es. Nec terrebunt miserabilis Senis [a] lusus, lapsantem deliriorum parietem linituri, imo nulli timendi. Vel ego fallor, vel in omnibus castris eorum metus ac trepidatio. Vellem quidem saepius nos literis inviseres, quandoquidem colloquium negatur. Sed si tanta sunt negotia, boni consulendum etiam quod necessitas permittit. Crescere Te faciat et benedicat tibi Ecclesiaeque tuae in seculum Dominus. Salutant te *Nepos* ac *Cratander*. *Bas.* 27. Apr.

Tuus *Ioh. Oecolampadius.*

---

[a]) *Zasius.* Cfr. epist. XXXI.

XXXV.

BERCHT. HALLER ZUINGLIO S. D.

Ecquid Te longis obtundere chartis opus erit, doctissime vir, cum nuntius praesto sit, qui Te ad ravim usque certiorem reddere poterit omnium, quae apud nos tum facta sunt, et in dies aguntur. Profecto nisi testari voluissem meam in Te sedulitatem, calamo pepercissem. Duo duntaxat sunt, quibus hanc pagellam commaculare placuit. Unum est, ut scias, *Thomam* nostrum *Wyttenbachium* maximo cum desiderio tuas expectare literas. Scripsit ad Te, ni fallor, binas literas, quae si non interceptae fuerint, dum per otium licuerit, aliquando relegas, relectisque respondeas. Suo Marte pulchra quaedam congessit, ac cum fratribus, qui *Bernae* sunt, contulit, de matrimonio, Episcopo christiano, sacerdotio, superstitiosoque adversus tempestates pulsu, quae omnia vigilantius forte revisa Tibi commendabit. Alterum opus illud tuarum conclusionum, indubie laboriosum, quod incudi traditum scripseras, expectamus omnes; quod si excusum fuerit et absolutum, ne nos diutius frustrari patere. Bibliopola noster quendam mittit nuntium, qui excusos, ac si quae alia sint apud vos nova, ad nos adferat. Ubi ad Te venerit, tuto poteris ei commendare omnia. — De vicinis nostris, qui sunt *Friburgi*, bene spero. Est illic praeco evangelicus, qui pro modestia sua tantum profuit, ut a Senatu edictum sit, quatenus libere evangelicum doceat, tacito tamen nomine *Lutheri*. *Salodori* suo trahuntur adhuc genio. At utcunque Dominus Iesus quotidie congregationi addit apud nos, ut facile (nisi divina in nos ira) verbum eius explodi nequeat, reclamantibus quantumcunque nobilibus. Famem verbi *Bernates* habent, pascuntur indies iuxta gratiam nobis datam. *Episcopus* noster *Lausannensis* visitare volebat in signum suae in nos iurisdictionis; at *Bernates* quamprimum per *Praepos. Nicolaum* [1] pompae huiusmodi instruebantur, mox misso tabellione Episcopum inhibuerunt, ut nec oppidum nec pagos *Bernatum* visitare praetendat omnino. Interim ad nos concessit *Episcopus* ille electus *Basileensis*. [2] Quid apud nos agere velit, nescio. Habent et ipsi apud nos patronos potentes, et ex magnatibus non infimos, vigiles, tamen sua spe hactenus semper illusos. Christo, cuius negotium agitur, nobis propitio omnia committimus omnes. — *Sebastianus* noster rediit, qui Te suis quoque literis multorum certiorem reddet. Vidi literas, quas ad eum a me pie impulsus dederas; non dubito, quin obsecuturus sit. Ceterum fratrem hunc Franciscanum unice Tibi commendo, cui si quid beneficii impenderis, mihi quoque impensum suscipiam. His vale, et me commendato utere. Salutant *Lupulus*, *Trempius*, *Valerius*, [3] *Fabianus* ceteri-

---

1) *Nicolaus a Wattenweil.* 2) *Nicolaus a Diesbach*, Coadiutor Basileae, vir a reformatione non plane aversus, cui episcopus confectus aetate, *Christophorus* ab *Uttenheim*, circa hoc tempus administrationem episcopalem demandaverat. 3) *Anshelm.*

que innumeri Te tuosque in Christo unice pios. Rursum vale basilice. Valeant *Leones* et *Grebelii* musice. *Bernae* VII. Id. Maias 1523.

B. H. tuus ut suus.

Inscriptio: Eruditione ac pietate insigni viro, apud Tiguros Evangelistae, D. suo et fratri unice amando.

XXXVI.

BUCERUS ZUINGLIO.

Salve in Domino, vir pientissime. Dedi pridem ad Te literas, quibus necessitatem exposui meam, qui Evangelii causa nunc exulo,[1] atque oravi, sicubi operam meam in Evangelio praedicando usui fore putares, indicares per literas. Vereor autem, ut literas meas acceperis. Nam quantumvis liberae eae fuerint, et tu nunquam vacuus sis propter verbum Dei, ego etiam Tibi incognitus sim: tamen, quae Tua fides est atque exposita omnibus charitas, sic, minimum licet, me aversatus non esses, ut non respondisses; quando antea etiam tam beneficum exhibueris Te *Thomae Phanerio*, quem ignotus ignotum Tibi commendaram. Proinde paucis quae scripseram replicabo. Superiore anno, mense Novembri, parochum *Vuissenburgi*, virum pium et ecclesiae suae sollicitum, orantem obnixe me, ut praedicando pure Evangelio gregi Christi illic operam meam collocarem, passus fui exorare, tum quod illius preces vocationem interpretabar; tum quod apud *Franciscum de Sickingen*, ad quem ex aula principis *Friderichi Palatini*,[2] cui cum Evangelio nihil commune esse eram expertus, concesseram, studia mea bellum, quod contra *Trevirensem*, optima quidem fide, ut sibi videbatur, sed nescio, qua vocatione susceperat, interturbarat. Sed illico *Vicarius Spirensis*, quem Evangelio infensissimum fama nominis mei, quae fere veritate maior est, terrebat, negotium exhibere, conarique me pellere coepit. Cui Christo me confirmante restiti, et praeter omnium spem illic duravi usque ad mensem Maium, diligentissime populo Evangelio inculcato. Nam per Adventum et Quadragesimam cottidie, profestis diebus semel, festis bis praedicavi, et primo epistolam D. Petri priorem, deinde Evangelium Matthaei explicavi. Hoc tamen absolvere non licuit. Imbiberunt autem sic doctrinam Christi, ut mulierculae iam adversarios, quorum magnus illic proventus, quia omne genus Monachis atque sacrificis oppidum perditum est (refertum dicere debueram), revincant Scripturis, prorsusque mutos reddant. Sed ubi *Franciscus* cecidit, iamque oppido hostilis exercitus imminebat, quod non undiquaque Principi *Palatino*, cuius *Episcopus Spirensis* frater est, cum civibus conveniebat: Senatus, qui alioqui quod sua ubique quaerunt, Evangelio non admodum serio adfecti sunt, ora-

---

[1]) Postquam succubuisset Sickingensis, defugerat Argentoratum atque Zuinglium sollicitabat, ut ipsi locum, ubi degeret, procuraret, quem tamen mox ipse Argentorati reperit. Hinc autem amicitia inter Zuinglium et Bucerum iuncta durabat. [2]) Frater *Ludovici*, Principis Electoris Palatini, cui 1544 successit, postea reformationis adstipulator.

runt parochum meum atque me, ut ab iis discederemus, ne nostri causa incommodi aliquid oppidum pateretur. Quibus, quum sine tumultu plebis aliter non potuimus, ne seditione verbum infamaretur, acquievimus; atque plebe neseiente discessimus, quae si rescivisset, quieta haud mansisset. Iam uterque *Argentinae* desidemus summa in tenuitate, et est utrique uxor partui vicina. Tentarunt bis fratres, ut ostium mihi praedicandi verbi Dei aperirent, iamque convenerant, ut Germanice profiterer aliquem Novi Testamenti librum; sed Senatus, cuius bona pars Evangelio adhuc parum favet, ubi animadvertit, magnum civium fore numerum, qui me audirent, vetuit, ne quicquam legerem, metuens scilicet ne lectionis audiendae praetextu civium grandior concio contra ipsos aliquid moliretur, aut minus dicto audiens redderetur. Sic suo regno ubique a Christo timent, cuius tamen regnum de hoc mundo non est. Itaque studiosis aliquot latine epistolam Pauli ad Timotheum praelego, ne omnino nihil faciam. Vicarius Episcopi, quod confessus sum, uxorem habere me, praedicandi facultatem, quam hac lege petii, ut si unquam deprehenderetur, docuisse me, quod in divinis literis non expressum legatur, iuxta Domini praeceptum Deut. XIII. lapidibus me obrui faceret, atque occideret: negavit tamen, dicens, supra captum suum atque facultatem esse: cui tolerabilia sunt scortationes, et manifesta adulteria. Obieceram scripturas, et ipsorum canones, sed ad ea nihil respondit; iussit Episcopum adirem, in sua facultate, ut me admitteret, situm non esse. Itaque incertus etiamnunc rerum omnium haereo; oro autem Tuam charitatem, quando vix uspiam messis maior est quam apud vos, sicubi operam meam fratribus fore usui putares (quantulacunque conditione eam collocarem, mecumque alerem praefatum meum parochum, nam parvo uterque vivere didicimus): velis per literas mihi indicare, quod facile potes, appetente nunc emporio *Argentinensi*. Nihil autem vereare ab uxore mea; et ea continentissime vivere novit, quae aedificationi multis, scandalo nulli futura est. Iam qua fide Tu es et charitate, non dubito, si aliud non poteris, rescribes tamen, atque alibi, ubi ubi id fuerit, indicabis, siquid sperandum putaris. Et hic sane messis abunde magna est, sed praeter unum *Matthaeum* nemo operatur bona fide. Quod unice dolet bonae civium parti, qui tamen, conspirantibus senioribus populi aliquot cum Sacerdotum Principibus, impetrare collegam illi haud potuerunt. Praetexunt, qui in Senatu Evangelio adversantur, metum Principum, qui nunc in armis sunt, dum *Francisci* reliquias conantur expugnare. Cuius casu dici non potest, ut cornua erigant pecora Papistica, *ἐτώσι᾽ ἄχθη ἀρόρης*; cum is aliud molitus non fuerit, quam facultatem parare, et eam, quam potuisset, incruentam, verbum Domini libere et praedicandi et audiendi; neminem vero vel trucidare vel spoliare. Sed praesensit hoc Antichristus ipsissimum suum interitum esse, verbum Domini passim pure et libere praedicari, et nihil omisit, quo virum perderet. Quod cum nutu Domini factum sciamus, et viro praeter votum perpetuum suum (quo orare solebat Dominum, nihil pateretur, quod non probaret tentare se, et si quid tentaret, se prorsus de terra aboleret; tantum esset sibi propitius pater: quo animo etiam et fide Christo animam reddidit)

nihil accidit, nos quidem non deiecit animo; certos, naturam verbi esse, ut tum maxime valeat et currat, cum pertinacissime impugnatur. Quod cum passim nunc admodum strenue praedicetur, nihil non, sed frustra omnia Anti-Christo contra moliente, tum reliqua signa adventus Domini quoque crebriora quam unquam videamus: indubia spes est, paulo post, spiritu oris sui, Christum adversarium confecturum, mox illustratione adventus sui penitus quoque aboliturum. Amen. Hac spe solabimur nos, quibusvis nos modis volet Dominus exercere; et gratia eius ubicunque ostium apertum fuerit, liberrime gloriam eius praedicabimus. In quo vale, charissime atque pientissime frater ac praeceptor. Nec minus salutat te *Matthaeus Zell*,[1] huius urbis apostolus. Argentorati, die 9. Iunii 1523.

M. Bucerus Selestadiensis, tuus ab animo.

Commendes me quaeso gentili meo, *Leoni Iud*, ac aliis apud vos Christum praedicantibus.

Inscriptio: Magna pietate atque eruditione viro *Uldrico Zuinglio* Ecclesiastae *Thuregi* fortissimo, patrono unice colendo.

XXXVII.

ZUINGLIUS THOMAE WYTTENBACHIO S.

Cum iam olim ferme literas ad nos dederis, quibus nihil hactenus respondimus, duplici nomine nunc puderet vel hiscere, *Thoma* iuxta piissime et doctissime, vel quod tam rustice tam diu tacuerimus, vel quod supra quam par est abs te vecti sumus, nisi tua nos animaret atque adeo cogeret humanitas et pectus plane christianum, quocum agere quicquid libuerit secure licet. Quod igitur quereris, frustra te aetatem tam tuam, quam nostram, in Sophistarum nugis detrivisse, non iniuria facis: quanquam nihil est, cur nostra causa turberis. Dedimus haec iam olim temporum iniquitati; verum poenitendo nihil efficimus, quam quod aliis exemplo sumus, qui paulo sunt ingenio magis ingenuo, ne illi diutius quam par sit his haereant, a quibus nos esse avulsos, ut vehementer gaudemus, ita non parum dolet, sero nimis avulsos. — At sic voluit is, qui vocat ea, quae non sunt, et ex persecutoribus asseclas facit. Quod vero supra modum nos vehis, animi tui bonitati, non dolo acceptum referimus aut adulationi, quibus tu vitiis tam abes, quam a coelo tellus. Nam quod de *Eucharistia* percontaris, libens ac volens sententiam meam dicam, non quod ista opus habeas, sed ut sicubi errem admoneas, ac in viam quod dicitur reducas. Eucharistiam illic edi puta, ubi fides est: in eum enim usum data est, ut mortis Domini fructum, gratiam et donum cantemus, usque dum Dominus veniat. 1. Cor. XI. Quotiescunque etc. mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Quis autem mortem Domini annunciabit nisi is, qui indubie credit, salubrem esse? nisi is, qui novit hunc cibum in hunc tantum usum esse datum, ut altera parte confortet fidei imbecillitatem (panis enim cor hominis confirmat), altera deiectam desperatamque mentem ad hilarita-

[1] *Matthaeus Zell* a *Kaisersberg*, pastor *Argentorati*, unus de primis praeconibus Evangelii.

tem extimulet: nam vinum laetificat cor hominis. Sicubi fides non est, non robur editur aut laetitia, sed malum ac morbus advehitur animae, quae si absque fide accedit, aut perfida est, aut desperata, damnationisque dignissima. Nam quod Paulus iudicium manducari docet, hinc est, quod non diiudicatur corpus domini, h. e. non tale esse creditur, quale est, nempe redemtio nostra, et sanguis eius lutron sive balneum; ac ut firmiter credatur, data sunt in cibum, quo animus intus spiritu Dei doctus, intra tamen corporis huius, quod aggravat animam, nebulas perpetuo coecutiens, visibili signo certior reddatur ac laetior. — De transsubstantiatione nihil moveor, sicut nec de aquae substantia in vinum mutatae. Videntur enim mihi philomachi isti sophistae nonnunquam prope professionis obliti fuisse: nam si verum est, quod de materia somniant, unam scilicet esse rerum omnium, per accidentia tamen ac idiomata hanc propriaque distingui, nihil igitur fuit opus, substantiam aquae transire in substantiam vini, sed satis fuit, accidentia fuisse mutata. Nec, ut isti faciunt, hic multa dicam de discrimine substantiae et materiae: nam haec ut probabunt transsubstantiationem? Ego haud aliter hic panem et vinum esse puto, quam aqua est in baptismo, in qua frustra, millies etiam, ablues eum, qui non credit; at non frustra credit, qui credit. Fides igitur est, quae illic requiritur; quae si tanta est, ut nullo certo temporis articulo opus habeat, vel loco, vel persona, vel aliqua alia re, qua ipso momento capiat certa fieri et secura, tinctione opus non habet; at si est paulo adhuc rusticior ac rudior, demonstrationeque eget, lavatur fidelis, ut iam sciat, se fide haud aliter intus ablutum, quam extra aquam. Sic etiam hic panem et vinum vere esse puto, ac edi etiam, sed frustra, nisi edens firmiter credat, hunc solum esse animae cibum, si certus sit, corpus Christi pro nobis traditum ac mactatum nos ab omni tyrannide diaboli, peccati et mortis liberasse, quae unica est et sola spes animae subindeque cibus. Nam quid tam poterit animam pascere, ac certa et inconcussa spes? Hoc verbum est panis et cibus, de quo Christus loquitur Ioh. VI. Hunc cibum si qui in cordis penetralibus germana fide commanducaverit, ut nihil haereat, nihil diiudicet, aut ambigat, iam edit panem, et sanguinem haurit, ut rustica mens sensus quoque testimonio certior fiat et hilarior; quae quidem certitudo et hilaritas, quoad a sensu proficiscitur, imbecilla est et deflua, novaque semper instauratione opus habet. Si vero ab inconcussa mente, fidem suam amoenare potius quam firmare cupiente: crebra quidem instauratione non eget, deliciando tamen saturari non potest, sicque sequitur, ut imbecilli crebro debeant edere, si modo fidem firmari senserint; firmi ultro accurrant spiritualiter deliciaturi. Haec omnia planiora cunctis erunt, si τὰ σῦκα, σῦκα i. e. ficus, ficus adpellaverimus, panem dixerimus panem, vinum vinum. Rursus si libeat panem corpus adpellare et vinum sanguinem: id quoque faciamus, sed quemadmodum dicimus, baptismum delere peccata, cum non tinctio (baptismus enim est tinctio) deleat, sed fides: ita per catachresin dicamus panem corpus et vinum sanguinem, quod eis Christus nos liberaverit et mundaverit, non quod panis liberet, aut vinum mentem spiritualiter exhilaret, sed fides quam Christus haberi iussit in corpus et sanguinem suum, quod illo

nos redemerit, isto laverit; si etiam plane docuerimus, quicquid hic agitur, divina virtute fieri, modum autem nobis penitus ignotum, quo Deus illabatur animae, neque curiosos esse in hac re oportere, quam soli fideles sentiant. Imo qui in hac re curiosi sunt, fidem nondum habent: nam si fidem haberent, facile acquiescerent puris Christi verbis. Si panem, istum cibum animae h. e. fidem, quod Christus pignus nostrae salutis pro nobis occisus est, ante omnia comedissent, quemadmodum ipse Ioh. VI. docuit, non essent amplius anxii, qui fieret, ut eum ederent, qui in dextera Dei sedet. — — Porro quod de custodia τῆς εὐχαριστίας sentis, vehementer placet, nempe non custodiri, nisi in humano animo. Ego puto Eucharistiam in *usu* tantum esse, et si *usus* absit, abesse etiam Eucharistiam. Christo convenit, ut aut in coelo ad dextram Dei sedeat, aut in terra in pectore fideli. Cibus est animae, quem non reponi oportet, ut haberi ad manum possit. Deus enim in propinquo est; cum vocatur, dicit: Ecce, adsum. Cibus est non manu paratus, sed mente, ad hoc tantum datus, ut edatur. Sic enim Christus dixit: Accipite et comedite. Ecce in hunc usum accipitur, ut comedatur. Et si verba ipsa penitius aspicias, iussit ante comedere, quam corpus suum esse dicat. Ac nisi voluisset isto verborum ordine docere, quod ad edendum tantum corpus suum tradiderit, dixisset nimirum: Ecce hoc est corpus meum, quod pro vobis datur! accipite igitur et comedite. Quo certe ordine intelligi potuisset, corpus Christi alicubi esse potuisse, ubi non ederetur; nunc autem, quum iubet edere, antequam dicat corpus suum esse, adparet ea causa factum, quod illic tantum est, ubi editur. Atque ut baptismus tantum est, dum lavatur credens, non, dum aqua in templo servatur: ita panis quidem versatur, quem, dum usus exigit, depromimus, ac per fidem edimus, ut corpus Christi in nobis et sanguinem accipiamus! ac nisi comedamus, panis est materiaque, quam in usum Eucharistiae servamus. Unde si publicus error permitteret, non puto opportunius porrigi posse Eucharistiam, quam si porrigens dicat ipsis Christi verbis: Accipite et comedite! hoc est etc. tam sublata voce, ut edentes id exaudiant. Si autem unus tantum sit conviva, ut mutato numero dicat: Accipe etc. Quanto id magnificentius putes esse, quam dicere: Corpus Christi proficiat tibi in vitam sempiternam. Quamvis barbara ista precatio impia non sit, impium tamen est, non ea fide accedere, ut firmiter credas, Christum unicam spem tuam esse, quod se in pretium nobis redimendis exposuit (id quod unice pascit animam fidelem), ac ut virtutem hanc eius annuntiemus usque ad consummationem mundi, certioresque reddamur: sese in cibum nobis obtulit, quo se ipse nobis ac nos sibi sociat, qui tam abest, ut prosit, nisi ei qui esurit, ut etiam, ni rite esuriat, noceat: nam nisi iam saepe dicta cum fide accedat, frustra se pasci sperat.

Ex his omnibus, puto, sententiam nostram, doctissime praeceptor, capis, non quod etiamnunc ita doceam? vereor enim ne porci in nos conversi dirumperent tum doctrinam, tum doctorem; non quod tanti faciam tumultuosam hanc vitam, sed ne, quod recte sancteque doceri poterit, dum intempestive doceretur damni quiddam aut tumultus Christo daret. Quam tu quidem sententiam temperabis, ut collubitum erit,

et sicubi ab amussi declinavi, retrahes, omnia tamen iuxta regulam. Christi exemplo etiam ad hoc uti soleo apud eos, quibuscum hac de re confero: ignem non esse in silice, nisi dum excutitur, iam abundanter profluere; sic sub panis specie Christum non teneri, nisi dum fide illic quaeritur ac petitur, iam edi, sed mirabili modo, quem fidelis non anxie scrutatur: fide etenim omnia constant, qua is, qui edit, securus est et quietus; atque si securus non est, fidelis quemadmodum oportet non est. Metuo nobis omnibus vehementer ab idololatria, quam nimirum isti cum sua transsubstantiatione pepererunt. Panis enim si illic tantum est, ubi nos corpus et sanguinem Christi esse docemus, in conservaculis dico, in quibus panem consecratum tenemus: panem igitur adorent necesse est, qui adorant quod illic est. Unde praestaret clare ante omnia doceri, quomodo unus ac solus Deus adorandus sit, ac ne Christus quidem, ut creatura est, adorari possit. Adhuc multa sunt, quae coram fortasse tempestivius commentaremur, quam literis, praesertim cum non adeo frequenter detur, literas transmittere propter conueantium inter nos raritatem. Si quid de hac re scribere statueris, oratum Te volo, ut accingaris. Exspectavimus iam dudum *Thomae* nostri partum aliquem, frustra tamen hactenus; at cum foenore non dubitamus Te aliquando spei nostrae satisfacturum. Quae autem nunc effigiasti, ad nos transmitte! cudentur apud nos, sive Latina sint, sive Germanica. Fac ut *Bernenses* Tui abs te clari reddantur, ac fides eorum orbi commendetur. Alia narrabit *Hegelius*. Spero nos multa aliquando propter Christum laturos, sed laeta fronte. Is enim animare solet, ut magna magnis etiam animis aggrediamur. Vale cum omnibus tuis et servet Te Christus incolumem, nec unquam Tibi in mentem venire permittas, quod me Tui unquam vel puduerit vel piguerit. Scio, qualis fuerit haec aetas; scio, quales tum fuerint *Wyttenbachius* et *Zuinglius*. Salutat Te *Leo*, adiutor noster in Evangelio Christi, salutat et *Conhardus Kusnaci* episcopus et pastor, sui semper similis, h. e. fidelis minister Evangelii. Det Deus Helvetiorum genti mentem amplectendi sermonem suum! nam Pontifex Romanus tentat ei rursus imponere, ac, ne hoc ignores, transmisit ad me Breve sub annulo piscatoris cum egregiis pollicitationibus. At nuntium ego pro dignitate tractavi: docui enim, quid sit Rom. Pontifex, nempe quod sit Antichristus etc. [1] Longum esset, hanc tandem tragoediam ordiri, quum me avocet conclusionum cura. Vale iterum, imo perpetuo. Ex Tiguro 15. Iun. 1523.

Huldrichus Zuinglius tuus.

Inscriptio: Praeceptori suo ac fratri in Christo carissimo Biennae.

XXXVIII.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Salve mi frater. Causari et ego non modo possum, sed et cogor, negotiorum varietatem obesse, quo minus ad Te scribam, quae etiam Te moratur, ut scribis, ne quantum cupis ad scribendum praestita oc-

---

1) Conf. Epist. V.

casione me provoces. Verum, quoniam non nostra, sed Christi sunt negotia, absolvi meremur uterque, maxime si nulla aeque piorum et insumendi tempusculi damna rependentium rerum obveniant argumenta. Me sane cum Christianorum omnium, tum tuae literae oblectant mirum in modum, sed eas exigere non ausim a quopiam, si id non et e re sit aliorum; cupio tamen id genus solatiis, si fieri commode posset, non destitui omnino. Atque Tu pro Tua humanitate, ita mihi persuadeo, huic officio non deeris. Nolim enim et ego, ubi permittit opportunitas, neglectae caritatis in hoc accusari. — Porro quod de *Vicario* scribis, eum facere excudi librum, nescio quem, adversus Te, nihil de ea re mihi constat. At tuas lucubrationes miro ardore et videre et legere desidero: nam ex problematum unguiculis, quale corpus futurum, coniecto. Tibi quum summum veritatis defendandae est studium, nihil utique imminet periculi ab infelicibus illis tectonibus et eorum empticiis operis; quare prudenter ac recte facis, qui magno animo, quasi intra sanctam urbem, cum Ezechia, blasphemabundos Rhabsaces, munitus fide in Domine, non metuis. Discerpunt et me obtrectatores mei et insignibus mendaciis me traducunt, et hominem alioqui ad captandam hominum gratiam minime felicem invidiosum reddunt, idque unum faciunt, cum praeterea grassari nequeant. Porro nostrum fuerit bene precari atque illos Christo commendare, ut tandem posita ira illorum misereatur. Illas enim preces, *τῷ θεοδιδάκτῳ* loquor, potissimum amat.

Ulrico ab Hutten, equiti charissimo, fasciculum hunc reddi cures oro. *Buceri* causam Tibi commendarem, nisi Te scirem *φιλανθρωπότατον*. Hominem si iuvare potes, iuva obsecro. Ego mancus sum, manum porrigere nequeo; nihil alioquin eius nomine facere detrectarem. Ingenio, eruditione, ardore, constantia multisque aliis nominibus Evangelio prodesse potest. Salvum opto *Ceporinum* et *Leonem* atque totam Ecclesiam tuam, quae Christi. Bas. 16. Iun. 1523.

Tuus *Oecolampadius*.

XXXIX.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO S.

Ostendit mihi *Ambrosius Syragrius* schedulam quandam in quam excerpserat quaedam ex his, quae nunc per Te excuduntur apud vos de intercessione Sanctorum. [1] Non potui ex fragmentis rem totam capere, sed videbantur probare, Sanctos non intercedere, perinde atque intercessio aliquid adimat beatitudini, et quies illorum operatione destituta sit et omni actu vacet. Quod sane non video ut ex scripturis satis firmetur. Tu ede pro tua prudentia minus certa, vel ita parce, ne irritatos in nos apros converti faciamus, vel ita copiosis testimoniis, ut prostrati penitus obmutescant. Boni quaeso consule. Sinceritas enim admonet. Domino *Hutteno* salutem ex me preceris; dicasque nihil interim ad me venisse literarum. Vale. *Bas.* in die Chiliani. 8. Iul.

Tuus *Ioh. Oecolampadius*.

---

1) E Conclusionum expositione.

XL.

ULRICUS AB HUTTEN EQUES ZUINGLIO S.

In thermis [1] parum commode cessit, quod non satis calent. Videtur penitus nihil contulisse ad recuperandam valetudinem hoc laboris et periculi, quod impendi. Verum Abbas [2] dici non potest, qua me humanitate et quam liberaliter tractaverit. Hoc nomine ages illi gratias, cum scribes aliquando. Nam Tibi et *Commendatori* [3] gratificatus in me est. Abeuntem obnixissime oravit, ut totas aliquot hebdomadas secum perquiescerem. Etiam equos et reliqua ad viam large. Consuluit aliquando repeterem thermas; nunc quo minus profuerint in causa fuisse pluviam, quae per omnes hosce dies miscuit se balneo. Neque unquam defuerunt frigidae aquae, aut coelo iam cadentes, aut nuper demissae a rupibus profluentes, quarum aliquando violenti torrentes ruinam quoque domunculae minati sunt. Et haec de thermis, ubi nunciatum mihi est venisse istuc *Nicolaum Prugnerum* a *Mülhausen*, [4] praeterea literas ad me. Quae omnia ut habeant, statim significa, et si quidem literae sunt, hisce perferendas trade. Item quod hospitium mihi paraveritis fac sciam: nam hodie istuc promovissem nisi dubitassem, quo divertendum esset. [5] Non dubito, quin haud defueritis mihi hac in re. Quicquid est, certiorem me fac et vale.

XLI.

LUDOVICUS TSCHUDIUS [6] ZUINGLIO.

Domine doctissime, inprimis gratiose! mea officia et quidquid boni possum, lubens offero. Principio Vestrae caritati magnas gratias ago pro eo, quod missum accepimus, paratus demerere etc. Deinde, Domine dilecte, clanculum Magister *Valentinus* [7] me certiorem fecit, Vobis latere consilia *Bernae* capta in hanc sententiam, ut sicubi Vos intra fines confoederatorum deprehendi possetis, daremini in custodiam. Quod per benevolentiam Vobis indico, ideoque *Petrum*, fratrem meum, [8] ad Vos mittere animo habebam. Sed tamen, si Vobis lubitum fuerit nos Glaronae visere, per nos meaque fide securis ac laetis iter facere licuerit. Porro ad nostrum Senatum relatum, in Comitiis Badenae actum esse, ut Evangelicae doctrinae sive novationes prohiberentur atque cum aliis confoederatis tollerentur; at eam rem nos quidem decretam habere noluimus. Nostrum hoc erit responsum: Nos utimur probis animorum curatoribus, veritatem nobis tradentibus. Quamquam agnatus meus, *praetor Tschudi* [9] aliique vasto cum clamore contra ferociant: spero tamen, mox fore, ut melius habeamus. Bene hoc

---

1) *Fabariis.* 2) Abbas *Russinger* Fabariis. 3) Commendator Schmid Kussnaci. 4) Praedicator in Mülhausen. 5) Deductus est in *Augiam*, lacus Tigurini insulam, ubi *Ioannes Schneck* pastor habitabat, Zuinglii amicus idemque medicus. 6) *Aegidii* frater maior, patruelis autem *Valentini Tschudii* pastoris. 7) Pastor *Claronae.* 8) Fuit mansitque amicus *Zuinglii* admodum industrius; alumnus Glareani. 9) *Iustus.*

factum profecto, quod Vestra ratione viros honestos impertivistis.[1] Ceterum cogito, Petrum meum fratrem propediem ad vos mittere, a quo de rebus nostris resciscatis. Propterea nunc nihil amplius scribebam praeter hoc: me facturum esse, ut probus christianus reperiar spectatae fidei, licet exigua sint opera, ac Deum precari, ut Vos corroborare ac tutari velit. Glaronae die Iovis post S. Margaretae 1523.

Vestri nominis cultor, *Ludovicus Tschudi.*

Seponatur, oro, epistola.

Inscriptio: Doctissimo Domino, Domino *Huldrico Zuinglio*, verbi divini oratori in civitate Tigurina.

41.

Ludwig Tschudi an Zwingli.

Wohlgelehrter sonders günstiger Herr. Mein willigen Dienst und alles Guts. Am ersten sag ich Euer Lieb grossen Dank der Zuschickung mir gethan, erbiet mich solches zu verdienen etc. Weiter, fürgeliebter Herr, so hat mir heimlich Mstr. Valentin angezeigt, Ihr seyet nicht berichtet der Anschläge zu Bern gemacht. Ist die Meinung, wo man Euch in der Eidgnosschaft begreifen könnte, gefänglich anzunehmen. Thu ich Euch guter Meinung zu wissen, habe auch Peter, meinen Bruder, der Ursache halb zu Euch wollen schicken. Aber so Ihr Lust habt zu uns gen Glarus spazieren, möget Ihr unserthalb auf mich hin sicher und fröhlich thun. Weiter ist in unserm Rath angebracht, dass auf dem Tag zu Baden angesehen war, die Evangelischen Lehren oder die Neuerung verbieten und mit samt andern Eidgnossen abzustellen, dessen wir uns doch nicht haben wollen beladen. Wird unser Antwort seyn: Wir haben Seelsorger und gufer Hoffnung, sie geben uns die Wahrheit vor. Wiewohl mein Vetter Ammann Tschudi, auch andere, mit grausamem Geschrey das widerwüten; doch hoffe ich, es soll bald besser mit uns werden. Ihr habt auch wohl gethan, Euer Meinung denen Ehrenleuten zugeschickt. Bin auch Willens, Peter, meinen Bruder, in kurzem zu Euch spazieren schicken und Euch weiter unseres Wesens zu berichten; darum ich Euch jetzt nicht weiter schreibe, dann ich ein guter Christ gefunden werden soll meines Glaubens halb, obschon die Werke blöd sind, und wolle Euch Gott bestäten und erhalten. Datum Glarus Donst. nach S. Margrethen 1523.

Euer williger Ludwig Tschudi.

Meine Bitte, das der Brief abweg gethan werde.

Aufschrift: Dem Hochgelehrten Herrn, Herrn Ulrich Zwingli, Verkünder des Worts Gottes in der Stadt Zürich.

---

[1]) Sine dubio epistola significatur, quacum conclusionum expositionem ad Praetorem ac Senatum Glaronensem 14. Iul. miserat.

XLII.

AMBROSIUS BLAURERUS ZUINGLIO.

Non ausus sum ipse quicquam ad Te scribere, christianissime *Ulriche*, ne quid forte tua in Christianam Rempublicam studia, intempestivus interpellator, remorarer; sed hanc tamen epistolam [1] (quam ut

---

1) *Io. Faber*, Vicarius Generalis, Constantiae die 3. Iun. 1523 has literas dedit ad notum aliquem Moguntiaci, quas Ambrosius Blaurerus communicatas ad Zuinglium transmisit. „Inter hos praecipuos labores, quibus eadem hora angebar, tuae literae quasi solamen aliquod attulere non modicum. Fuerunt enim atque sunt omni humanitate refertae, ex quibus quum intelligerem, nondum omnem Germaniam post unum abiisse *Lutherum*, communem amicum, erat quo ad pergendum in rebus meis animarer. Coepi autem hanc harundinem Evangelicam, huc atque illuc omni doctrinarum vento agitatam, suis depingere coloribus. Ostendo enim eidem non modo, quae contra sanam et rectam Evangelii intelligentiam ediderat, imo contra pugnantia illius plusquam trecenta describo, ex quibus in brevi intelliget orbis, quo spiritu in unicam domum Dei Sabaoth irruerit, quo tendat, quam misere vulgus hoc iners ab hoc uno seducatur homine. Videbis autem, spero, non inutilia. Partitus sum hanc contradictoriorum summam in tres libros admodum iustos. In primo ostendam, quo pacto ab universali Ecclesia, atque communi consensu Christi fidelium, nos abducere tentarit noster ille *Lutherus*. In secundo, in transcursu et obiter indico, non solum ab universali Ecclesia dissentire Lutherum, imo quod nec Picardi; nec alii Haeretici, etiam ab Apostolorum tempore usque ad nostra secula cum Luthero convenerint, et credo, sum orbi daturus centum et quinquaginta articulos, ex quibus Christianae fidei religio pendet, in quibus durior atque asperior est ipse Lutherus, quam omnes omnium seculorum Haeretici. In tertio libro hominem ex ore proprio iudico, qui ediderit nobis in Theologia praecepta, non alia, quam quae cum illius Chrysippi Dialectica optime conveniant. Hic vespas et vespertiliones Lutheri videbis. Faxit Deus, ut prae occupationum mole salvus et incolumis diutissime vivam. Nunc sub manibus tero, an verum sit, quod post *Wicleph*um temere Lutherus asserit, necessitate absoluta omnia evenire. Et hic ex uno duntaxat libro, hoc est, Genesi sexaginta locos inveni, ex diametro huic assertioni contrarios, et parum aberit, non sit aliquod in sacrorum librorum Canone caput, quantumvis breve atque exiguum, ex quo non valeam hanc iugulare sententiam. Talis ac tanti nominis Θεοδίδακτος est ipse Lutherus, ut uno axiomate audeat contra se provocare mille sacrarum literarum sententias. In brevi stupidas illius allegorias adgrediar. Interim minutula quaedam et forte non aspernanda videbis. Ea distuli, sperans ex Luthero responsum, quod forte diutius ad mea scripta suspendit, quod contra pacificum in pugnam prodire non audeat, vel forsan modum ignoret, tum ipse ubique sit convitiis lidoriisque refertus, neque gratiam hanc habeat, ut modeste quicquam agat: quanquam me insanum esse dixerit, antequam ulla catena, velut Orestes, ligatus fuerim. Sed haec est ratio Lutherani Evangelii, spiritus cunctos iudicare tales, quales illi sunt; et quod recte nuper Serenissimus Anglorum Rex in epistola sua testatus est, cuius copiam antequam tuus ille familiaris adesset et ex Lupleto habebam. At pro tuo candido animo tibi gratias habeo plurimas, qui non dedignatus fueris illius rei me facere participem. Quod ex me nova expectas, certi quidquam non habeo, nisi quod apud *Tigurinos* novus Lutherus exoritur, qui tanto gravior est, quanto austeriorem populum habet. Huic contra ire, velim nolim, cogor etiam invitissime; id quod in brevi agnosces.

descriptam haberes, tua nonnihil interesse putamus), adhortante *Menishofero* nostro, mittendam curavi. Ex illa tu plane intelliges, magnificos, hoc est Romanos, et omnino dignos Fabro conatus, qui cum hactenus nonnulla magno quidem nixu, sed infeliciter nobis peperierit, tamen subinde alia atque alia orbi se parturire, tam impie, quam impudenter promittit. Orbi, inquam, ne quis illum unius urbis aut gentis Apostolum arbitretur: quo nomine caeteros Apostolos facile antecellit, non solum aequat hoc Iovis sandalium. Miseret me, ita mihi Christus faveat, miserrimi hominis, atque eo magis, quo minus miseriam ipse suam agnoscit, et precabimur melius ominatam mentem, ut tandem et pudeat et pigeat tam subventanei partus, quanquam vix fore speramus, ut recurrat, qui tanta pertinacia, tam adfectata male currit. Tu perge, ut facis, et Christi doctrinam, quanto potes maximo studio, Christianismum ab Anti-Christis istis vindica: manus enim Domini tecum est, confortans te. Nos posthac non patiemur te quicquam ignorare, quae *Fabrum* hic molliri resciverimus, adversus te inprimis, cuius nomini et authoritati non minus ac nobis ipsis consultum cupimus. Vale, et si molestum non erit, tuum quoque χαῖρε ad nos, quantumvis neglectim, transscribe. *Hutteno*, quem isthic esse audio, me diligenter commenda. Huius germanos animos illa, si quicquam aliud, recens edita cum *Erasmo* expostulatio nobis et festiviter et proxime refert, ut vehementer nobis doleat viri citra fucum Christiani parum firma valetudo, quam modis omnibus adamantinam esse oportebat. Saluta M. *Erasmum*[1] D. *Urbanum*[2] *Vislisbachensem*, M. *Gregorium Mangoldum*, cum universa quae apud vos est ecclesia. Salutant te carissimi consobrini nostri *Zuiccii*,[3] quorum alter infelicitatis suae tragoediam ad Te perscribere destinavit. Tu omnia emendabis. Non est ut relegere possim, alio me vocantibus negotiis familiaribus. *Constantiae*. 27. Iul. 1523.

XLIII.

HULDRICHUS ZUINGLIUS CARISSIMO FRATRI N.

Gratiam et pacem per Christum. Quum rem istam adgressurus es, carissime frater, in numerato debes ante omnia habere Prophetarum oracula, quibus constantissime et malum hoc redarguunt, et quid aerumnarum quantumque inde proveniat ostendunt. Invenies autem ista passim non modo apud magnos, verum etiam apud minores, ut vocant, prophetas, ut apud Amosum et Micheam. Quod si deinde coenam verbi Dominici cupis gravibus tum dictis tum gestis gentilium, veluti bellariis, lautiorem reddere: legendus est ante omnes Sallustius in Catilinario Iugurthinoque bellis. In quorum priore disces impotentium quorundam hominum audaciam, artes, ambitionem, et quo munerum corruptela tendat; in altero, quid possit largitio, quidque audeant qui pecuniis corrupti sunt. Habebis et Valerium Maximum familiarem propter exemplorum promptitudinem. Istos confestim absorbebis, quod et breves sunt et dilucidi,

[1]) Fabricius. [2]) Wyssius. [3]) Ioannes et Conradus.

ac sermonem latinum (cuius mediocrem modum hausisti) vehementer locupletabunt, ut his incunabulis imbutus ad Titi Livii historiarum immensum flumen instructior accedas. Inter primos quoque habebis Plutarchi vitas. Mox ubi nactus eris otium, Suetonium quoque et Herodianum percurres, cum Vopisco et aliis: qui bonorum principum simul ac tyrannorum imaginem sic tibi adumbrabunt, ut prorsus sis plurimum lucri ad propositum argumentum facturus. Appianus Alexandrinus tumultus bellorum civilium, socialium ac proscriptionum deformabit, autor supra modum ad legendum iucundus: brevis enim cum sit, res tamen gravissimas sic connectit, ut qui legere coeperit desinere nesciat. Proderit si quando vacat, Diodorum Siculum quoque legisse propter vetustatem; et Robertum Gaguinum propter res Francicas. Caesarem dictatorem arbitror te olim legisse. Habent Plinius et Gellius multa, quibus argumenti huius penum locupletare possis. Quintus quoque Curtius rem iuvabit autor tersissimus. Iosephum non commemoro quod pleraque in sacris literis invenias, quae iste congessit, praeter bellum Iudaicum; id vero cum primis leges: plurimum enim valebit ad deterrendum, ne misericordiam Dei perpetuo contemnamus, ac tantam iram thesaurisemus. Graecos autores, cum propter aetatem ac valetudinem forsan inconsultum sit ad graecas literas adhortari, cum ipse per otium revolvo (nullibi enim literarum libentius versor) adsignabo quae huius sunt instituti, ac dum est occasio mittam. Vale, et quod e re Evangelii putabis esse, nunquam omitte. 30. Iulii.

XLIV.

IACOBUS LEO, OECONOMUS CAPELLAE ZUINGLIO.

Salus a domino nostro Iesu Christo. Magister dilecte, Huldrice! ex eo, quod Vobiscum proxime transegimus, de conventu nimirum, negotium, gratia Deo, bene coeptum videtur. Faxit Deus, ut feliciter finiatur. Scitote, Magister dilecte, conventum prorsus consentire in Evangelium neminemque hic adversari. Oramus ergo, ut ne Vos rem missam faciatis nobisque in hanc meridiem, id est in diem Lunae impetretis nuntium honorabile a meis Dominis Clementibus reportandum; quemadmodum vobiscum convenit. Nos enim una mente rem expetimus. Nos quoque prout inter nos conventum est, ad meum dominum Capellam misimus, qui veniat. Sic Deo freti speramus, ab eo nobis verbum suum sanctum aperiri. Haec hactenus. Deus sit Vobiscum. Die Assumtionis Mariae. Admodum sero.

44.

Iakob Leu, Schaffner zu Capel, an Zwingli.

Salus a Domino nostro Iesu Christo. — Lieber Mstr. Ulrich, auf den nächsten Abscheid, so wir mit Euch gethan haben, nemlich des Convents halben, ist von Gnaden Gottes wohl angefangen. Gott wolle das wohl enden. Wisset lieber Mstr. Ulrich, dass der Convent ganz einhellig ist mit dem Evangelio und da kein Böser. Bitten also

Euch, ihr wollet nicht lassen, und wollet uns auf heut Immis, als auf Montag, helfen um eine ehrliche Botschaft von meinen gnädigen Herren, als Ihr mit uns verlan hand: dann wir begehrens ganz einhellig. Darum thut das Beste. Wir haben auch, als wir mit Euch verlan hand, zu meinem Herrn von Cappel geschickt, der wird auch kommen; also trauen wir Gott, er wolle uns sein heiliges Wort eröffnen. Nicht mehr, denn Gott sey mit Euch. Datum auf Assumt. Mar. 15. Aug. Fast spät.

XLV.

IACOBUS LEO ZUINGLIO.

Gratia et pax a Deo! Reverende, dilecte Domine et Frater. Deus annuere solet omnibus, qui ipsum animo integro precantur. Scitote, Magister dilecte, rem bene et prospere cessisse, nosque cum Abbate conspirasse universos, ut amplectamur sanctum Dei verbum eique immoriamur, et sub hanc noctem simulacra omnemque idololatriam sublatum iri. Quare, dilecte Domine et Frater, pergite sic benefacere nobis opere et consilio, ac mittite nobis illico virum solertem, qui lectione praeeat nobis verbumque Dei praedicet. Nos vero, pro ea, quam Deus impertit, gratia probabimus nostrum officium ac diligentiam, debitamque gratiam referemus. Viator senatus potest Vobis omnem eventum referre. Deo sit laus in aeternum! Deus sit Vobiscum. Die Lunae post Assumtionem!

45.

Iakob Leu an Zwingli.

Gnad und Fried von Gott. Eersamer, lieber Herr und Bruder! Gott will alle die erhören, die ihn von Herzen anrufen. Er hats auch an uns erzeigt. Wisset lieber Mstr. Ulrich, dass recht und wohl von Gottes Gnaden gangen ist, und wir mit dem Abbt all einhellig worden sind, anzunehmen das heilig göttlich Wort und dabey zu sterben, und auf die hinacht noch die Götzen und all Abgötterei wegfallt. Darum lieber Herr und Bruder, thut nun hinfür so wohl und seit uns hilflich und rathlich, und schicket uns ohne allen Verzug einen geschickten Mann, der da lese und das Gottswort verkünde. Wollen wir uns, so weit Gott Gnad gibt, recht schicken, und solches um Euch beschulden. Der Rathsbot kann Euch allen Handel sagen. Gott sey Lob in Ewigkeit! Gott sey mit Euch! Datum auf Mont. nach Assumtionis.

XLVI.

DESIDERIUS ERASMUS ZUINGLIO S.

Optime *Zuingli!* grata mihi fuit tuae epistolae confabulatio. Rumor ad nos allatus est, etiam tertium illum Augustinensem exustum [1]

[1]) Primo Iulii 1523. tres Augustinenses monachi Lutheranae opinionis crimine damnati *Bruxellae* supplicium pependerunt in rogo.

postridie visitationis. Nam pridie eius diei exusti sunt duo. Quorum mortem an deplorare debeam, nescio. Certe summa et inaudita cum constantia mortui sunt. Scio, pro Christo mori gloriosum esse. Nunquam defuit piis afflictio; sed affliguntur et impii, et πολυτέχνος est ille, qui se subinde transfigurat in angelum lucis, et rarum est donum discretio Spirituum. *Lutherus* proponit quaedam aenigmata in speciem absurda: omnia opera sanctorum esse peccata, quae indigna ignoscantur Dei misericordia; liberum arbitrium esse nomen inane; sola fide iustificari; hominem prope nihil ad rem facere. De his contendere, quomodo velit intelligi *Lutherus*, non video quem fructum adferat. Deinde video in plerisque ei addictis miram pervicaciam, et in *Lutheri* scriptis quantum male dicuntur, saepe praeter rem. Ista me cogunt subdubitare de spiritu illorum, quem ob causam, cui faveo, velim esse sincerum. Nullum monitorem ferunt; iure moniti, se referunt in partem diversam; ac involvunt hominem quavis occasione. Appellas me cunctatorem. Obsecro, tu quid velles me facere? Adhuc quae scripsi, libere scripsi. Et sicubi sum blandior, non prodo veritatem Evangelicam, sed assero quae licet. De hoc Pontifice comparavi bonam quandam spem; nunc vereor ne me fallat. Et tamen hunc admonui officii sui blandius quidem, sed ita credebam expedire. Scripsi illi privatim prolixam epistolam liberrime.[1] Nihil respondet; vereor ne sit offensus. Eam si legisses, diceres me non esse blandum, quum se dat occasio. Et liberior essem, si viderem, me profecturum. Dementiae est, tibi perniciem accersere, si nulli prosis. Ego florentissimam regionem reliqui,[2] ne miscerer negotio Pharisaico: nam alia lege non licuisset illic vivere. Et ea est valetudo mea, ut non possim quovis loco vivere. Pontificia tyrannis his placet, quibus displicet *Lutherus*. Episcopos ex Patribus factos Principes profanos et cum Monachis colludere, quis non videt, quis non dolet? Haec mihi non uno loco dicta sunt. Quae nunc aguntur, video recta ad tumultum tendere. Eius finis qui sit futurus, nescio. Mundus est plenus pessimis. Hi demum erumpent excitata rerum tempestate. Satis admonui episcopos, satis Principes vel in libello de Principe, homo nullius authoritatis. Quid me velles facere praeterea? Etiamsi vitam contemnerem, non video quid esset insuper faciendum. Tu in nonnullis dissentis a *Luthero*. Dissentit et *Oecolampadius*. An ergo propter illius doctrinam obiiciam me meosque libros periculis? Omnia recusavi quae mihi hoc nomine offerebantur, ut adversus illum scriberem. A Pontifice, a Caesare, a regibus et principibus, a doctissimis etiam et charissimis amicis huc provocor. Et tamen certum est; me non scribere, aut ita scribere, ut mea scriptio non sit placitura Pharisaeis. Non est opus ut testibus citatis ius tibi asseras admonendi mei. Eruditorum admonitio mihi semper fuit gratissima. *Oecolampadius* proposuerat quaedam disputare, iamque schedas prodiderat. Iussus est in aliud tempus prorogare. Nunc permissum est disputare, quum volet. Vir optimus est, sed impatiens mo-

---

1) *Erasmus* ternas literas scripsit ad Papam, Adrianum VI. 2) Brabantiam, unde redierat ex Anglia.

literis, quamvis amici. Scripsit ad illum *Lutherus*, [1] sibi narratum, illum enarrare Esaiam; me vehementer obstitisse, quum nemo magis faveat *Oecolampadio*. Addit, mihi non multum tribuendum in iis, quae sunt Spiritus. Hoc quid sit non intelligo. Adiicit, me veluti Mosen eduxisse ex Aegypto, caeterum moriturum in campestribus. Utinam ipse sit Iosua, qui perducat omnes in terram promissionis!

Expostulatio *Hutteni* [2] non est reddita, nisi postquam iam esset vulgata multis exemplaribus et ambiret apographos. Ego illi non invideo tuorum civium favorem. Miror tamen, quo nomine faveant. Tanquam Lutheranо? nemo magis officit causae evangelicae. Ob bonas literas? nemo aeque nocet bonis literis. Hic ille libellus, scriptus sine causa in amicum, multam invidiam conciliabit nomini Germanico. Quid enim barbarius, quam tot fictis criminibus incessere amicum bene cupientem ipsi, et de ipso bene meritum. Scio illum instructum alieno fuisse, ac hoc fuisse per quosdam agitatum, ut ab amicis meis extorqueretur pecunia. De caeteris illius factis non disputo. Satis nota sunt. Sed amicitiam colunt veram piratae. Respondimus illi. Iure non respondimus, sed impudentem calumniam a nobis depulimus. Magis me movet causa evangelica, ac bonarum literarum, quam mea iniuria. Nihil moror illorum amicitiam, qui tali delectantur ingenio. Nulli non persua-

---

[1]) Totus locus e Lutheri epistola (20. Iun.) ad Oecolampadium de *Erasmo*: „Dominus roboret institutum tuum in legendo Isaia: quanquam ad me scriptum est, *Erasmo* displicere. Sed hoc displicere nihil te molestet. Quid *Erasmus* in rerum spiritualium iudicio sentiat aut simulet, testantur eius libelli abunde, tam primi, quam novissimi. Ego etsi aculeos eius alicubi sentio, tamen, quia simulat, se non esse hostem palam, simulo et ego, me non intelligere suas astutias, quanquam penitius intelligam, quam ipse credat. Ipse fecit ad quod ordinatus fuit, linguas introduxit et a sacrilegis studiis avocavit; forte et ipse cum Mose in campestribus Moab morietur. Nam ad meliora studia (quod ad pietatem pertinet) non provehit. Vellemque mirum in modum, abstinere ipsum a tractandis Scripturis sanctis et paraphrasibus suis, quod non sit par istis officiis: et lectores frustra occupat, et moratur in Scripturis discendis. Satis fecit quod malum ostendit; at bonum ostendere (ut video) et in terram promissionis ducere non potest. Sed quid ego de *Erasmo* tam multa? nisi ut illius nomine et authoritate nihil movearis, atque adeo gaudeas, si quid ei displicere sentias in re ista Scripturarum, ut qui vel non possit vel non velit de iis recte iudicare; sicut pene totus iam orbis incipit de eo sentire." (Hott. Hist. eccl. VI. 758. 759.) [2]) Importunitatem Erasmi Huttenus suis in angustiis ac periculis ultus est libello sic inscripto: *Ulrichi ab Hutten* cum *Erasmo Roterdamo*, Presbytero Theologo, Expostulatio. Inprimis in hoc libro inquirit: Cur *Erasmus*, qui Rom. Pontificem paulo ante in ordinem redigendum cum ipso et reliquis sociis decreverit, nunc retro actus cum hostili parte societatem inierit? Erasmus conquestus est de hoc libello per epistolam 10. Aug. ad Senatum Tigurinum, monuitque, caverent insolentiam Hutteni, quae magnam civitati noxam posset creare, suasitque ut huic viro periculoso frenum iniicerent. Huttenus ut comperit per amicum, quid Erasmus Tigurum scribat, orat senatum per epistolam 15. Aug. ut communicetur Erasmi epistola, quo sese defendere possit, animumque suum Evangelio addictum testatur. Obiit 1. Sept. in Augia insula. (Erasmi vita, quam conscripsit Hessius, Vol. II.)

sum est hoc, quicquid isthic habet furoris, Te auctore actum esse, utcunque tu tergiversaris. Aliquid mali ille potest adferre vestrae civitati, boni nihil. Porro quod auxerit maledicum libellum, ipse narravit *Oecolampadius*. Quanquam et illius video ingenium; ille non desinet furere non tam meo malo, quam bonarum literarum. Quod si non desinet fragili quaerens illidere dentem, infringet solido. Tu curabis hominem coercendum, si putes hoc interesse et politioris literaturae et causae evangelicae et nominis germanici, quandoquidem hodie vulgus Germanos vocat, quicunque germanice loquuntur. *Oecolampadius* heri disputavit, disputaturus denuo proximo dominico. *Lutherus* scripsit ad *Oecolampadium:* mihi non multum esse tribuendum in iis, quae sunt Spiritus. Velim hoc ex te discere, doctissime *Zuingli*! quis sit ille spiritus? Nam videor mihi fere omnia docuisse, quae docet *Lutherus*, nisi quod non tam atrociter, quodque abstinui a quibusdam aenigmatibus et paradoxis, unde cupiam plurimum denique fructum . . . . . sed ego malo fructus magis praesentes. Valde gravat istos invidia, quod vos praebetis palam copiam omnibus contradicendi. Precor, ut Dominus Iesus dirigat ac bene fortunet spiritum vestrum. Quod *Hilarius* noster dixit, per te potuisse premi libellum *Hutteni*, ex suo animo dixit, non ex meis mandatis. Bene vale. *Basileae* pridie Kalendas Septembris 1523.

XLVII.

ERASMUS ROTERODAMUS

ERUDITISSIMO ULRICHO ZUINGLIO APUD INCLYTAM HELVETIORUM CIVITATEM THUREGIUM CONCIONATORI. [1]

Quoniam isthuc primum hinc allatum est venenum, *Zuingli* doctissime, visum est convenire, ut eodem primum iret autidotus. Non quod metuam ne apud te aut ullos cordatos viros laederet existimationem meam *Huttenica* criminatio, sed ut his quoque mederer, qui vel mihi parum sunt aequi; vel naturae vitio libentius ea credunt, quae laedunt famam hominis, quam quae commendant. Quis enim vir bonus aut cordatus non detestatur hoc exemplum, quod *Huttenus* nec verbo nec facto unquam a me laesus, sed sic toties etiam editis voluminibus a me praedicatus, ut nemo neque benignius aut candidius, neque crebrius, toties meis literis apud Primates viros commendatus, subito velut ex insidiis talem libellum emisit in amicum, etiam tum candidissime atque amicissime de ipso praedicantem, quum ista scriberet, nihil omnium minus suspicantem, quam ut ab *Hutteno* nasceretur aliquid tragoediae? Quid excogitari potuit alienius ab omni humanitate fideque Germanica?

---

[1]) Expostulationi *Hutteni Erasmus* opposuit libellum, qui *Spongia adversus aspergines Hutteni* inscriptus est, ilsque ipsis editus diebus, quibus Huttenum morbus absumebat, antequam nuntium de eius morte accepisset. Haec est epistola dedicatoria ad Zuinglium libello praefixa.

Hutteni et Erasmi haec scripta *I. I. Stolz* 1813 ambo teutonice reddita cum animadversionibus in vulgus edidit.

quid optatius aut gratius bonarum literarum hostibus? quid ipsis bonis literis incommodius? quid Evangelico negotio perniciosius, aut si libet etiam *Lutherano*, cui se iactat favere? Bellum indixerat *Romanensibus*, et amicum sincerissime amantem, nulla expostulatione praemissa, tam amarulento libello inexspectantem aggreditur, ut in nullum hostem adhuc scripserit virulentius. Et interim auxit, ut audio, libellum, quasi parum ibi fuisset veneni, nec videtur unquam facturus finem, posteaquam semel bellum indixit et Musis et Gratiis. Equidem non invideo illi *Helvetiorum* humanitatem, qui concedunt latebras, quo tutus sit interim ab his, qui venantur illum ad supplicium. Sed tamen curandum est, ne sic abutatur Helvetiorum humanitate, ut apud eos tuto latitans tales libellos eiaculetur in capita quorumlibet de studiis publicis bene merentium, interim nec Pontifici parcens, nec Caesari, nec Germaniae Principibus, ac ne Helvetiae quidem gentis integerrimis viris, quorum de numero est *Ludovicus Berus*. Haec quoniam scribit apud Helvetios latitans, metuendum est, ne quid hinc olim invidiae aut incommodi perveniat ad hanc gentem, quam optamus publica tranquillitate, cunctisque bonis esse florentissimam. Nihil autem facilius quam serere dissidia, quum difficillimum sit mederi malo semel nato. Vale.

XLVIII.

ZUINGLIUS AMBROSIO BLAURERO.

Gratia et pax a Deo et Domino nostro Iesu Christo. Quod epistolae tuae [1] hactenus nihil responderim, negotia fuerunt in causa, piissime *Ambrosi*, quae tamen supra modum grata fuit; nonnihil enim rumoris honesti plane ad nos perlatum de Te erat. Eum confirmat epistola tua, qua videre est, quam anxie vigiles, ne imprudentes πολύτεχνος hostis obruat. Gratia Deo qui in vinea sua novos quotidie surculos plantet, qui augescendo, fructumque ferendo, immanes istos vastantesque apros multitudine sobolis superant. Audio praeterea, ostium tibi in patria aperiri, quo vires tibi a Deo donatas exercere in praedicando Evangelio detur. Faxit Deus, ut omnia in gloriam suam cedant. Res ut primum completa pronuntiataque erit, quaeso significes: nam et *Vannius* nonnihil de ea re gratulari sibi dicitur, quem nunc oro, ut salutes cum *Bozhemio*. [2] Res, aut si mavis, tempestas, quae ex demolitione idolorum nata fuit, apud exteros nimium atrocior, quam apud nos, ad hunc modum sedabitur. Dedit Senatus de suo ordine quatuor, totidem de inferiorum ordine, qui Ducentarii nobis vocantur, qui cum tribus episcopis, qui in urbe sumus, scripturae locos de idolis diligenter expendant, summamque post ad Senatum Ducentorum referant: ea

---

1) Conf. Epist. XLI. 2) *Io. Bozhemius Abstemius*, Canonicus Constantiae, amicus Erasmus, quocum commercium literarum habebat, dives et eruditus, eximium librorum picturarumque thesaurum comparaverat. Erasmus praedicabat hospitalitatem ac iucunditatem apud eum perceptam. Bozhemio etiam cum reformatoribus in Constantia et cum Zuinglio intercessit amica voluntas. Obiit 1535. (Hessii vita Erasmi.)

est suprema apud nos autoritas. Tenentur interim in carcere, qui suo Marte cum idolis privati congressi sunt.[1] Vetat me crepusculi vis epistolam latius extendere. Vale et servet Te sibi Christus Opt. Max. incolumem. Ex *Tiguro* 9. Oct. 1523.

Huldrichus Zuinglius tuus.

Mitto Senatus decretum,[2] quod, ut spero, multis exemplum dabit liberis urbibus, quemadmodum et Evangelii ad finem Ianuarii collatio habita.[3] Nec mireris hic generalia modo pronuntiata esse: res omnes recte apud nos habent, sed laborem ne momento quidem vigiliasque remittere datur.

XLIX.

ZUINGLIUS OECOLAMPADIO.

Gratia et pax a Deo et domino nostro Iesu Christo. Nunc tandem, charissime *Oecolampadi*, literis Te nostris anteverto, quibus nihil aliud significo, quam quod vehementer gratus est Christi bonus odor, qui per te *Basiliensibus* spargitur, quoque illi magis ac magis augescunt in omni bono; atque hoc adeo, quod nuper quidam rabula effutivit apud nos, Te haud diu posse *Basileae* consistere, cuius tamen contrarium quotidie discimus, ut iam metus omnis abierit. *Erasmus* pridem bis ad nos scripsit, de Te honestam in utraque epistola faciens mentionem. Una enim sic ait: „*Oecolampadius* apud nos triumphat.“ Hinc nimirum parum verum fuit, quod de illo supradictus apud nos narravit (me tamen non praesente), nempe eius opera futurum, ut a *Basilea* explodaris. Sed haec cave Te turbare patiaris! nam dudum transacta sunt, et nunc manifestum est, quam vaniter, imo mendaciter conficta sint. *Ceporinus* apud vos hiemabit, quem Tibi commendo. *Suffraganeus* episcopi vestri[4] pulcre narratur resipuisse. *Τῷ θεῷ χάρις*. Proderit hoc Christi negotio: nam homo est, ut minime malus, ita semper prodesse studuit ovibus Christi. Eum nostro nomine, si vacat, salutabis, Caesarisque commentaria, quae Prioris in *Mülhausen* sunt, reddes, ut cum fieri queat, ad eum transmittat. *Hutteno* commodaverat iste ipse; nos ea nostris cum libris reposcimus. Pro tuo munere, quod seculis quoque futuris gratum erit laborisque tui ac fidei testimonium, si nuper gratiam non habui, nunc habeo. Serva quantum potest fieri Te incolumem. Deme nonnunquam aliquid laboribus, quibus Te supra modum hauriri perhibent. Vale, servetque Te Christus incolumem, qui nos, precor, Evangelii sui dignos ministros faciat, exque hoc impuro mundo liberet, quem neque nos ferre possumus, neque retro ipse nos. Ex Tiguro 11. Oct. 1523.

Huldrichus Zuinglius tuus.

---

1) *Nicolaus Hottinger*, Hochwittner et alii. 2) Christianum Consultum ac Decretum ad 29. Sept. 3) Acta primae disputationis. 4) *Telamonius Limperger* Oecolampadii lectionibus interesse solitus erat ideoque vetitus in templo cathedrali concionari, adeoque propter suum reformationis favorem 1526 munere privatus. (Wirz. Hess, vita Oecol.)

L.

ZUINGLIUS BONIFACIO WOLFHART.

Gratia et pax a Deo et domino nostro Iesu Christo. Quae a nobis petis, optime vir, implevissemus, si licuisset; sed scito, *Huttenum* nonnihil aeris alieni et apud nostros contraxisse, nec omnia sua solvendo esse. Ita nihil reliquit, quod ullius sit pretii. Libros nullos habuit, supellectilem nullam, praeter calamum. Ex rebus eius nihil vidi post mortem, quam epistolas aliquot, quas hinc inde ab amicis accepit ac ad eos misit, inque unum consarcinavit. Fuit autem pridie apud nos quidam, qui literas ad eum ferebat iam mortuum, quas nos ad *Henr. Eppendorpium*[1] remisimus. Ex illo intelleximus nonnihil spei reliquum esse creditoribus *Hutteni*. Quapropter si *Eppendorpium* convenire potes, adpone virum, ut hac in re consilium auxiliumque impertiat. Nihil praeter hoc nos consilii ferre possumus. Debet nobis quoque aureos tres et *Commendatori* in *Kussnach* viginti. Sed ne hoc quoque oblivisear: referebat idem tabellio, superesse ex *Hutteni* rerum naufragio 200 aureos, quos *Eppendorpius* fortasse adepturus esset. Ego pro Commendatore tum ad *Eppendorpium* scripsi, sed hactenus nihil responsum est. Oro igitur, ut si quid Tibi evenerit, quo speres, eidem suum quoque reddi significes. De meis nihil moror: si quid redditum erit, capiam; sin minus, donabo. Vale, et negotium Christi, quantum potes, adiuva. Victus est ac ferme profligatus e Germania Romanus Pontifex; superest ut arma eius quoque auferantur, (ea, quae sint, ipse melius nosti), quae nos iam pugna omnium atrocissima manet. Sed spectator adest Christus. Ex Tiguro 11. Oct. 1523.

Huldrichus Zuinglius tuus.

Inscriptio: Fratri suo in Christo dilecto Basileam.

LI.

ZUINGLIUS VADIANO.

Gratia et pax a Deo et domino nostro Iesu Christo. Non est, doctissime *Vadiane*, quod Tibi nunc gratias indefessi laboris nuper apud nos habiti[2] agam: ipse enim scis, unde merces petenda sit, ab eo nimirum, cuius negotium fideliter agebas. Quae post secuta sunt, accipe. Selegit Senatus de suo ordine IV, de Civium, ut vocant, ordine IV. ut cum Abbate de *Capella*, Praeposito *Imbriacensi*,[3] Commendatore ex *Kusnaco*, D. *Engelhard*, *Leone*, *Zuinglio* consultent, quo-

---

[1]) *Henricus Eppendorf*, Hutteni et Erasmi amicus, per quem hic Huttenum conveniendi permissionem rogatus recusaverat, unde Eppendorfius quoque inimicitiam cum Erasmo suscepit; admodum studiosus reformationis eam scripto adversus Imperialem potestatem Ensishemii propugnavit. Scripsit adhuc 1531. Querelam ad Desid. Erasmum, Plinium aliaque scripta Latina germanice reddidit. (Hess, vita Erasmi. Kirchhofer. Gesnero-Frisiana Bibl.)
[2]) Unus Praesidum in secunda disputatione Tigurina. [3]) *Henricus Brennwald.*

nam pacto commode possit iniri ratio, ut Christi negotium feliciter promoveat. Visum est omnibus unanimi sententia, brevem Isagogen [1] per nos scribi, qua ii, qui hactenus Christum vel ignorarunt vel aversati sunt episcopi, huc induci possint, ut Christum praedicare ordiantur. Eaque IX. die Nov. coram Senatu lecta placuit; nunc cudi incipit. Additum est, ut *Abbas Capellae* trans Alpes [2] per ditionem urbis Christum praedicet, ubicunque visum erit; commendator *Kusnaci* circum lacum et provinciam *Grueningensem*; nos in eis provinciis, quae ad *Scaphusianos Durgoiosque* spectant, ne scilicet cuiusquam negligentia oves Christi verbo salutis fraudentur. Brevi post, quid de imaginibus statuendum sit, definient, ubi scilicet vulgus doctum erit; aeque de missa. Interea imperatum consueta via incedere, nisi quod cuique privatas imagines auferre, citra tamen importunitatem, permissum est. Cum captivis summo iure actum est, quod quid sit ipse nosti. Attamen praeter rationem hoc sic actum non est: non enim Te fugit, quosnam homines vereri hac tempestate usus sit, non tam ob rem, quam ob Christi gloriam. Sunt enim qui Evangelium Christi aversantur, ni paulisper ad infirmitatem eorum descendas. Horum causa existimo paulo constantius, ne dicam durius cum *Laurentio Hochrütiner* actum esse, [3] viro hercle bono, sed quia ore hactenus liberiore fuit, ardue nimis punito. Neque nunc ulla spes est, quamvis brevi secundam adfulsuram sperem, illius restituendi, ubi scilicet vulgo melius docti erimus. Cogitur itaque hinc migrare, inque tam vasto orbe locum praeter urbem vestram non invenit, quo desidere queat. Oravit igitur, ut se Tibi commendem, ne ei coram vestris desis, qua sollicitudine opus non habuisset apud Te. Nam quod Christi est, commendatissimum Tibi esse non ambigimus; nihilo tamen minus calcar addi inique Te ferre, ut non veremur, ita scimus opera tua melius habiturum aliquamdiu. Procellas enim istas non ignoras, ut fugere oporteat latendo, donec deferveant; quae ubi resederint placatumque aequor fuerit, tum demum tuto solvere licebit. Age igitur patronus sis boni innocentisque apud Deum viri. Quicquid autem illi patrocinatus eris, *Zuinglio* impendisti. Scis enim, ut omnium scandalis urar, omnesque cupiam in visceribus Iesu Christi. Idem orat *Leo*, qui paulisper convaluit, cupitque ut ea pharmaca, de quibus mentionem apud se habuisti, mittas. Salvos iube nostro nomine *Benedictum Burgauer*, *Ioh. Aucupem*, [4] celebrem Musicum, cui quod impendere nos non potuerimus dolet, sed multo magis, quod illius gratiis demulceri non licuit, *Georg. Vadianum*, [5] omnes, *Iacobum*, [6] *Tüffeni* Episcopum. Servet Te Christus incolumem cum uxore et liberis. XI. Nov. 1523.

Salva sunt alioqui omnia. *Huldrichus Zuinglius* tuus.

---

1) Christiana Isagoge. Opp. I. 511 sqq. 2) Albis. 3) Socius eorum, qui magnam crucem in Stadelhofen everterant atque in templo feminarum canonicarum proterve egerant, quo nomine cum *Nicolao Hottingero* ex agro Tigurino est relegatus. Postea partibus Catabaptistarum accessit. Etiam Grebelius eum commendavit. 4) *Vogler*, teutonico nomine, Praedicator ad S. Laurentii aedem Sanctogalli. 5) *Georgius Vadianus*, Ioachimi patruelis. 6) *Schurtanner*.

LII.

SIMON STUMPHUS BEDICENUS U. ZUINGLIO AMICO ET FRATRI IN CHRISTO SALUTEM DICIT PLURIMAM.

Fodere non valeo, neque quod fodiam habeo, si maxime possem; mendicare erubesco. Quid faciam igitur? Peccavi in coelum et contra Te, neque iam dignus, ut vocer filius, neque Dei, in quem peccavi, neque hominum, quos non minus ignoranter quam imprudenter offendi. Quid igitur reliquum? Num illud: vade, et suspende Te? Dii meliora. Tu igitur mi *Zuingli* ignoscito clementer multum peccanti, ut multum amet *Simon*. Reducito in rectam viam oviculam errabundam, id quod facis quotidie. Memento afflicti. Foveto instar gallinae, donec robustus fiat in Christo. Valetudinem agnoscit, medicum expectat. Habeto me velut unum de mercenariis tuis extremis, memor quod capitis Christi unum corpus sumus, membra varia; ego autem abortivus totus. Sed vivit etiamnum Christus, qui novit etiam plusquam quatriduanum Lazarum sepultum peccatis et ignorantiae fasciis vinctum in vitam lucis revocare. Is Te diu incolumem servet suo gregi, et me sibi sanet. Per eundem vale et vive feliciter. Adamantem vel redama vel respue, imo utere ut tuo. Tabellarium Tibi commendo, me utrique. Ex latebris nostris,[1] ipso die qui Elisabeth viduae est sacer.

Totus tuus in Domino.

LIII.

HULDRICHUS ZUINGLIUS BERCHTOLDO HALLERO CAETERISQUE IN CHRISTO FRATRIBUS, BERNAE EVANGELIUM PRAEDICANTIBUS, SALUTEM IN DOMINO.

Gratissimum nobis fecisse beneficium, o fratres Christi milites, ne vos ipsos quidem ambigere, quae vestra est pietas, arbitror. Sollicitudinem enim omnium ecclesiarum, si quemquam, vos angere autumo: quarum ubi profectum videatis, evangeliique incrementum, fieri non potest, ut non impense gaudeatis. Nam qui proximum diligit, in hoc Deus est. Deus enim charitas est; et qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo. Ubi autem Deus est, inde nihil non divinum prodire potest: spiritus enim ille divinus liberaliter omnibus bene vult, gratis omnibus impertit; sic et omnis qui natus est e spiritu. Unde manifestum fit, longe aliter atque calumniatores opprobrant, eos, qui miseras Christi oves hodie quaerunt et adserunt, esse animatos: nempe, ut non ex invidia, ut isti ganniunt, sed e charitate, sed e Deo, qui in eis est, rem gerant. Macti virtute pergite, ne retro respicientes sulcum obliquum ducatis; neve ea quae aedificastis, stipula fiant aut foenum, aut lignum. Quae autem misistis, commodissime vulgabuntur:

---

[1]) Pastor Hoengae propter conciones seditiosos munere privatus oberrabat.

tametsi prelum nostrum paraphrasibus germanicis est occupatum.[1] Basileae enim excudi curabo. Quae autem tacenda erunt, diligentissime tacebuntur. De recens autem electi Pontificis electione, quid statueritis, non probe constat an excudi velitis nec ne; quamobrem, quid fieri velitis, significate. Utrum autem ei liceat, qui propter fornicationem uxorem dimisit, aliam ducere, ut breviter quid sentiam apperiam: Per Christum licet aliam ducere. Nihil enim adversatur vel obstat, quod dixit, dimitti posse propter fornicationem solum; etiamsi manifeste hoc verbis disertis non expresserit. Expressit autem Paulus 1. Cor. VII. Propter fornicationem autem quisque suam uxorem habeat, et: Melius est enim nubere quam uri, et: Virgo si nubit, non peccat. Igitur, si uritur, nubat; aut si connubium excusat peccatum, nubendum est. Neque me fallit, Paulum in sequentibus ita de dimissa, vel digressa potius uxore loqui: His autem qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus: uxorem a viro non discedere; sin autem discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Nam clarum est, Paulum de ea specie divortii non loqui, de qua Christus Matth. V. et XIX. Marci. X. Luc. XVI. Alioqui enim dixisset de divortio secundum Mosen, et divortii aequitate: cum scilicet uxor fornicata fuerit. Quam exceptionem nimirum Paulus non tacuisset, si de eodem genere divortii fuisset mentio, de quo agebat Christus cum Iudaeis. Sed quandoquidem hi, qui nuper ad Christum conversi erant, pro veteri gentilique more auderent uxores quamvis levem ob causam repudiare, nec tamen Apostolus eos vellet austeritate legis gravare, ne viso connubii rigore ab ipsa coelesti disciplina abhorrerent, dixit: His autem qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Si hic fornicationis causa verteretur, procul dubio addidisset: nisi accedat fornicatio. Nisi non voluisset fideliter praeceptum Domini recitare; quod longissime ab Apostolo abesse putamus, qui tam diligenter divina separat a suis, hisce etiam notis: Dico ego, non Dominus, et: Praecipio non ego, sed Dominus. Cum igitur fornicationis exceptionem omisit Apostolus, clarum est, eam non in controversiam venisse; sed, ut dixi, ex recepto more quasdam Christo credentes ob levem simultatem tentasse maritos deserere; eas igitur vetat Paulus, a maritis discedere (fornicationis scelere nimirum semper salvo): nam si discederent, non licere eis copulari aliis maritis. Quod si Paulus in genere dixisset, non licere uxori maritum deserere (quod absit! verumtamen adversariorum instar obiicimus): potior tamen est Christus, qui dixit, propter fornicationem posse dimitti. Sed non diversum sentiunt Christus et Paulus. Hic non permittit quamvis ob causam, ille permittit propter fornicationem. Qui permittit ob fornicationem, non abest ab eo qui non permittit ob quamvis causam; et qui non permittit quamvis ob causam, non obstat ei qui permittit ob ingentem, nempe ob fornicationem. Sed dicetis: Adhuc

---

[1]) Secunda pars paraphrasium Erasmi a *Leone Iudae* vernacule redditarum, epistolas continens in lucem prodiit 1528. apud Froschoverum.

non adesetum est, licere aliam ducere eum, qui propter fornicationis flagitium dimisit. Respondeo: Nec tu probasti non licere. Quin si recte Christi verba ponderes, citius exprimes licere, quam non licere; hoc pacto: Quicunque uxorem dimiserit, nisi ob fornicationem et aliam duxerit, moechatur: igitur qui ob fornicationem dimiserit et aliam duxerit, non moechatur. Vide hic si vis contentiosus esse ac ranarum ritu sophisticari, argumentationem hanc optime valere, si exceptivam particulam, nisi, expendas, et propositionem de copulato extremo, dimiserit ob fornicationem et (ecce et) aliam duxerit; Pauli quoque sententiam non negligas, qua cuique libidine tentato praecipit uxorem ducere, qua item sentit, melius esse nubere quam uri; et qua pronunciando dicit: Et virgo si nubit, non peccat. Neque hic velis nuptias desponsionem intelligere, non etiam cubiculacem congressum: illa enim coelibatus rectius dicêretur, quam nuptiae. Adde quod Graecis γαμεῖν non modo uxorem despondere, verum etiam coire significat. Neque id velim ignoretis: In bibliotheca nostra vetustus libellus est, nomine Poenitentialis inscriptus, in quo sic fuisse observatum apud veteres scriptum est: Ut si uxor fuerit in adulterio deprehensa, marito liceat ab ea dissociato post anni spatium aliam uxorem ducere, uxori vero minime, nisi poenitens reperta fuerit annis tribus; aut ad summum, si recte memini, quinque. Videte quid apud veteres servatum sit. Longior fui hac de re; verum locus iste hoc exigit: nam et ipse eum anxie expendi aliquando. Caetera ex Erasmi annotationibus petatis velim; puta: an non liceat deserere, si uxor fuerit venefica, homicida, insidiatrix, parricida, fur, proditrix et id genus alia. Ad secundum scire oportet, Christum frequenter Iudaeis esse loquutum, iuxta formam tum praesentis status; puta, iuxta statum qui adhuc in lege esset. Legem enim mordicus tenuerunt Iudaei semper, etiamsi Christo credere coepissent; hinc bella Paulo et Barnabae cum circumcisione. Et, ut aperte dicam quod sentio, verendum est quod iusta ceremoniarum pars, qua vel hodie Christiani utuntur, a Iudaeis defluxerit; partim a priscis illis Iudaeis fidelibus veluti per manum tradita: partim ad legis normam ab hypocritis nostris veluti postliminio producta. Quid enim aliud vult aqua ista, qua nos quotidie lustramus, et fumus, quo defunctis torrentamus, nisi quod apud Iudaeos aspersio aquae vitulae cinere infectae, et incensa et thymiamata? Quid templorum dedicationes et feriae, quam tabernaculorum festa et sabbatorum otia? Quid ambitio templorum, vestium, ararum, quam ut hac puerili stultitia crassos istos Iudaeos etiam superemus? Quid ordines aut sectae monachorum aliud volunt, quam Essaei, Sadducaei, Pharisaei, et quarta philosophia, ut Iosephus ait? Praetereo praecipua ista, cantus in templis, oblationes (ut putant), decimas, stipem ad aram collatam, et reliqua, quae non est memorandi locus: quae omnia sunt ad legis praescriptum comparata, adeo ut Iudaei facile sua, modo admittas, agnituri sint. Et quod Christus et Apostoli hac gratia fecerunt, ut rudi rusticoque populo non nihil donarent: hoc nos, qui iam viri esse debebamus, loco verae pietatis usurpavimus. Cum itaque Christus dicat Matth. V. Si ergo munus tuum offers ad altare etc. meminisse oportet, quibus quoque sit tempore loeutus: Iudaeis inquam,

et ea tempestate, qua lex vigebat, quam adhuc hostiae ad propitiandum numen offerentur. Volens igitur Christus amorem erga proximum commendare, docuit ne Deum quidem sibi honorem fieri existimare, si erga proximum gratiam geramus. Hostiam enim, qua ipse tum colebatur, tantisper omittendam censuit, donec cum proximo sit in gratiam reditum. Ad eum modum Christus non raro tum loquutus est, tum operatus. Festos dies gentilitio more observavit, et reliqua legalia. Docendi vero modus ita passim ab illo observatus est, ut ubicunque cum Iudaeis sit loquutus, aperte ad legis observationem accesserit, non hercle illam adserens, sed per eius occasionem veram iustitiam docens: ut hoc loco, et Matth. XXIII. Vae vobis Scribae et Pharisaei, qui circumitis mare et aridam etc. Nunquid Christo curae erat, ne factum proselytum bonum redderent iuxta legis observantiam? Minime; sed quandoquidem Pharisaei id facerent non alia ratione, quam ut diligenter viderentur aemulari legem, si multos adventicios adtraxissent; negligerent tamen interim nervos legis, iustitiam, misericordiam, fidem: obprobravit eis malitiam, qua non allicichant incredulos ad legem, ut meliores per eam redderentur, sed ut viderentur strenui legis adsertores. Quasi diceret: Vos omnia opera vestra facitis, ut videamini ab hominibus. Nam et hoc quod suo tempore forsan fieri iuste bonaque mente solitum est, pervertitis: proselytos vobis conciliatis, sed non in eum usum, ut meliores reddatis, verum ut opus vestrum ab omnibus praedicetur; ut ita etiam in sua, hoc est legis professione, hypocrisin eorum accuset et malitiam; qua dum Christum audire nolebant, produntur nec sua sancte aut recta intentione servare, non quod sua probaret. Ut si monachus mihi obprobret, quod minus caste vivam: ego idem in hunc modum obprobrem: tute arctius castimoniam promisisti, verum ut serves palam est. Sic eodem cap. de templo et auro eius, de ara et hostia non adserit illic hostias Christus, aut templorum magnificentiam; sed quod ne in suis quidem rem recte gererent. Similiter facit Paulus 1. Corinth. X. Hi qui in sacrario operantur etc. ad statum servatae legis loquens, ac primam similitudinis partem ponens, quasi diceret: Hi qui iuxta legis ritum hostias offerunt, ex hostiis participant, id quod aliquando iustum erat ac licitum: sic (ecce aliam similati partem) qui evangelium praedicant, de evangelio vivunt etc. Quod autem, Berchtolde, petis ut locos quosdam in Matthaeo exponam: non est perfecto nunc opportunitas praestandi, quod ipse tam velim esse praestitum quam tu, partim quod supra vires nostras est; partim quod negotiorum strepitus et ecclesiarum curae ita me undique quatiunt, ut nuper Henricus Engelhardus Dec. doctor diceret, sese vehementer admirari, quod nondum essem ad insaniam redactus. Nam ut exempli causa dicam, plus decies ab hac epistola sum avocatus. Scribunt ad nos Suevi; exigunt quotidie, quod ipse praestare nequeo: tametsi pro virili illis satisfacio. Scribunt ex Helvetiis ferme omnes, qui propter Christum premuntur. Haec ut omnia boni consulatis scripsi. Si vero quiddam occurret, in quo tibi usui esse potero, ne parcas: nam maiori tranquillitati brevi restituar. Locum istum Matth. VI. de eo, qui in nervos coniectus cogitur omne debitum reddere, cave de purgatorio

intelligas, sed de hoc, quod Christus noluit, ut sui sese mutuis litibus atterrerent: periculosum enim esse litigare, saepe enim compertum esse, eum qui se victorem sperabat futurum apud iudicem, victum esse, ac in nervos et vincula coniectum, donec etc. Omnia oro aequi bonique consulatis, nec nostrum hoc blandimentum oraculi loco ducatis: animam enim cogitandi solam tradidi vobis. Vestrarum virium erit, longe praestantiora aliquando in vulgum dare. Reliqua omnia narrabit Fabianus noster, cuius memoria epistolam superat. Salvi sint Vadivillius, Lupulus, Trempius, Episcopus Hoestetterbiz: omnes. Ex Tiguro, 4. Dec. 1523.

LIV.

HULDRICHUS ZUINGLIUS

CHARISSIMO IN CHRISTO FRATRI PETRO SEBIVILLAE, ECCLESIASTAE GRATIANOPOLITANO S.

Gratia et pax a Deo et domino nostro Iesu Christo. Si bonis ad bonorum convivia licebat etiam non vocatis accedere, doctissime iurta ac piissime Petre, ut est in proverbio: quanto magis Christianum etiam longissime dissitum Christianum convenire licebit? Quorum una fides est, baptismus unus, spiritus idem, idem eiusdem pietatis studium. Hinc factum est ut ignotus ignotum, itidem quod ego nunc facio, bene habere precatus sis, atque id literis ad Annemundum Coctum missis, virum ut genere doctrinaque clarum, ita pietate humanitateque longe clariorem.[1] Qui ut nihil antiquius amicitia pietateque inter humana ducit, sic vicissim suopte quodam iure (nam tanti viri imperio lubentes volentesque cessimus) compulit incultas istas ad te dare literas: quibus futurum sperat, ut amicitia, secundis avibus coepta, eodem auspicio in diem magis ac magis crescat. Sed in eum modo usum, ut pura illa veraque Christi religio amplietur; quam quis non videt hypocritarum versutia longo iam tempore ita esse foedatam, obscuratam, laceratam, ut parum abfuerit

---

1) *Annemundus Coctus*, eques, praecipuus patronus reformationis Gallicanae, iter fecit in Germaniam et Helvetiam, ut Lutherum Zuingliumque nosceret. Huic *Sebivilla*, pastor *Gratianopoli*, propositum aperuerat Evangelium praedicandi, et Coctus impulit Zuinglium, ut has literas ad ipsum daret. (*Kirchhofer.*) *Sebivilla* scripsit ad *Coctum* 28. Dec. 1524. „Ie ais receu tes lettres et celles de *Zuinglius*, auquel je reponds. Tu doibs scavoir, que Satan a esteint le fruit de l'Ev. en *France* pullulant, et mes me à *Grenoble* oeulx des quels plus tu esperois sont vacillans et remansi solus, et à mois a été imposé silence de precher sus peine de mort. Pour confabuler ensemble secretement de l'Evangile nul ne dit rien, mais de en parler publiquement il n'y pend que le feu. Les Thomistes ont voulu proceder contre moi par Inquisition et caption de personne, et si ne feust certains amis secrets, j'estoie mis entre les mains des Pharisées. . . . . Se il te semble que je passe de delà, mihi consule. . . Se tu n'extens pas de retourner au *Daulphiné* devant que l'Evangile se preste libere, tu n'y seras jamais. (Siml.) Coctus epistolam Lutheri ad Ducem Sabaudiae hasque una literas Zuinglii ad Sebivillam cum praefatione vulgavit, (Siml.) 1525 iam demortuus.

in universum excinderetur? Sed dominus Sabaoth pauxillum seminis reliquit, ex quo segetem uberrimam redituram speramus. Eadem enim est coelestis grani vis, quae sinapis, quod omnium seminum est longe minimum; huc tamen venit, ut arborescat, et avibus coeli variis ventorum seditionibus iactatis sedem firmam hospitiumque tutum exhibeat. Semen hoc, ut Christi verbis utar, est verbum Dei. Quod tametsi dum alias alio cadit, parvum; ubi tamen in terram bonam ceciderit, fructum abundantissimum refert: quamvis et hunc numero potius quam ingenio disparem. In hoc inquam verbo requiem vitamque inveniunt miserae mortalium mentes, quae non modo huius immundi mundi tumultibus, verum insidiis etiam spiritualium nequitiarum divexantur; idque adeo, ut iuxta Prophetae verbum consolationem non recipiant, nisi postquam Dei memores factae fuerint. Renuit, inquit, consolationem accipere anima mea; recordatus autem Dei laetificatus sum. Quae enim, per immortalem Deum, firmitas aut consolatio in verbo hominis est? cum omnis homo sit mendax; manifestum igitur fit, humanam mentem non alia ratione tranquillam reddi posse, quam uno soloque Dei verbo. Hoc tu recte facis, quum nitide, pure sancteque praedicare in animum inducis, quemadmodum literae ad Annemundum datae indicant. Idque non sine Theseo, ut dicitur. Nam caro et sanguis hoc tibi non revelarunt (haec enim iubent, ut se audiamus) sed pater coelestis animum sic tuum ad se traxit, ut eius iam verbo fidens, alios quoque ad hanc securitatem cupias pertrahere. Verum heus tu, aedificandi consilium ne capias, ne prius sedens impensam omnem supputaveris. Alioqui a filiis huius seculi, dum in medio fervore opus fuerit, ipseque rerum inopia ab eo revocatus eris, ad hunc rideberis modum: Hic homo coepit aedificare, et absolvere nequivit. Quae te contumelia, nisi vehementer incalueris, manum ab aratro retrahere, inque salis lapidem converti faciet; ut sal deinde fias, quod ingenio amisso plusquam fatuum est. Sunt autem adversus hos hostes opes, arma, commeatusque parandi. Primo contra Antichristum, qui ut se extulit supra omnem cultum, ita Deus dici amat, et verbum suum numinis loco vereri praecipit, tametsi plusquam ὃς διὰ πασῶν a verbo Dei dissideat. Si nunc fidelis Domino tuo minister esse cupias, huc adigere, ut istum odio habeas: nisi duobus dominis servire alicubi didiceris, aut amicitiam aliquam inter Christum esse et Belial. Istum si odio habeas, cogeris ante omnia male audire, haereticus dici, ignes, mortes et dira supplicia intentari videre; ac paulo post, nisi ad eius partes concesseris, experiri. His enim armis probe instructus est, gestitque non velitarem, sed statam cum Christi ministris pugnam conserere. Satis enim iam exasperatus est: tantum enim rei et copiis eius, dum aliquamdiu praedicatum est Evangelium, decessit, ut in desperationem rerum omnium adactus ultima experiri cogatur. Hic animum explora tuum, et humeros examina quid queant, quid ferre recusent! senties mox te tam gravi adversario imparem. Adhaec adde alios innumerabiles, qui contra te dimicaturi sunt hostes; inveteratae, sed pessimae consuetudines; Patres, sed qui vitrici fere sunt: nam verbum Dei crebro iuxta libidinem adfectuum suorum detorserunt; Principes, qui bis insaniunt, tum secundum hoc quod veram pietatem igno-

runt, nihil aliud quam tumultuantur. Unde in gregem Christi facile extimulari poterunt mundus totus, κακοδαίμων, et malorum examina simul omnium. Haec inquam omnia tibi, antequam telam ordiare, expendenda erunt; ne in media pugna remittas brachia, et fugae praesidium quaeras: nam sic fieret, ut postrema deteriora primis redderentur. Iam te si bonus orator essem, et tu carnalis esses, ad desperationem nimirum adegissem, ut iam latebras potius meditareris quam concionem. Sed non patitur hoc qui te extimulat Christi spiritus, qui eiusmodi malis animum acuit potius quam retundit. Age igitur optime vir, et tu in Galliis, vestris Christiana armatura munitus in publicum prodeas, sublatoque instar tubae voce Evangelium Christi invitis omnibus puppis et Papis praedices. Christus classicum cecinit, impressionem in Pharisaeos, scribas et hypocritas facturus. Quis dexteram ad praelium non armabit? Leo rugiet, inquit Propheta, quis non metuet? Christo per ministros suos detonante, quis ex hostibus non pavebit? imo dispeream, si non in totis castris illorum trepidatur: adeo vertuntur, rotantur, ambigunt, ut quid consilii secuturi sint, nondum exploratum habeant. Nam si Christi gregem mactare per inductos Principes coeperint, verentur ne sic aperiatur fenestra, ut in se quoque paulo post irruatur. Si vero scriptura obsistere tentent, conscii sibi violentiae, quam ei faciunt, toti frigent ac concidunt. Quid igitur in ignavos non irruimus, imo illoque satis forti verbi Dei praesidio fulti? Is enim Antichristum interficiet spiritu oris sui. Stat a nobis Christus, quis contra nos? simus licet Samia vasa, nemo tamen confringere nos poterit, quamdiu nobis Dominus adest: aderit autem ex verbi sui certa promissione, qua pollicitus est se nobiscum mansurum usque ad mundi consummationem; iussitque securos esse quum ad reges et praesides illius causa trahamur: daturum enim esse et sapientiam et eloquentiam, cui omnes adversarii non possent resistere. Quid igitur adhuc cunctamur? victoria in manibus est. An eam decerpere piget? Coelum et terra transibunt citius quam Dei verbum. At is victoriam promisit; recipi igitur non potest, ut non vincamus. Quin hoc potius dixero, non alia ratione vinci nos posse, quam si conatus non pigeat. Tenera, non ignoro, ut nos caro dehortetur; sed cogitandum iterum atque iterum nobis est, quod versutus ille κακοδαίμων semper nos illius occasione suadelaque decepit; ac dum illa labores aerumnasque refugit, nobis ocius ab eius blanditiis fugiendum est, auresque Ulyssis in morem obserandae, ne forte ei cedamus. Quae enim maior infelicitas nobis accidere poterit, quam si nos perditrix caro partium suarum fecerit, ubi toti nihil aliud quam caro futuri essemus, ac subinde quoque nihil aliud quam beluae? Partium autem eius sumus, si spiritum illius gratia prodimus; tum autem spiritum prodimus, quum non omnibus nervis Deo, illiusque verbo fidimus: in eo enim solo spiritus vivit. Quod enim tam iuratum est creaturae verbum, quod non fallat? Haec igitur et his longe tum robustiora, tum diviniora, tecum reputans, doctissime Petre, animaberis non modo cum Antichristo ac pacis principibus, sed cum universo simul orbe certamen subire, si quidem coelestia ambis: ea enim solis eis eveniunt, qui terrena negligunt.

Ante omnia igitur opus est ut te ipsum abneges, ac quotidie moriaris. Id autem tuopte Marte non poteris: ad unam igitur Dei misericordiam confugiendum, et illic flagitandum, ut vias tuas dirigat, mentem illustret, cor excitet, ut illius gratia nihil non tum audeas, tum quo pacto fieri oporteat scias. Proderit et illud Evangelium Christi praedicare molienti, ut reiectis omnibus praesumtis opinionibus et doctrinis, hoc consilio ad literas vere sacras accedat, ut eas praeceptorem habiturus sit, non discipulum. Nam qui sic accedunt ad eas, ut hoc solum quaerant, quod opinionibus suis adstipuletur, vim eis facturi sunt et constupraturi. Qui vero contra sic ad eas adeunt, ut illinc coelestis consilii mentem auferant, ut doceantur, non ut doceant, hi denique cum multa fruge recedent. Vides in Christo, frater, quantum brevi pietas Christi in Germania profecerit? Ea non minus promotura est et apud vestros, si id a Domino petieritis. Peti vero gaudet: est enim animarum amans ac zelotypus. Haec, ut tandem finiam, huc tendunt, ut Evangelium intrepide velis apud tuos profiteri: quod precor faxit Deus Opt. Max. Nam frigida ista et plusquam temporaria epistola plane scio quam nihil possit: tametsi eam Annemundus noster tum amicitiae iure, tum candore isto suo, quo nobis plusquam par est tribuit, extorserit. Proinde nobis iam ut amico utere; ac si id nimis est, ut discipulo. Et persuade tibi, Zuinglium tuum futurum, dummodo te Christi esse audimus. Vale et confortare in Domino, et in vi potentiae illius, qui te servet incolumem. Ex Tiguro 13. die Decembris Anno 1523.

LIV.

MYCONIUS ZUINGLIO S.

Insperato nuntio excepit me filius redeuntem ex *Glareana*; hoc puta, quod Tu cum *Utingero* confeceritis precando, ut ludus monasterii inferioris [1] apud vos mihi adiudicatus sit: tantum adveniam et iudicem, si id velim. Tum etiam, si praemium minus sit, ut facile ex eo sustentari non possim, vos adituros mecum Dominos *Tigurinos*, si quid forte addant, quo melior sit conditio mea. Quid faciam mi *Huldriche*? Tuus sum; quod iubes subeundum est, atque hoc ideo, quia quicquid huius facis ex re mea facis, et puderet me, mihi crede, si, quod tu laboribus alioqui non aestimandis implicitus pro me egisti, ego non lubens acceptarem. Tantum illud volo, quam certissime rem omnem filio, vel uxori exponas, ut laetior deinde *Tigurum* advolem. Redibunt enim, prius quam ego possim vel prae itineris lassitudine ad vos descendere. Mirum enim, quam me et iter ex *Glareana* et solis aestus defatigarint. Non credis semel, inquis, nuntianti? Veritatem dico. Inter spem et metum constitutus plane haereo, ut fieri solet. Metuo, quod ex ancilla haec tantum audivi. Spero, quod persuadeo mihi, rem ab ea non confictam esse posse. Me tenes. *Administrator* idem mecum sentit. Addidit hoc, fatale sibi videri, quod qui Christum

---

[1]) Schola apud Monasterium feminarum.

profitemur, omnes *Tigurum* conveniamus, ac deinde omnes simul pereamus. Vale in Christo felix. *Eremi*[1] raptim 1523.

Myconius tuus.

MDXXIV.

I.

HULDRICHUS ZUINGLIUS ERASMO[2] SCAPHUSIAE EPISCOPO.

Gratiam et pacem a Domino. Habui ex multo iam tempore consilium, mi Erasme, ad te scribendi. Quod tamen tua potius, quam mea causa obmisi: sunt enim literae nostrae tam admirabilis fortunae, ut autori obesse minimum possint; ei vero ad quem dantur, plurimum. Tandem ergo ad te scribo, sed Christianus ad Christianum; quo fiet ut ipse nihil sis aegre laturus, neque ego quicquam scripturus, quod non aequanimiter ferri possit. Nam si eundem spiritum hausimus ac spiramus, idem quoque sentiemus; quod si idem sentimus, iam dissidium longissime omne aberit. Causa igitur, quam tecum agere cupio, non mea est, neque tua, imo mea ac tua; imo non mea ac tua, sed omnium. Quae porro ea? Evangelium Christi. Huius cum tu semina iacias inter spineta et sentes, arbitratus sum non iniquam rem facturum, si currens currentem adhorter. Non enim comes est in hoc certamine invidia: hic enim omnes vincere possunt, atque munus auferre. Sed miles militem uti in praelio ad communem salutem parandam adhortatur. Sic nos quoque mutuo cohortari debemus; eoque magis, quo hostem videmus audacius inferri. Neque tamen sic velim abs te intelligi, ut fortiter magis quam prudenter pugnare moneam: satis enim dudum eorum pertaesum est, qui audacia omnia pessundant; sed quae tua est animi fideique (ut audio) dexteritas, sic provide vivas, ac solide omnia doceas citraque insignem mordacitatem, ut doctrinam nemo convellere, vitam nemo reprehendere iure possit. Quod si quidam sunt, qui sermonem Domini nihili faciunt, quid tum? Sed pretiosus est iis qui sunt Domini,

---

1) *Diebold a Geroldseck*, administrator *Eremi*, anno ante Myconio Lucerna exagitato officium praeceptoris Theologiae in coenobio contulerat, in quod senatus Suitiae 30, administrator 20 florenos impendebat. (Kirchhoferi Myconius.) 2) Ut reformante cum concionatore *Sebast. Wagnero*, cognomine *Hofmeister*, oratorem solertem catholicum compararent, vocaverant Abbas et Senatus interior *Scaphusii* 1522. *Erasmum Ritterum* e Bavaria, qui Rotvilae praedicaturae munus gloriose administraverat. Aliquamdiu Erasmus acriter doctrinae reformatorum obsistebat atque etiam Scripturae auctoritatibus revincere conabatur. Quum vero paulatim experiretur, hoc fieri non posse, ac doctrinae adversariorum infestatae probabilitatem perspiceret: iam profiteri coepit eam, itaque partes reformationis adauxit. 1529 matrimonio duxit sororem Abbatis Scaphusiani, atque cum Burgauero de Eucharistia implicitus lite praedicator Bernam discessit.

qui non ex carne et sanguine, sed ex Deo nati sunt. Horum causa non debet nobis obrepere taedium, etiam si isti non modo negligunt, sed maledictis etiam flagellant et persequuntur. Sic enim gregi Dominico, dum pusillus ac modicus est, fidem deberi autumo, ac si maximus esset. Non erat excusatus qui talentum tantum unum acceperat, quod minimum ei esset creditum. Perinde tu cogitabis: Non debeo, quod pauci Christum recipiunt segnius agere; sed eo circumspectius advigilare, quo grex Domino meo in immensum crescat. Haec ad te, mi Erasme, xenii aut strenae loco, ipso natalis die, quod felix faustumque sit amicitiae nostrae exordium, do, ut meum in te animum non ignorares, et ad omne obsequium propensionem. Quae Bernae his diebus acta sunt, narret Hubelmann. Vale per Dominum. Die natali [1] 1524.

II.

ZUINGLIUS AD DOCTOREM VENDELINUM. [2]

Gratia et pax a Deo et Domino nostro Iesu Christo. Statueram olim, bone vir, aliquid literarum ad te dare, cum crebri ad nos rumores deferrentur, ut scilicet missis humanis tum doctrinis tum traditionibus ad castra Christi defecisses. Verum tamen, id quo minus factum sit, in causa fuit, quod nulli rei minus fidem habeamus quam rumoribus: adeo sunt inconstantes et incerti, ut nunquam non vel magis vel minus, quam res habeat, praedicent. Venit enim et nunc rumor de Te ad nos, qui si certus est et verus, non pudebit nunquam epistolis pepercisse. Nolim enim quicquam commercii cum huiusmodi tumultuosis hominibus habere, qui ob quamvis levem causam infirmiorum fidem tentare audent tam clamosis querimoniis. Quapropter si ita res habet, ut sequitur, oro, ut posthac diligentius in S. Literis crebriusque verseris, quam ut ita rustice inscitiam cum invidia prodas tuam. Si minus, innocens es scilicet, nihil in Te dictum puta. Fertur autem, quod pro publica concione cum atrocitate multa questus sis, haec verba Act. XV. (praecipiens custodire praecepta Apostolorum et Seniorum) deesse in germanica translatione, quae ad graecam veritatem versa est. Hic scilicet opportuna quiritandi causa inventa vociferatus: Eece, ut isti S. nobis literas propinant, ut detruncant, quae eis adversa sunt! Et quid multa? Tanquam in falsarios deferbuisti. Quod Te factum ut minime decet, ita est animi tumultuum cupidi certissimum argumentum. Sed quid facio? Quid Te non illico in lucem produco, ut errorem tuum ipse agnoscas? Lege in decretis canonicis Augustini verba (quae ex L. de Doctrina christiana mutuo accepta sunt. Distinct. 8. et rel.): Ad quos Codices, quarum linguarum, recurrendum sit, si quid obscurius in S. literis aut dissimilius offendamus; et invenies, Novi Testamenti puritatem ex Graecis exemplaribus esse petendam, Veteris ex Hebraicis. Nunc si decem millia graecanicorum exemplarium, qua ta-

---

[1]) Dies natalis Zuinglii, Calendae Ianuariae. [2]) *D. Oswaldus Wendelin*, Dominicanus S. Galli, praedicator in Monasterio, acer adversarius reformationis in sua patria.

men lingua Novum Instrumentum ferme et praesertim apostolorum acta conscriptum est, inspexeris, ne micam quidem invenies horum verborum a fine capitis scriptorum. Unde lippo quoque patere potest, suppositicia esse, de quibus nobis certamen nunc est. At, si graeca exemplaria haec verba maxime haberent, in quem usum, obsecro, ea torsurus eras? Nonne in eum? Quod lege etiam divina cautum esset, iussis traditionibusque Romani Pontificis obediendum esse? Quasi vero Lucas illic de aliis praeceptis loquatur, quam quae paulo superius, non modo per apostolos et seniores, sed per totius Ecclesiae autoritatem promulgata erant. Id quod ex eis, quae paulo post Cap. XVI. sequuntur, advertere potuisses, quum inquit: Cum autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quae erant decreta ab apostolis et senioribus, qui erant Hierosolymis. Verum ut hoc quoque praetereamus, quaenam qualiaque fuerunt, quae apostoli cum tota concione decreverant? Partim ceremoniali, partim divina lege interdicta erant. Non scortari et idolis non contaminari, nonne Christi ore vetita sunt? Abstinere vero a suffocato et sanguine, quid aliud quam ceremonialia sunt? quae olim servata oportuit, hodie non oportet. Sanguinem enim passim edimus: nam quicquid in macello vaenit, edere licet, et mundis omnia munda sanctificanturque omnia per verbi Dei imprecationem et gratitudinem, lutulenta etiam sus. Suffocatos autem pisces et sua sponte mortuos, lepores, turdos, capreas strangulatas, reliquaque id genus, quis est qui non edat? Cum vero vides, hic Apostolos nihil novi praecepisse, sed propter quorundam imbecillitatem, de qua superius eodem cap. XV. habes, paucula quaedam, nempe duo solum ceremonialia, permisisse potius quam praecepisse; quid opus est hinc perditissimorum hominum tyrannidi praesidium petere? Aut quod apostoli cum omnibus fratribus vel ex lege servarunt, vel ex abolita propter quorundam imbecillitatem tolerarunt, iniquissimae christiani populi oppressioni tanquam iuste praetexere? Sed nec istud etiam praetereundum est, quod Petri sententia, quae vere christianae libertati consentanea est, non obtinuit, sed Iacobi. Unde Petrum adparet, ab apostolis non habitum esse principem, quem hodie invitum etiam faciunt Romanum Pontificem ad imperium suum roborandum. Adde quod is, quisquis tandem est, qui novum Instrumentum in Germanicam linguam traduxit, non primus hanc particulam omisit, sed ante hunc *Erasmus Roterodamus*, vir graece latineque doctissimus. Perhibet et divus Hieronymus contra Augustinum, graece non haberi, iam tum ante XI. secula. Haec tecum commentari placuit de praedicto loco, deque iniusta quiritatione tua, si qua fieri posset, ut ruborem Tibi inuteret Deus, sententiamque tuam, qua verbi Dei puritati parum favere videris, mutaret. Id si faciat, eris nobiscum in Christo dilectus; sin autem cervicem firmaveris tuam faciemque perfricueris, hostium satis habebis. Quin potius iam dudum habuisses, nisi quod Te minoris faciunt, quam contra quem tantum laboris insumant. Vident enim, Te parum nocere posse, etiamsi pessime velis. At ego Te per caput tuum, perque mentem tuam, quae Deo debes, obtestor, ut doctrinae Christi candide faveas, et urbi vestrae admodum resipiscenti adiumento, non impedimento sis. Nam si

lapis iste offensionis in Te conciderit, conteret Te; Tu vero, si ad eum offendas, confringeris. Optimis coeptis optimum quemque favere oportet, et divinis monitis an quisquam tam potens est, ut obluctari possit, etiamsi per summam iniustitiam calculum illis detrahere voluerit? Fidelem Te Domino esse oportet, non Romano Pontifici, non Tibi, non privato cuiquam, si verus verbi Dei dispensator esse amas, non timere, qui corpus occidant, non accipere personam hominum, sed hoc unum spectare, ut infallibili petrae Christo nixus, omnes fluctuum, imbrium fluminumque audaciam impetumque contemnas. Et, si sic feceris, sperare, coronam Tibi repositam esse, quam suo tempore iustus iudex reddet. Amen. Omnia boni consule! nam christianae tranquillitati et praesertim urbis vestrae consultum esse cupiens haec ad Te scripsi. Urget enim nos omnium ecclesiarum sollicitudo, quae Te quoque aliquando, ut spero, urgebit. Vale, servetque Te Christus, si hoc ei tribuas, incolumem. Ex Tiguro XXIII. Febr. 1524.

Huldrichus Zuinglius ex animo tuus, si Tu Christi sis.

Inscriptio: Docto admodum Doctori *Vendelino N.* apud *S. Gallum* degenti et praedicanti, ad manus proprias.

III.

BARBARA,[1] ABBATISSA IN SCHAENNIS ZUINGLIO.

Salutamus Vos quam honorifice possumus, et quidquid boni nostrae facultatis est, offerimus, Magister dilecte Huldrice. Permagnas gratias agimus ex mente amica pro industria in Monachellum collata, quem ego et cognatus meus Doctor ad Vos misimus. Porro, magister dilecte, Vos oramus, puerum commendatum habeatis Dei meaque causa, ac si hoc atque etiam maius in Vos Vestrosque promereri dabitur, omni tempore me promtam atque paratam reperietis. Item quod mihi scribitis de uno modio tritici, hoc lubentissime concedens *oeconomo Rietli* imperabo, ut tradat, et quidquid opis puero in posterum ferre potero, dare iuvabit, ut pro spe mea vir honestus gratia Dei reddatur. Hactenus. Dei gratia semper adsit Vobis probisque christianis omnibus! Ceterum Deum pro me quaeso deprecemini, ut me corroboret in sancto Evangelio, utque per divinam benignitatem et clementiam proficiam rectamque ingrediar viam ad mei animi salutem omniumque hominum. Die Matthiae 1524.

P. Scr. Magister mi medullitus care! blande Vos rogo et verecunde, mihi mittatis brevem expositionem illius Evangelicae vocis: Multi sunt vocati; pauci electi.

Inscriptio: Venerabili sacri ordinis viro, domino doctissimo, Magistro Huldrico Zuinglio, verbi divini praeconi in urbe Tigurina.

3.

Barbara, Aebbtissinn zu Schännis an Zwingli.

Mein freundlich Gruss und alles Guts mit Erbietung aller Ehren,

[1]) *Trüllerey* genere Scaphusiana.

lieber Mr. Ulrich. Ich dank Euch gar hoch und freundlich Euer Fleissigkeit, die Ihr an dem Münchli erzeigt habt, den ich und mein Vetter, der Doctor, zu Euch geschickt. Weiter, lieber Mr. Ulrich ist mein Begehren an Euch, ihn, den Knaben, lassen befohlen seyn um Gottes und um meinetwillen; und wo ich solches und auch grösseres gegen Euch und die Eueren könnte verdienen, das wollte ich zu aller Zeit von Herzen gern thun, und das mit ganzem Fleiss. Item, dass Ihr mir schreibet von 1 Mütt Kernen, das will ich von Herzen gern nachlassen, und heissen *Ammann Riedli* Euch den geben; und was ich dem Knaben weiter kann beholfen seyn, das will ich gerne thun, damit er ein Bidermann als ich hoff durch die Gnade Gottes werde. Nicht mehr auf diese Zeit, sondern die Gnade Gottes sey allzeit mit Euch und allen rechtschaffenen Christen. Ich bitt auch, dass Ihr Gott für mich bitten wollet, dass er mich stärke in dem heil. Evangelio, dass ich durch die göttliche Gnad und Barmherzigkeit zunehmen möge und gewiesen werden den rechten Weg nach meiner Seele Heil und aller Menschen. Datum St. Matthiastag 1524.

N. S. Mein herzlieber Mr. Ulrich, ich bitt Euch gar freundlich mit grosser Demüthigkeit, dass Ihr mir doch wollet schicken eine kleine Auslegung über das Wort, so der Evangelist redet: „viel sind berufen und wenig sind auserwählt."

Ueberschrift: Dem Ehrwürdigen geistlichen und wohlgelehrten Herrn Mstr. Ulrich Zwingli, des heil. Gottesworts Predicant der L. Stadt Zürich.

IV.

ZUINGLIUS AD I. VADIANUM.

Gratia et pax a Deo et domino nostro Iesu Christo. Tuum, carissime *Vadiane*, in evangelio Christi tam alacre studium et miror et exosculor, nec est, ut unquam Tibi verendum sit, ne occupationum pondere pressus tua vel fastidiam, vel negligam: eis enim taedium ex tumultibus natum levo. Taceo, quod rusticior futurus essem, (qui alioqui semel tamen rusticus sum, h. e. totus) si ad hominis tam docti, tam amici, tam denique pii epistolas supercilium tollerem, cui hoc potius verendum esset, si crebro scriberem, ne Musas tuas et pietatis studia interturbarem. Negotium nostrum feliciter, ut spero, brevique absolvetur. Morantur nunc negotia. Quos misisti, summe placent. Faxit Deus, ut multos eiusmodi habeamus artifices. Ut autem illis res nostrae *Tiguri* placeant, ex ipsis discere licet. De loco Act. XV. non est, ut Te multis defatigem, sed apertam ad *Vendelinum* epistolam [1] ubi legeris, iudicium nostrum amplius de eo non requires; quamvis nec ipsum postulasti, sed quicquid illic sentiendum est, ipse iam sentis antea quam nos audias, ut ex epistola tua facile colligi potest. Volui tamen hominem paucis alloqui, quo videret, non defuturos olim adversarios, si ipse obstrepere pergeret. Hanc ubi legeris, cera rubra, signo vero

[1] Cf. ep. I.

quolibet incognito signa, et reddi cura; et si verearis saeviturum, da operam, ut prius describatur! [1] Nos enim amanuensem, ut nullum habemus, ita ne unius epistolae copiam ad alium emissae. Salves iube Ludimagistrum, *Benedictum* episcopum nostrum, ac meo nomine iube, ut oleo ad lactucas utatur, eoque se perungat, si quae membra sint incommoda valetudine. Nam ad hunc usum unxerunt Apostoli, ut est apud Marcum, infirmos, ut corporis valetudo restitueretur, qua post vicissim anima decumbere cogatur. Fide, qua Messia adhaeremus, beamur, non oleo: nam alioqui utres caprini essent beatissimi, qui oleo ita delibuti sunt, ut etiam vomant. Sed haec omnia per iocum; nam et hi, ex quibus erratulum hoc habeo, ioco magis quam odio iudicarunt. Gratulor autem secundum hoc ei, quod auditores tales habeat: nam nobis sane nihil unquam gratius fuit, quam quod auditores ipsi suis manibus verbum tractarent, mente versarent, moribus vero exprimerent: sic enim se ista fere sequuntur. Vale, et iam audi, quid cum *Vendelino* sim confabulaturus. Ex Tiguro die 24. Febr. 1524.

Cetera omnia referent, qui haec ferunt. In mediis strepitibus omnia cogimur agere, unde et omnia obsecro boni consulas.

Huldrichus Zuinglius tuus.

V.

FRATER IODOCUS HESCHIUS [2] ZUINGLIO.

Si qua salus uspiam est eam exoptat in eo qui mandat salutes Iacob.

Nisi me tuis ornatissimis provocasses literis, *Zuingli* doctissime idemque humanissime, hanc ad te scribendi provinciam non desumerem, potiusque in silentio persisterem. Nosco enim homo infans, et nulla dicendi arte praeditus, ac plane, qualem tu me depingis, elinguis, non perinde magnorum Heroum auribus esse coram obstrependum, atque absentium laudes praedicandas, quod hoc omnibus licuerit, illud non nisi doctrinae politioris gradu receptis. Vis plane dicam *Huldrice*, frater in Christo charissime, quid et de te et tua doctrina sentiam; dicam libere. Sunt in te, mi *Zuingli*, dotes, a quibus nihil non expectare debebat Helveticus ager, ingenium ardens, vividum, solidum, masculum; memoria ampla, praesens, promta; animus dexter et ad omnia versatilis; lingua vocalis et expedita, quibus nimirum virtutibus, si sana doctrina adcesserit, ab orthodoxorum Patrum sententiis et ecclesiae consuetudine nihil diversa, futurum esset, ut te non tam *Tigurini* quam totius Helvetici agri unicum et perpetuum decus salutaremus. Sed cum ea, quae Tu doces, cum sententia Patrum ex diametro pugnent, atque etiam consuetudines ab universa ecclesia receptas nomini Christiano respuendas spernas, irrideas, subsannes, nihil boni animus mihi de Te praesagit. Erras haud dubie, mi *Zuingli*, tota via, imo vehementer exor-

---

[1]) Obsequutus est et manu propria ep. descripsit *Simml.* [2]) Conventualis in coenobio Carthusianorum *Ittingae* in *Thurgovia*, iam 1522 Vadiano scripsit, ipsum gaudere reformatione a Luthero suscitata, licet plus moderationis optaret; atque 3. Febr. 1523 orat eundem, ut ipsi de (prima) disputatione Tiguri notitiam daret. (Wirz.)

bitas, et alios una Tecum in parem trahis dementiam. Alioqui quotquot retro fuerant orthodoxi Patres errasse necesse est, atque universam prorsus ecclesiam, quam Paulus tamen fundamentum et columnam veritatis appellat, utpote quae spiritum sanctum perpetuum nacta sit instructorem. Unde non parum multi ex nostratibus, etiam gentis primoribus coniecturam faciunt (ita enim rumor undique apud nos per hominum ora volat, nec id Te latet), tuam doctrinam, Teque (nisi resipiscas) cum ea Vulcano fore sacrandos. Sed haec ab exitu probabuntur. Haec Tibi, mi *Zuingli*, extra invidiam scribo, ut quid alii de Te sentiant, non ignores. Sed ais: Scripturam pro mea parte habeo. Esto, sed perperam intellectam et admodum Lesbiae regulae tuis opinionibus adaptatam. Ego nimirum illum proprio spiritu scripturas interpretari et perperam intelligere dicendum puto, qui molitur ex eis sensum a multis orthodoxorum Patrum sententiis alienum, et a receptissima totius Ecclesiae, quae una est (una est enim columba mea), consuetudine dissentientem. eruere. Is enim proprii capitis phantasias, et non sancti spiritus ductum, qui per illorum Patrum ora locutus est, sequitur, propter quod et facile ruit in errorem. Id quod ne fiat, *Clemens* [1] prohibet. Diligenter, inquit, observandum est, ut dum lex Dei legitur, non secundum proprii ingenii intelligentiam legatur vel doceatur. Quam ob rem scripturarum intelligentiam ab eo discere necesse est, qui eam a maioribus secundum veritatem sibi traditam servat. Haec ille. Huic subscribit *Athanasius*, super illud Pauli: Unusquisque in suo sensu abundet. Perinde est, inquit, ac si dicat: Cum de dogmatibus agitur, nequaquam est opus, ut nostro sensu ducamur; quin erunt, quae ab aliis accepimus, tenenda, vel si angelus e coelo demissus diversa denunciet. Quid igitur dementius cogitari potest, quam ut (spretis tot Patribus, ingenio pollentibus, praestantibus eruditione, literis omnibus et linguis efflorentibus ac demum multo vicinioribus ad apostolorum tempora, et tam eximiorum interpretum commentariis, et iam reiecto sensu, quem tot seculis universa prorsus ecclesia verissimum censuit) fidem uni *Zuinglio* adhibeamus? Absit, absit hoc a christianorum animis, ut ecclesiam columnam et firmamentum veritatis et tam sanctissimos Patres in tam crassis erroribus, quos Tu *Zuingli* illis impingis, tot retro seculis perstitisse credamus. Maxime cum spiritus ille a Christo nobis pollicitus, primo ut nobis paracletus esset, h. e. ecclesiae suae consolator et in aeternum apud nos maneret, subinde, quae ventura essent, nobis annuntiaret, et ut idem spiritus veritatis doceret nos omnia, duceretque nos in omnem veritatem, otiosus esse non potuit, qui ad tantum negotium, tam inclytus, a tam eximiis personis, Patre videlicet et Filio missus, sed indefesse negotium, ob quod missus fuerat, agere credendus est. Credat igitur Iudaeus Apella, non ego, ecclesiam, orthodoxosque Patres, qui semper ecclesiae pars magis eximia fuerant, quique non solum eruditione, verum etiam vitae sanctimonia, velut sidera quaedam effulserint, tot retro seculis errasse. Quisquis

[1] Alexandrinus? abinam, frustra quaerebamus.

itaque, quod doctrinam Patrum adversatur, docuerit quicquam, is omnibus modis vitandus est. Haec hactenus.

Nunc tempus est (ne epistolae modum excedam) ut ad tua nonnihil respondeam. Principio mihi obiicis, quam ego pessime Te traduxerim, famam tuam incesserim, carboneque nigerrimo denotaverim: mirari me, tam levi iudicio *Tigurinos* esse, ut homini tam constanter haeretico fidem adhibeant, indignam christianis mentibus; praeterea futurum sperare me, ut illis resipiscentibus impudens hominis os tandem obtnretur. Quod si non fiat olim, nihil esse reliqui, quam ut effulam *Zinglius* glutiat, quam in hunc finem paratam confectamque certo sciam: fieri enim nullis modis posse, ut doctrinam, non pietati solum, sed et paci publicae, et nostratium concordiae adversantem, piae mentes tolerent, et cetera id genus non parum multa. Quis hanc in me tragoediam excitaverit, nescio. Hoc scio, tam me esse alienum ab hoc crimine, cuius sum apud Te accusatus, ut propinquior longe sim Deorum immortalium, quam humanae vitae. Hoc conceptis iurare licet. Absit a me, quod haereseos crimen (quo est nihil apud christianos detestabilius) homini immerenti impingam. Multa, tu *Zuingli*, et pie et sancte mones, sed utinam tam civiliter quam feliciter. Quod si civilius fecisses, et si orthodoxorum Patrum sententiis atque diuturnis ecclesiae consuetudinibus scripta tua, quasi linum lino, fuissent annexa, plures haberes et fautores et propugnatores, et simul uberiorem fructum demessuisses. Non omnia quae e tuo phrontisterio exeunt, mihi probantur. Id ego ingenue fateor. Sed quod scripta tua haereseos insimularim sive palam dixerim pro publica concione, te haeretica docere, non fateor. Ais praeterea, tempestivum esse, ut pro hac Helena pugnaturus in arenam mecum descendas, idque quomodo clam et amice feceris, publice sis expostulaturus, orbemque christianum iudicem facturus, an rem me dignam ipse fecerim, dum immerentem et ignotum, imo dum Evangelium Christi, quod tanta fide tantisque sudoribus hactenus praedicasti, tam imprudenter proscindam. Quam ego sincere et integre praedicem Evangelium (semper praecavens, ne quid a me proficisceretur, quod aliquo pacto vel pietati officeret, vel seditionem aut factionem gigneret, vel ullius famae notam atram allineret), quanto sudore S. literas, non e qualibuscunque lacunis, sed ipsis fontibus, ambabus, quod aiunt, manibus, hauriam, testis est mihi Deus, testis conscientia, testis mihi denique tota concio, cui divinum hactenus verbum proclamavi. Ceterum quam Te deceat inculpata vita virum per orbem christianum traducere, Tu videris. Is profecto, ad cuius tribunal omnes stabimus, et *Zuinglium* novit et *Heschium*. Quod vero primo loco dicendum erat, bellum mihi indixisti. Opinaris fortasse, mi *Zuingli*, te posse quosvis a dicenda veritate tuis acroamatibus convitiisque deterrere; sed pusillus admodum noster in Christum affectus esset, si verbis deterreremur solis, quum ipse iubeat, etiam verbera nihil metuere. Ne terreamini, inquit, ab his, qui occidunt corpus et posthac non habent, quod faciant amplius. Tu sane simul atque calamo me confoderis, convitia evomueris, nihil habes, quo noceas amplius, quanquam nec illa tantillum nocere queant. Age

ergo, conditionem accipio, certamen non denego. Sed heus tu, mi *Zuingli*, amice moneo: iterum atque iterum caveas, ne castra tua militum multitudine turbentur. Nam pro nostra parte Scripturae Sanctae gladios vibrant, stant in acie sacri Patrum commentarii, canones et concilia pro nobis dimicant, apostolicae traditiones aperte decertant, patrocinatur demum et ecclesiae diuturna consuetudo, et non modo 12 legiones angelorum sed et 144,000 signatorum cum signifera Dei genitrice, quibus tu parum reverentiae tribuis, aderunt a dextera, et omnes lustralis ignis animae, quibus tu es detrimento, a sinistra, suis nos clypeis protegentes. Sta ergo evangelico consilio et noli cum simplo occurrere ei, qui centuplo ad te venturus sit; sed caduceatorem ad Iodocum, ea quae pacis sunt, postulantem mitte. Nolim tibi persuadeas, dissentire me a te amore, qui, ut praesens habet seculum, in locis fortasse aliquot ad pietatem attinentibus dissentio. Quod sentio, equidem veritatis gratia, quae mihi summi numinis loco est, sentio. Neque reiicio, imo dari mihi undecunque cupiam, qui errantem melioribus informet, et hallucinanti reddat visum. Demum hortaris Christum induam. Quod si abhorream, qui a tam insuita cuculla non abhorruerim, nihil Tecum commune habiturum, Teque velle mecum tantopere pugnare, donec ad palinodiam me compellas. Bona verba quaeso, raucedine premor, vocem recantandi mihi ademit lupus, qui prior me vidit! Tu olim, mi *Zuingli*, qui sonora es voce, me ad citharam saltante male cantata recantabis. Sed ut me tandem, carissime mi *Zuingli*, et intus et in cute, simul et statum meum atque vivendi conditionem ad unguem noscas, me ipsum Tibi vivis, quod aiunt, coloribus depingam. Ego *Iod. Heschius*, *Fridelinus* ex *Gislingo* ad 3 lapidem ab *Ulma* oppidulo anno a Christo nato 1484 pridie omnium Sanctorum ex vulva materna in hanc lucem prodii. Pater *Ioh. Hesh*, mater vero *Cath. Fridlin* vocati. Puer iam quinus prima (Paedagogo *Barth. Iaher*, insigni Philosopho addictus) elementa lallare (ut ita dixerim) didici. Anno posthac aetatis meae plus minus decimo bonarum literarum adipiscendarum gratia *Vratislaviam Slesiae* Metropolin adii. Inde rediens bonis avibus, 4ta aetatis meae Olympiade, palaestram literariam *Tubingensem* salutans, bonis literis philosophicisque praeceptis impigre usque ad Magisterii (quod aiunt) insigne operam dedi. Relicto postea gymnasio infeliciter primo *Rotvilanae* pubis, postea *Blaubirensis* iuventae docendae gratia, a magistratu magnis promissionibus vocatus provinciam suscepi. Proinde anno aetatis meae 21. uxorem duxi, *Ursulam Arcuariam*, divitem, probam, virginem pulchram, honestis moribus praeditam, honestique parentibus natam, annum agentem 16mum. Finitis taedis *Ravisburgensem* scholam literariam regendam suscepi. Hic trimulo tempore satis commode peracto, honestissima mea contoralis, consocia *Ursula*, altera prole gravida, partus labore omnium horribilissimo, periclitata (salva foetus animula, atque lustrali aqua ante perfusa quam moreretur) ipsa hominem exuit, annum agens non amplius 18. De cuius immaturo obitu ad eius tumulum hoc lusimus epitaphio:

Ursula quae fueram, coniunx formosa *Iodoci*
Ac *Blaupirensis* unica gnata patris;
En rapior (quarto nondum circumdata lustro)
In fatum gnatis cumque duobus eo.
Ordine si tristes meterent sua furta sorores,
Debuit in seros hoc prohiberi dies.
Sed Parcae nequeunt ulla virtute moveri,
Cum tibi fatalis venerit hora. Vale!

Post eius e vivis excessum, sine ulla morula, flamineam dignitatem (uti ei iamiam animam agenti, ultimis verbis rogatus, stipulata manu addixi) adeptus, volens futurae meae vivendi conditioni salutarius consulere, in hanc Trophonii speluncam, tanquam ad tutissimum asylum, anno aetatis meae 28. confugi; cum in mundo annuatim habuissem 120 florenos), nec in hunc diem consilii factique me poenituit, etsi morbo gallico, febri pestilentiali, dysenteria et id genus sexcentis malis sim affectus. Interim per 14 annos mulierem nec tetigi, nec concupivi (sit mihi Deus testis!), etsi graveis libidinis ardores in membris meis senserim. Deus tamen (ne unquam consentirem) cum tentationibus proventum fecit. Deum O. M. obnixius oro, uti voluntatem hanc, quam ipse mihi dedit, respiciat, et faciat meam peregrinationem sibi placitam, gressusque vagos dirigat in viam salutis aeternae. Dignetur mihi indigno in die exitus mei, et in illa summa mortis hora, pro hac voluntate mihi assistere, neque reminisci velit iniquitatum mearum, sed egredientem ex hoc corpusculo spiritum placatus accipiat. Non intret in iudicium cum servo suo, contumacissimo licet et nequissimo! At quid dixi cum servo suo? Imo vero cum hoste potius, et quidem ingratissimo, qui tantis ab eo cumulatus beneficiis nec sibi dicto unquam audiens fuerim, et suam toties maiestatem laeserim, sed misericordiarum fons misericorditer mecum agat, causae meae faveat, et deformitates meas contegat in die novissimo. Denique non patiatur hanc animam, opus manuum suarum, ad superbum sui et nostri hostis imperium pervenire, aut praedam fieri spiritibus immundis, et famelicis canibus esse ludibrio. Quod ego Te, mitissime Iesu, per illam, qua genus omnium hominum complecteris, charitatem, quaeque Te coelitus ad nos in terram deduxit, nostraeque humanitatis induit involucris, quae famem, quae sitim, quae frigus, aestum, labores, irrisus, contumelias, flagella et verbera, quae postremo etiam mortem crucemque subire Te compulit; per hanc ego Te, salutifer Iesu, quaeso obtestorque avertas faciem a peccatis meis, et quum ante tribunal Tuum constitero, quo me quotidie citari plane sentio, non mea fraus, non culpa plectatur, sed tuae crucis meritis condonetur. Valeat, valeat in causa mea sanguis ille tuus, Iesu, pretiosissimus, quem pro asserendis in libertatem hominibus in ara illa sublimi redemtionis nostrae effudisti. — Habes, mi *Zingli*, vitae meae conditionem nullis fucis oblitam, sed veris coloribus depictam, unde facile coniecturam facere licet, a Deone, an a Diabolo, hanc insitatam mihi cucullam conciliaverim. Bene vale, charissime idemque doctissime vir. Haec in aurem Tibi scripsi. Cave, si tuo sum dignus amore, ne serpat longius. Si quid in sinu meo depositum esse sensero, quodque clam

esse volueris, id per me, ne palam fiat, haud periculum erit. Bursum vale, et haec qualiacunque sunt, boni consule, candido et sincero animo scripta. Ex collegio nostro *Carthusiano Ittingensi*. Pridie Kal. Mart. 1524.

F. Iod. Heschius, qualis qualis Dei servulus, tuus tamen, ut tuissimus, si et Tu Christi sis.

Inscriptio: Viro iuxta doctissimo atque humanissimo *Huldrico Zuinglio*, *Tigurino*, populo a sacris concionibus, amico singulari.

VI.

OECOLAMPADIUS ET BONIFACIUS [1] ZUINGLIO.

En Tibi schedam conclusionum a Gallo illo [2] latine apud nos disputatam et ab *Oecolampadio* in maxima christianorum corona in vernacula interpretatam. Sophistae saepius vocati nusquam comparuere. Agunt tamen magnos interim Thrasones, sed in angulis lucifugae. Incipit tamen plebs paulatim illorum ignaviam et tyrannidem verbo Dei agnoscere. Deus det incrementum. Iam quid in hac disputatione actum, tabellio ille, qui praesens audivit omnia, summa Tibi fide exponet. Nuperam illam de matrimonio [3] brevi impressam exhibebimus. Haec mane, urgente cive quodam et nuntio *Tigurino*, scripsimus in concione *Oecolampadii*; nec tum plura licuit. Perpetuum in Domino vale.

VII.

ZUINGLIUS AD I. VADIANUM.

Gratia et pax a Deo et domino nostro Iesu Christo. Praestiti, quod potui doctissime Vadiane. Quicquid hic peccatum erit, Tibi imputa. Mentionem Tui fecimus, quod ipse nimirum nolebas; sed sic aperiendum fuit, quibus occasionibus adducti scripserimus, et cur ad istum maxime scripserimus. Boni consule. *Ceraunelateum* [4] non dubito anxium futurum (sic enim fecimus *Schurtanner* graecum), quibusnam officiis nobis respondeat. Verum Tu compesces hominem, ne quicquam vel dicat vel faciat, nisi ut omnem operam consiliumque ad amplificandam gloriam Dei impendat. Es et huius admonendus, quod „Pastor“ hic noster longe incultior incuratiorque exit atque intenderamus. Tumultuum enim, quibus hodie passim miscetur hic mundus, inopinatae procellae, quicquid belle compositum videbatur, ut prodiret, non modo in isthoc opusculo, sed in omnibus, quae edidimus, ne purius exirent, impedimento fuerunt. Ita enim omnia extrusa sunt potius, quam edita, ut nullum unquam libellum do-

---

1) *Wolfhardus*, pastor ad S. Martini Basileae, deinde praedicator Augustae Vindelicorum. 2) *Guilielm. Farellus*, qui vixdum Basileam venerat, Theses XIII. disputandas promulgavit. Episcopus et Universitas vetuerunt suos in partem huius disputationis venire. Quo interdicto Senatus offensus omnes Clericos, ni praebendis mulctari vellent aliisque modis, interesse disputationi iussit. (Füssli, Symb. IV, XXVI sqq. et 243, 250.) 3) *Stephanus Stoerr*, pastor *Liestalli*, brevi antea 16. Febr. disputatione quinque theses de matrimonio sacerdotali defenderat (ib. II, 151—227.) 4) Zuinglius ei scriptum, cui *Pastor* titulus, dedicaverat.

mi absolverimus, priusquam chalcographus excudere orsus esset; quo factum est, ut multa saepius, quam par sit, repetiverimus, multa neglexerimus, quae in praecedentibus nobis dicta putabamus, dum forte in epistola aliqua ad amicum scripta eorum mentionem feceramus, quae hic maxime necessaria fuissent. Ita cogimur imo versamur, hinc ab amicis, istinc ab hostibus; hic urget chalcographus propter nundinas, hic frater aliquis, quem iniquus premit episcopus, ut sibi consulamus, retrahit. Unde, ut diximus, dum illi respondimus, interea factum est, ut ea in libello omiserimus, quae prima esse debebant. Sed in his omnibus Dei providentiam agnoscimus: huius enim consilii sumus, ut omnes omnium commentarii pereant, maxime tamen nostri, posteaquam literae sacrae fuerint vindicatae. Eo igitur disponente omnia nostra temporaria exeunt. En *Vadiane*, non est unica epistolae alicuius, in omni supellectile nostra, copia. Ita omnia, ut in buccam veniunt, exeunt, ut loqui rectius nos dixeris, quam scribere. Bibliopola vester ita nobiscum convenit, ut simul aliquot exemplaria mitteremus ad se, mercedemque daturum pactus est. Si vacet, rem eam cura; si minus, da baiulo agendi ansam. Sed heus, dum haec ad hunc modum scripsimus, adest, qui nos ad *Sanctogallenses* quosdam vocet, quos et persuasi, ut ipsi baiuli vices supplere velint. Ferunt igitur isti sine omni impensa, id quod et *Schurtannero* significabis etc. Quin potius schedam clausis iam literis inseram. Nihil sis anxius, quam ut ad *Ceraunelateum* extemplo haec mittas. Salva sit uxor et liberi. Ex *Tiguro* 28. Mart. 1524.

Huldrichus Zuinglius tuus.

VIII.

ZUINGLIUS CONRADO HOFMANN

QUOCUM SECUNDO EXPOSTULAVIMUS SIMULQUE D. PRAEPOSITO COLLEGIIQUE NOSTRI FRATRIBUS.

Gratia et pax a Deo patre et domino nostro Iesu Christo. Non te fugere arbitror, *Conrade* in Christo frater, ut tecum iam pridem hanc ob causam expostulaverim, quod me divo Augustino fecisse iniuriam in Archetele meo, tametsi falso, adseveras et rationes quibus illic contra eiusdem verba depugnavi, inciviliter calumniatus eras; cumque ipse rem hanc calamo tecum agere constituissem, intercesserunt collegii nostri fratres, quibus et libenter tum cedebamus ea spe, quod te ad calumniae restitutionem essent inducturi. At istuc cum minime factum sit, tametsi nihil non tentaverint dicti fratres, cumque hunc, ut audio, demigrare pares, denuo iam tecum expostulo, ut iam calumniae irrogatae maculam confestim diluas, aut quae minaci calamo tuo te scripturum iactavisti, in lucem proferas. Quod si minus feceris, operam dabo ut iure cogaris; ac in eum usum a domino Praeposito collegiique nostri fratribus postulo, imo ipsos requiro, ne te hinc solvere sinant ulla ratione, ni prius nobis pro praedicta iniuria satisfeceris. Actum 11. Apr. 1524.

Huldrichus Zuinglius vester.

IX.

DILECTO DEO ULRICHO ZUINGLIO

TIGURINAE ECCLESIAE PASTORI ERUDITIONE ET PIETATE EXIMIO, FRATRI CARISSIMO.

Gratia Christi Tibi augeatur, frater multo carissime. Literae Tuae tam apertae, tamque christiano spiritu odorae, dici vix potest, ut me exhilararint. Quod autem professum palam Te maritum[1] in literis *Capitonis* legi, id prae immenso gaudio me propemodum extra me posuit. Unum enim hoc desiderabam in Te. Non poteram namque tantam fidei pusillanimitatem Tibi tribuere, qui veritus sis, Te marito non tam feliciter usurum Christum in negotio verbi sui, atque usus fuisset male coelibi, qui ea cottidie designabas, quae multo facilius quam connubii tui confessionem Antichristus posset ferre. Ἄγαμον, ab eo, quod cum fratribus donum hoc Te desiderare, edito libello,[2] episcopo Constantiensi congressus es, nullus credidi; at qua ratione id tam diu celares, ferens Te ab aliis scortatorem, ab aliis male confidentem Christo haberi, mecum rem reputans, non vulgari cum diligentia tum candore, assequi tamen non potui, nisi quod ex aliis fructibus suspiciens Te non dubitarim, rationibus huc adductum, quae apud virum evangelicum non queant omnino repudiari.[3] Verum utcunque sit, ex amussi nunc Te apostolicae definitioni respondere per omnia, serio triumpho. Sed ad *imagines* nostras, multo amantissime frater. Gratias Tibi ago, qui libere admonentem tanto cum candore acceperis, nec minus libere ac candide responderis. Ita plane velim omnes nos esse, qui sumus ab Evangelio, qui lucis filii sumus, ut aperte omnia ageremus, non plus fratrum, quam Christi conscientiam verentes. Si cui frater sum, non potest suspicari iam, me non optimo animo erga eum esse. Quantalibet igitur utar libertate, qui possit male consulere, quando charitas etiam indigna fert omnia? Accipe itaque meam de imaginibus sententiam! nam ex prioribus literis, obscurius aequo scriptis, eam, quantum ex tuis literis coniicio, nondum es assecutus.

Imagines et statuas, ut praesens est seculum Antichristi imposturis obscuratum, optarim ex animo ablatas omnes, praesertim ex templis, sed per Heliam aliquem, id est in hoc divino spiritu impulsum; dumque huiusmodi abest, magnopere cupio, ubicunque ut apud vos, verbi scientia inundavit iam, eodem spiritu, loquente in scripturis, Magistratum impelli, ut christiana Templa εἰδώλων ἁπάντων repurgent, neque ferant uspiam ubi coluntur; idque quod primum. Atque sic puto conveniet nobis de summa rei. Verum, si huius me sententiae causam roges, aliam, quam Tu, respondero, aut certe aliam volo cogere quam Tu, nempe hanc solam: Quicquid offendiculo esse potest infirmis, pro qui-

---

1) 2. Apr. 1524. 2) Supplicatio quorundam apud Helvetios Ecclesiastarum ad Episc. Constantiensem 1522. 3) Zuinglius ergo cum uxore sua convixit, antequam consultum putaret, matrimonium suum publice in templo inaugurari.

bus Christum sanguinem fudit, etiam vita mea redimere debeo ablatum. At statuae illae et imagines offendiculo multis sunt, ut non solum remissius proximos ament, et beneficiis iuvent, sed etiam humanis inventis se deperituros Deum credant, ut reliquam crassiorem impietatem taceam, qua postea multi illic ut praesens numen adorant; ergo submovendae sunt. Tu eandem hanc rationem indubie respondebis, at niteris magis eo, quod εἴδωλα ubique scriptura vetat et habere et coli, neque esse ἀδιάφορα: quae enim verbo Dei damnantur, indifferentia esse haud posse. Verum, mi frater, audi! iam iusto non est lex posita, liberi lege sumus in totum, accepto spiritu filiorum, per quod ultro, spontanei nimirum eo ferimur, quo frustra antea lex impellebat, nempe ut solo Deo fidamus patre per Christum, et proximos ita amplectamur, ut nos amplexus ipse est per filium. Cetera omnia, ut Christo, ita et nostris per eum sunt pedibus subiecta. Domini est terra et plenitudo eius. Qui igitur non liceat habere imaginem aut statuam, si sine iactura id fiat tam fidei quam charitatis? Fateor, ut in praesenti refriguit multorum charitas, haud facile sine iactura charitatis quis multum insumet in statuas et imagines, sed neque in vestes, in annulos, in cibos non admodum necessarios, in cultum aedium, aliaque infinita. Ipse non tam pie, quam necessario subinde mones, ut venerandum verbum Dei, non nisi genuino sensu usurpemus. Iam si locum illum Exod. XX, 4. 5. item illum Lev. XXV, 56. obieceris, equidem non video, quid aliud eviceris, quam non adorandas colendasque statuas. Idem quemlibet etiam unctio docet christiana. At vetari, etiam alias haberi, si verum est, non potes mecum ferre; id quod tamen scribis Te laturum, pro parietibus domorum, et in foro, si nemo colat, aut adoret, poni statuas. Nam si literae haeres, et negas usum statuarum indifferentem, ut quis sincera fide et charitate praeditus possit tamen habere imagines: nullo loco plane, neque ullius rei potuerit habere. Ut si in cubiculo tantum gramen depictum habeat, quando id res sit supra terram, abradere oporteat, aut esse impium. Deinde christiano mihi, h. e., iusto, dicam, cur obiicis legem? Neque enim ceremoniarum statuta tantum abrogata sunt, sed legem ait Paulus abolitam, quae peccati reos peragit, quod non solum ceremoniarum, imo solum legis morum erat, et est hodie in omnibus quibus vetus Adam nondum mortuus est: illi ut uxor vivente marito obnoxia legi est, quod nulli alteri nubendi ius sit, ita adhuc sub lege sunt, quae peccati cognitione cor premat, non autem vitam eorum dirigat, doceatve quid amoliendum, quidve permittendum. Non omnes dociles Dei sunt, qui nisi interius doceat, lex frustra auribus obiicitur. Docet autem ita, ut sine ullo legis obiectu, unctione, pii nihil ignorent ad salutem necessarium. Itaque mi *Zuingli* a sententia tua nunquam diversum censui, sed quod visus sis mihi sentire ceremoniarum tantum statuta abrogata esse, et solis verbis legis niti, quibus tamen si haereas facies idolum *aliquid*, cum Paulo *nihil* sit, et impietatis accusas quicunque ullo loco, quavis occasione, quovis usu, ullius rei imagines aut statuas habuerint, his non potui subscribere. Usum imaginum, qui hodie vulgo est, dum adorantur, dum in fraudem pauperum Christi et fiunt et coluntur, nullus dixero indifferentem, sed impium; et certe minus

quam Tu, aut certe aeque invitus ferrem, in urbe, quae eatenus, ut Tua, in scientia verbi promovisset, doletque plane non illico a disputatione deiecta vestris templis idola omnia. Volo denique, quia hic peccatum est, imo impietas, ut lege per quam cognitio peccati, redarguatur, sed lege, quae id efficiat. Hoc est lege, quae fidei damnat offendicula et charitatis lege, quae internum hominem respicit, non quae externa illa. Quorum omnium potest pius usus esse, nisi negas cum Christo nos dominos constitutos super omnia opera Dei, omnia subiecta pedibus nostris, omnes boves etc. An non, si pii omnes essemus, et universi scientiam haberemus, idolum nihil esse, interim tamen in templis nostris, quae Christiano nihil plus numinis habent, quam aliae aedes, pictas Christi imagines et statuas haberemus: possemus christianum nomen simul tueri, et huius rei gratia peccati et impietatis excusari? Neque enim pictoriam et sculptoriam artes, opinor, impietatis damnabis. Ergo indifferentes sunt imagines, indifferentes statuae, ac indifferentes usus earum, at non indifferentes abusus earum, nempe si adorentur et colantur. Et hactenus probavi orationem *Chunradi Commendatarii*, quod scripturis contra idola adductis, non in totum idola, sed idololatriam damnari contenderit. Et quia pii bene possunt uti imaginibus et statuis, sicut puris sunt omnia pura, et sicut Tu, si etiam crucifixi imaginem in cubiculo habeas depictam, ea queas pie uti: ut nihil temere ageretur, consuluit, hoc est, ut nusquam externa idola deiicerentur, nisi ubi interna antea, h. e. infidelitatis opiniones essent demolitae. Quod ubi non est praemissum, nemo potest inficiari, illic omnia idola esse noxia et nihil pium, sive statuas habeant, sive secus. Verum ubi quis scientiam recepit pietatis, ut purus est, ita ei non possunt non esse pura omnia. Pietatis amore oderit quidem et cupiet abolitum, quicquid impietati subserviit; attamen donec non poterit id effectum dare, sine abalienatione aliquorum quos accessuros possit sperare verbo, spirituali quadam prudentia sic rem temperabit, ut omnibus pateat, suum regnum non esse de hoc mundo, et posse eum, in medio idolorum, in spiritu et veritate patrem, qui nullo vel idolo vel imagine exprimi potest, colere. Equidem nullus probavero, quod idem *Chunradus* in oratione sua potius duxerit niti imaginibus rudes, quam penitus cadere, quasi non sit maxime cecidisse et pessime, si quis Christi ignorans statuis et imaginibus nitatur. Idem quod adducens illud Pauli: si esca offendit fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, contendit, nullum tempus dandum scandalo: qui probem? Cum non nisi impium possit istiusmodi res semper offendere. Nihilominus unusquisque dicere debet: si offendat esca non manducabo etc.? ut ostendat, moriturum se citius, quam fratrem, quod in se est, offensurum. Sed quem semper offendit esca, hunc non esca, sed sua offendit impietas, praesertim si, uti apud vos fit, verbo diligenter doceatur. Ad quod dextre adduxisti exemplum Pauli, qui Titum circumcidere non sustinuerit, cum circumcidisset Timotheum. His, puto, intelligis, quid ego hac in re sentiam, et quatenus inter nos conveniat, quid vero sit controversum. Ubicunque Christus annunciatus est, ut in animis omnium

corruerint idola, quantum illa in hac peccati vita decidere possunt, ne praepostere cum Antichristo manum conseramus, censeo amoliendas imagines et statuas, quibuscunque locis fuerunt venerationi, aut periculum sit, ut porro venerentur. Ecce hoc puto inter nos convenire. At si rationem roges, ut parati esse debemus, et cum mansuetudine et timore omnium, quae designamus, qui scilicet nihil non ex fide facimus, omni praesenti eam reddere, et quidem nonnisi ex scripturis certam, dicam: sunt offendiculo parvulis non uno modo; iam morte etiam redimendum est, ne quis parvulorum offendatur. Addam, quam sancte Deus praeceperit, se unum Deum in spiritu et veritate coli, nulla coli idola aut adorari, h. e. reverentiae aliquid eis exhiberi, quod a nullo, nisi credente numinis aliquid in eis latere, possit fieri. At ut contendam pio nulla ratione licere, habere aut facere idolum, cum ut res externa est, ita queat pie haberi atque fieri, non video, quibus evicero scripturis. Cum igitur verba omnia nostra esse debeant nixa apertis ac irrefragabilibus scripturae testimoniis, non potui, doctissime ac carissime *Zuingli*, neque solus probare, quod Exod. XX, 4, 5. et aliis scripturae locis, quae hinc velut fonte permanarunt, interdictum contenderitis omni usu idolorum, cum tam hic quam Lev. XXV, 56. et aliis locis satis exprimatur, qua ratione vetuerit. Id quod et Tu in literis Tuis agnoscis, nempe ne adorentur, neve serviatur eis. Quod autem Hebraeis, adhuc elementis mundi subiectis, in totum simul usu imaginum interdictum sit, etiam quovis: quid id ad nos ab elementis mundi liberatis ac omni lege, qui cum Christo iam omnium potestatem habemus. Quam sancte Sabbathi religio praecepta fuerit, nosti, et alia multa. Quid id vero ad nos? Licet immolatis idolis vesci, quia idolum nihil est; licet et idolum habere Christi, apostolorum, crucis ad memoriae usum, ad exhilarandum animum, aeque ac gramen et bestias depicta, sed sic, ut nulli sim offendiculo: nam et immolatis idolis propter alienam conscientiam abstinebo. Nunc habes, in quo Vobis non subscribo. Iam ad ea respondebo, quae insunt in Tua epistola, quae probem, quae secus, indicaturus. Primum, quod ipse cum *Leone* nostro magis favistis eorum proposito, qui cupiebant demoliri idola, quam qui volebant salva, probo consilium. Nam cum tot modis sint offendiculo idola, praestabat ubique ea esse demolita. Quod *Wittenbergensem* Maximam, quam ego scripturae puto, quod possimus Christiani libere uti idolis, si modo omnes scientiam habeant, idolum nihil esse, ut nulli simus offendiculo, non probatis: hactenus probo, quod non vultis esse servi hominum, scripturis et nulla hominum autoritate premi. Sed quia scripturae sententiam non dubito (id quod cur non dubitem, supra ostendi), non video, cur nolitis eam amplecti. Verbo Dei abusum damnatum idolorum scio, usum christianis, non scio. *Chunradum*[1] autem nostrum crucem ferre, ut *Lutherus* suam cucullam, quia illud signum, ut et cucalla, res externae sunt, quarum facta sit nobis per Christi sanguinem libertas, permitto, ut hic quisque suae sententiae apud se rationem habeat, et nulli offendiculo sit. Quod Tu vero argumentaris: Sectae non sunt

[1]) Commendator *Schmid* Kussnaci.

indifferentes; igitur neque signa sectarum: recte colligeres, si ita signa sint, ut certo sectarum hominem arguant. Alioqui oblongam gestare togam, et indui alba stola, ac alia multa signa sunt Papistarum, quibus nihil aeque impium. Sed ut non continuo Papista est, qui haec gestat, ita possunt sine peccato gestari, praesertim, qui alias satis testetur, quam nihil commune cum Papistis et sectis habeat. Id quod egregie studuit hactenus *Lutherus*; *Chunradus* non est ita mihi notus. Deinde ita colligis: Statuae per verbum Dei reiectae sunt, ne colantur. Quis igitur audebit habere, ubicunque coluntur? Quid si ego subiiciam: Vino interdictum est, ne eo quis inebrietur. Ergo non licebit bibere vinum, ubicunque eo homines ebrii redduntur? Nam non puto, Te plus scripturis effecturum, quam quod adoratione et cultu idolorum christianis nobis interdictum sit, non idolis etiam, sicut ebrietate vini, non vino. Ut, sicut etiam in aeternum vino voles carere, si fratrem offendat, eadem ratione et nulla habenda Tibi ducas idola, et non quod per se impium sit habere idola. Neque plus vel Pauli vel Iohannis loca efficient. Qui idola Deos arbitrantur, pro se respondeant, nisi eo spectent forsan, quod dum coluntur, ea sibi impii Deos faciunt. Praeterea recte probas, interioris hominis idola primum demolienda; neque iis recte subiungis, hunc externa postea haud laturum, nisi adieceris, quatenus sunt offendiculo, ut certe in templis nunc sunt omnia. Porro, quod ais: Deus sic loquitur: quis est homo, ut cum eo disceptet? et mox negas, quemque idolis bene posse uti, quod usum idolorum Deus vetuerit, non subscribo, donec scripturis eviceris, usum vetitum. Equidem abusum, nempe cultum solum vetitum credo. Rationes supra subindicavi. Postea refutas eos, qui rudibus frugi usum idolorum faciunt; ea nihil ad me, nisi quod vellem certius Te colligere. Etenim aeque, licet non tam clare, potest quis religione Christi imbutus, vel mediocriter, pictura Christum pro se passum admoneri, atque scripturis. Nam et scriptura litera occidens est, nisi internus doceat spiritus. At hoc docente non video, an bonitatis Christi non aeque possit quis admoneri pictura gallinae evangelicae, aut pastoris humeris oviculam gestantis, atque si eos locos legat evangelii, praesertim si ipsos antea legisset. Et si maxime deiicias, sines tamen hactenus usui esse, ut admoneant eorum, quae legeris, si depicta videas simulachra eorum, quae scriptura gesta describit. Quod autem videri Tibi scribis, idola ceremoniarum supellectilem auxisse, fraudi fuisse pauperibus, aucupio avaris Papistis: et nobis id videtur, quare et optamus amoliri, magis adeo hac ratione, quam quod credam, idola per se vetita. Sub haec iubes, infirmos, qui idolorum amolitione possint offendi, non in argutis cogitationum disceptationibus, sed verbo fidei suscipiendos. Probo, modo fidei verbo et christianae libertatis lege suscipias, neque elementis mundi rursus subiicias, dicendo: ne feceris hoc, neve contrectaveris! quae omnia pereunt abusu. Neque puto diversum esse, quod per caritatem censeo infirmos ferendos aliquantisper ab eo, quod puto imagines indifferentes. Nam non volo tolerari imagines, si per se id impium est, ut neque Tu; sed eo ipso quod indifferentes sunt, et possumus pie et impie eis uti, neque certam video scripturam, qua impietatis convincam

utentes imaginibus, ferendos tantisper puto, dum erudiero infirmos, quanto sint scandalo rudibus, et quod sic debeat charitas proximis in fide adhuc parvulis, ut cum gratia eorum posthac templo eiiciam. Hoc gnaviter *Tiguri* praestitisse Te iam in quartum annum scio. Ergo placet a vobis pulcherrimum id exempli accipere exordium. De inconstantia quae scribis *Chunradi* dolet admodum; praecipue autem, quod in responsione vestrae reipublicae ad reliquos Helvetios legerim, respondisse eum vestro Senatui, se docuisse decimas dandas tam ex novo quam vetere testamento. Cum novo testamento, ut provideri velit egentibus et iis, qui in verbo bene praesunt et laborant, ita numerum prorsus ignoret, nempe spirituale. Maxime autem dolet, admonitionis esse parum tolerantem. Haec namque pestis, quantum ecclesiae patrum seculo offuerit, non ignoras. Recte igitur facis, qui sedulo caves, ne quid inter fratres suboriatur simultatis. Quod vero iubes ab olitore discere exarmare hostem, non inepte mones; sed equidem idem semper censui faciundum. Quicquid semel pietati obfuit, opto ita amoliri, ut prorsus aboleatur, et quam fieri commode potest maturissime, et ut praefatus sum, non placet apud vos dilatam rem hanc; spero tamen frustra Romanenses spem cepisse regni recuperandi. Quare pergratum, quod hortaris, ut vestro exemplo admoniti, si quod tale nobis obtingat, caute agamus. Postremo inquis: scio ad hoc vetari cultum imaginum, ne adorentur, neque tam augustae habeantur etc. Habeo gratiam. Hic sentis nobiscum, nobis christianis non interdictum idolis, ut nulla externa re, qui scilicet ab elementis mundi, h. e. traditionibus de externis rebus mundi liberati sumus, sed cultu idolorum. Quia igitur coluntur a rudibus, debent tolli, idque mature. Nam si omnino non liceat habere idola, h. e. si imagines et statuae non essent indifferentes, non admitteres nobis eas in foro, aut pro parietibus habendas. Adulterium per se vetitum est; igitur nunquam licet adulterari. Miror autem, qui mox subiicias: inter ceremonialia censeri non possunt, subindeque abolita putari. Quasi vero tantum ceremonialia abolita sint, et non potius *lex tota*, non ut nullus eam observes, sed quod ea Te non damnet. Nam hoc unum est legis officium, ut patefacto peccato damnet conscientiam, non ut ad bonum vel dirigat vel impellat, quod utrumque spiritus est sanctificantis. Deinde, si non potest connumerari inter abolita praeceptum nullas habendi imagines: qui admittis Tu igitur in foro habendas? Nullam habere imaginem Iudaicum existimo, nullam colere Christianum. Idolum enim nihil est, utque immolatum idolis nunc edere licet, quod Iudaeis non licebat, ita uti licet idolis ad hoc, ad quod Deus artem sculptoriam creavit et pictoriam. Ut igitur et ego tandem finiam: idola, ut res externas omnes, media puto, sed quia arte Satanae factum est, ut colant ea homines, debent demoliri, sed per ecclesiam, aut certe Heliam. Ratio huius esto: non aedificant. Nostrum autem est in ecclesia offendicula tollere, et omnia ad aedificationem facere; igitur oportuit amoliri ea. Non Dominus vetuit, ne quisquam idolum habeat; sic enim nusquam et nullo usu habere liceret, et fieret idolum aliquid, quod negat Paulus. Ecce, ter carissime *Zuingli* atque eruditissime, haec volui fusius ita ad tuam epistolam respondere, quae, non dubito, boni

consules. Sed oro Te vicissim, quando hic sententiam meam habes clarius, quam antea, responde quid in ea probes, quid secus. Debemus enim mutuo nos erudire, ut idem sentientes in eadem permaneamus regula. Et scis, non parum referre, quid, rogati rationem fidei nostrae, respondeamus, quamque certa ea, et apertissimis nixa scripturis esse oporteat. Quod *Wittenbergensibus* intellectum tuum captivum ducere non concedis, laudo, neque angelo de coelo in rebus fidei assentiendum est, sed soli verbo Dei, quod aeternum est; sed simul, quia in proferendo hoc multum et feliciter desudarunt, Tecum eis permultum quoque defero, nunquam tamen ipsis, sed verbo, quod adduxerint, creditturus. Neque enim possumus ignorare, quantam ecclesiae perniciem attulerit, quod tanti homines fecimus, tamque temere eis fidem habuimus. In calce epistolae narras, quod me beat, nempe egregium mundi contemtum apud Tuos. Ora, ora Christum nobiscum, ut idem et nobiscum efficiat, maxime autem, ut, firmati verbo, hominum bullas non plus aequo metuamus: nam quod Tu quereris *περὶ ἀντιχρίστων βουλευτῶν ἡμῶν*, idem queri et nos oportet. Ad haec non adeo adhuc nobiscum radices egit evangelium, ut vacent omnium corda metu, ut taceam cetera mala. Christus vos servet. Ex animo saluta nostro nomine doctissimos et pientissimos commilitones tuos, *Leonem* ac reliquos, et commendate nos ac opus nostrum precibus vestris Christo, magnopere precor, agnoscentes interim me, vestrum fratrem vestri plane studiosissimum. *Argentor.* XIV. Apr. Salutant vos *Capito*, *Hedio*, *Zellius*, *Symphorianus* [1] ac reliqui fratres, et in verbo domini cum fide laborantes, et incrementa spiritus vobis precantur.

M. Bucerus vester quantus est.

X.

ZUINGLIUS VADIANO.

Gratia domini nostri Iesu Christi Tecum, carissime *Vadiane*. Neque nunc a diligentiae tuae in evangelio Christi commendatione temperare possum, quam ita vigilem et inexhaustam video, ut tales nobis multos precer episcopos, qui *Vadiani* more vadere ac promovere nunquam desistant. Sperabam, Te concinnando *Ammanni* [2] sororisque connubio adfuturum, quo facilius omnia coram ageremus. Quamquam multa sunt, quae anxie cupiam Tecum conferre, praeter ea, quae ad evangelii cursum adtinent. Sed neque de illis quicquam est, quod ipse ignores, vel non ex Christi sententia agas. Gratum tamen est, nonnunquam animum eiusmodi piis confabulationibus tollere potius, quam levare, qui alioqui humi repimus. *Emserus* [3] iste Helvetiorum antiquus

---

1) *Pollio*, praedicator Argentorati. 2) *Io. Iacob Ammannus*, Professor Tigurinus. Vid. epist. XVI. 1518. 3) *Hieronymus Emser*, qui cum Zuinglio simul Basileae literis operam dederat; consiliarius *Georgii*, ducis Saxoniae et professor Lipsiae factus, primum decertavit cum *Luthero*, deinde etiam cum *Zuinglio*. Hic 1523 scriptum de canone Missae ediderat. Iam Emserus dissertatione huius tituli: Missae christianae contra Lutheranam

hostis vanitate sua me invitavit, ut quaterniones 4 legerim, priusquam ad scribendum accingerer. Unde factum est, ut paucis Te brevitate ipsa cogam esse contentum. Excipiam hominem christiane, qui tamen impotentissime invehit, tumultuatur, imponit, nugatur et nescio quam vulpem agit. Scribit ad nos quidam *Io. Hessus*, theologus *Vratislauensis*[1] homo tersus sane et alacer, exigitque a nobis literas. Quapropter aliquando doceas oportet, ut per vestras ad illum literas et responsionem ad *Emserum* impurum hominem dem. Scripsit, ex epistola *Melanchthonis* certiorem factum, quod *Petrus Mosellanus* ex humanis excesserit, cuius agoni *Melanchthon* sese testetur interfuisse. Vir fuit graece, hercle, doctus; latine quam doctus fuerit, ipse pronunciabis nobis. *Abtzellanos* tam feliciter promovere, gratulationem fratribus omnibus maximam peperit. Vigilent *Hessi*[2] et alii cum *Iacobo Schurtanner* nostro, ne vitium aliquod in herba nascatur. Vale cum omnibus tuis. Recte omnia *περὶ ἐπισχόπου* vestri accepi; nihil movebimus. Valete omnes. Ex aedibus *Leonis. Tiguri.* XVI. Maii 1524. Salutat Te vicissim *Leo* cum omnibus fratribus. *Georgium Vadianum* nostrum salvum omnes optamus.

Huldrichus Zuinglius tuus ex animo.

Inscriptio: Doctissimo piissimoque viro I. Vadiano, tum corporum, tum animorum Medico exploratissimo.

XI.

MART. LUTHERO WITTENBERG.

ET ULDRICO ZUINGLIO THURICENSI CONCIONATORIBUS IACOBUS WIMPHELINGUS SALUTEM.[1]

Obsecro vos per viscera misericordiae Dei nostri, ut si unquam dialogos *Hieronymi Emseri* de missa et eius canone lecturi estis, ne mox ad bilem et invectivas inflammemini, sed christiana modestia praediti omnia prius ex amussi diiudicentur, si praestantibus priscorum patrum aut sacrarum literarum testimoniis sint suffulti; praesertim quod in canone utraque vivorum et defunctorum memoria persistat, nequaquam a sanctis literis alienum esse videtur. Paulus enim obsecrat (1. Tim. II, 1, 2.) primum omnium fieri obsecrationes et orationes pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus, qui in sublimitate constituti sunt et pro vita functis. Dionysius scribit orationes in ecclesiae exordio esse factas. Consentit Augustinus et Gregorius, ut taceam de libris Maccabaeorum. Sed et quod hac aetate, contra patrum consen-

missandi formulam assertio, Dresdae 1524, Zuinglium impugnabat regerentem: „Adversus Hier. Emserum canonis Missae adsertorem Huldrichi Zuinglii Antibolon," quod scriptum mense Augusti h. a. in vulgus prodiit. Opus eius praecipuum fuit novum testamentum cum annotationibus. Obiit 1527.

[1]) *D. Ioannes Hess* Norinbergensis, canonicus et pastor Vratislaviae, amicus Lutheri et Melanchthonis, obiit 1547. [2]) *Ioannes Hess*, caplanus Abbatiscellae, postea pastor Tüfenae. [3]) Vid. amoenitates literariae Friburgenses. Fascic. III, 512, 543.

sum, nonnulli nova moliuntur; nedum exteris stomachum movet, verum etiam *Caspar Hedio* concionator Argentorati elegantem nuper ad *Oecolampadium* dedit epistolam, qua novitatem seditiosam, et maiorum decreta aequissima esse asseverat. Minus ergo prudenter missae officium morisci choreae a desertoribus quibusdam assimilatur, eiusque fructus cum omnium ceremoniarum sacrorumque ordinum reiectione enervantur, adeo, ut propter huiusmodi horridam novitatem vix a bellis intestinis et domesticis commodo temperetur. Demus enim, ut omnes ceremoniae et cantica primum a Roma prodierint: (licet apostoli quoque coetus ad canendum Christo habuerint antelucanos. Tertull. in apolog.) non propterea ea, quae a tempore apostolorum et ab aetate Leonis et Gregorii in consuetudinem sanctam recepit ecclesia, obliteranda vel vitio danda esse videntur. Nam et Bernhardo teste, qui ecclesiam non agnoscunt, non est mirum, si ordinibus ecclesiae detrahunt, si instituta non recipiunt, si sacramenta contemnunt, si mandatis non obediunt. Creditis indubie, neque spiritum neque sapientiam Bernhardo defuisse, nec vestrum procul dubio iudicium illuminatissimis patribus, quibus ductu boni spiritus aliter visum est, praefertis. Date mihi veniam, obsecro. Dissensio per Germaniam suborta, et quorundam frigiditas, qui ceremonias, qui preces et cantus nedum flocci faciunt, sed et pedibus conculcare nituntur, me senio fessum ad scribendum impulerunt. X. Kalend. Iunii 1524.

XII.

ZUINGLIUS AD IOHANNEM FROSCH THEOLOGUM. [1]

Gratia et pax a Deo patre et filio eius domino nostro Iesu Christo. Hac Te ratione appellamus, charissime in domino frater, ut ne admiratione capiaris, neque ipse longum prooemium scribere cogar. Quod iam olim Te vir quidam, vehementer doctum, supra modum et a pietate et a fideli verbi ministerio nobis commendavit, permovit, ut nullam aliam duxerim occasionem spectandam, ut Te opportune literis conveniam, tempestive non dubitans venturum, qui ad hoc veniat, ut de verbi negotio pie conferat, quocunque tandem momento et ad quoscunque venerit.

Cernis ante oculos, frater, quantum inter se dissideant caro et spiritus, quorum tam iuge inter se bellum est, ut nullae prorsus respirandi iuduciae impetrari queant. Nam utercunque dixerit: Nunc pax est et securitas, tum alter de improviso insurgit, adoritur et obruit. Quod pulchre Paulus indicavit, dum stantem sollicitum esse iubet, ne alicunde ad casum trahatur, quod certe non aliis dixit, quam eis qui iam spiritum ducem sequi coeperunt. Desidet et apud Christum quidam his animam

---

[1]) *Ioannes Frosch*, Bambergensis, 1516 Vitebergae doctor Theologiae creatus, Lutheri hospes Augustae 1518, unus de primis suffragatoribus reformationis ut acer socius Lutheri in controversia sacramentaria. (Sekendorf.)

suam verbis alloquens. Luc. XII, 19. Sed et illam inopinato opprimit Deus. Unde nec carni quicquam tutum est, quamvis huc omne studium vocat, ut quam optime in hoc mundo habeat. Sunt igitur curae pares tam carni quam spiritui, sed impar sequitur finis. Qui enim spiritu perpetuam stationem egerit, hoc invenit ut a labore ad requiem transeat. Contra, qui carne seductus seipsum sollicitudinibus eius mancipavit *επὶ Μανδραβούλου* ei omnia cedunt, et ut in Germanico proverbio est: Cum hic rhedam traxerit, illic currum trahere compellitur.

His ego totis ad hoc tendo, ut quandoquidem iam dudum ad aratrum admovisti manum, constanter progrediare, nihil ad ea, quae reliquisti, retro spectans, ne alicunde carnium et aliorum adpetitus tibi obrepat, qui segnem reddat per gravem Eremum proficiscentem, neque huius Hercle ita admoneo, ut verear te brachia remissurum. Sed currentem adhortor, et adclamo ut magis ac magis curras, nec patiaris laborem, qui tibi nimirum haud aliter quam omnibus Christi ministris hac tempestate crescit, ulla ratione ab instituto cursu revocare. Quanto nempe vehementius persequutio arserit, tanto constantius coelestis verbi imbrem iniiciendo obstare illi oportet. Quae hactenus fieri vidimus, initia sunt tantum malorum. Caro enim, quae hucusque ut est rerum novarum studiosa; susque deque nonnulla tulit, ubi se pati serio, ubi rei nominique decedere viderit, neque sese tuendi, aut sua repetendi spem ullam adparere, iam clamabit, iam tumultuabitur, ac omnia miscebit. An non vides ut quidam nunc ringunt, ut rumpuntur? Quid vero interim verbi ministros dicere oportet aliud quam: sic oportet fieri, sed nondum finis adest?

Imitatur spiritum caro, quamvis longe diversissima ratione: ille omnia agit ut in gloriam Dei cedant; haec haud aliter videri vult, cum interim aliud nihil quam (ut dicitur) sibi canat. Si Tu prodeas verbo Dei ostensurus, ut miserae mortalium mentes sint humanis traditionibus captae et miserius laniatae, confestim prosilit et caro, universa in usum animarum statuta esse clamans, interim tamen sibi conscia quo spectet, aut ubi se calceus urgeat. Si verbo Dei primas des, negesque illi quicquam comparari oportere, mox et se intelligere verbum caro iactabit, et verbi autoritate sibi traditum, ut verbum moderetur etiam. Id si Tu neges, iam dissidia et bella velut ex equo Troiano prodibunt. Caro enim ad arma sua, spiritus autem ad vim suam convertitur, qui carnalia nescit arma. Sed illa quae sunt? Dei potentia; illius autem sunt carceres, contumeliae, ludibria et neces, quae nisi plane contemnas, periculum est, ne ipsorum metu cesses. Quod si contra Deus dederit, ut etiam in eis glorieris, iam super aspidem et basiliscum ambulabis, vincesque omnem contrariam virtutem. Vides enim etiamnunc ut Tyrannis istis doleat; dum Christi verbum adflictionibus premere tentant, et nihil proficiunt, quid putas omissuros esse, si quando ad extrema deventum erit? At omnino verbo instare cogimur. Amos III, 8. Videmus enim coelestem patrem de more suo mundum emendare statuisse; qui tempestive semper admonuit per servos suos Prophetas nocte consurgens, idem nunc facit, ut omnibus videre licet; verbum suum mittit, ut sanet. Ps. CXLVII. Verbi splendorem videmus, cuius vis omnino

tanta est, ut non sit minor spes in libertatem spiritus adserendi populi, quam sub Mose ex Aegypto educendi. Videmus haud secus mundi malitiam, quae tanta est, ut a planta pedis non sit usque ad verticem sanum quicquam. Cum igitur (ut dictum est) coelestis ille paterfamilias nusquam cesset sed amanter caveat, ne suam super nos iram provocemus, debemus omnibus velis et remis, quibus verbi ministerium creditum est, vitiis obstare, conscientiis mederi, etiam si totus simul mundus remurmuret, si calumnietur, si lapidet, si occidat. Nam sic placuit coelesti patri mundum vincere, patiendo, ut proprio etiam filio non pepercerit. At cum se mundus maxime vicisse putasset, nonne Christus victor triumphabat? Sic omnia ferendo, et a fideli ministerio verbi non cedendo Christum victorem videbimus, et ii qui adfectibus suis Christi negotium praetexunt, in profundum cadent.: non enim est consilium contra dominum. Luc. XX, 18. Age igitur candidissime in domino frater dextre ut soles, sed et intrepide verbi ministerium obeas. Dominus loquitur, et verbum suum lucet. Mundus pessimis plenus est. Clarum ergo est, quod omnino mundum instaurari, et per verbum inquam instaurari oportet; nusquam igitur cunctandum, nusquam latendum, ne perentium sanguis de manu nostra requiratur. At ii qui nobis mille suppliciorum genera minantur, tam non sunt metuendi, ut non alia via certi simus, nos recte in ministerio verbi versari, quam si nusquam a persequendo abstineant. Quid enim aliud faceret caro? quantum igitur creverit persecutio, tantum scias verbum incrementum capere. Et nos interim quae maior gloria sequi potest, quam si nos dominus in verbi sui ministerio consumi voluerit? Sic adversus mundi huius procellas animati fortiter dimicemus, ut ab omnibus abstineamus, atque hoc unum spectemus, ut ei placeamus, qui nos in militiam suam scripsit, quod faxit is, qui nos creavit. In quemcunque usum placuerit, utatur. Haec qualiacunque oro boni consulas: raptim scripsimus et confuse ut omnia. Tu verò confortare et robustus esto. Cetera, quae apud nos aguntur, ex ordine narrabit *Ludovicus Haetzer* iuvenis rem christianam adprobe doctus, quem et tibi commendamus. Vale, servetque te cum ecclesia nostrate Christus incolumem. Salvi sint omnes fratres. Ex *Tiguro* XVI. Iun. 1524.

Huldrichus Zuinglius, ex animo tuus.

Inscriptio: Pio fidelique Christi discipulo *Iohanni Frosch*, Carmelitae, *Augustae Vindelicorum* verbi ministro, fratri suo in domino charissimo.

Urbanus Regius Iohanni Frosch.

Epistolam *Huldrici Zuinglii* heri tibi redditam, frater ab ilibus dilecte, legi, relegique magno animi et ardore et stupore. Loquitur enim vir ille Dei meras flammas; atque utut vivae vocis energiam calamus assequi nequeat, mire tamen refert pii cordis prudentem simplicitatem et nescio quid nostro sermone maius? Eruditionem interim et eloquentiam hominis taceo. Vide autem quam circumspectet charitas sollicite, quam omnino nihil intermittat eorum, quae et ad dei gloriam et fratrum necessitatem pertinent. Quis infirmatur et non infirmatur *Zuinglius?*

Nonne quotidianam omnium ecclesiarum curam gerit? qui etiam *Augustanae* ecclesiae per nos bene consultum cupit. Novit noster *Zuinglius* Satanae cogitationes, mundi imposturas, carnisque lenocinia undique instare et obstare verbi ministris. Ipse enim, si quis alius, egregie in hac tentationum palaestra aliquot iam annis exercitatus est. Meae me tepiditatis vehementer puduit, cum hunc spiritus fervorem et impetum ultimis hisce temporibus pernecessarium cernerem, ac sensi protinus, nec sine iusto animi dolore, quantum in me iuris etiamnum caro habeat, quam probe frigeam, si his *Zuinglii* flammis fuero collatus. Acclamat ille fortiter et velut manum porrigit belli impetum ferre non valentibus. Cohortatur instar boni imperatoris ad pugnam, praecedit ipse scuto fidei communitus et hostium vim obiecto corpore gnaviter sustinet, eumque in medio hostium cuneo luctetur, in tantis tamen sudoribus et periculis, commilitonum minime oblitus clamat et urget, ne quis pedem referat, ne timidus stationem deserat, et ingruentis periculi magnitudine territus, relicto signo crucis triumphantissimo, a Christo duce ad Antichristum deficiat. Invictissimus Christi miles Paulus saepe desides extimulat, laborantes et adflictos ad militiam huius vitae aerumnosae alacriter gerendam Christi et suo exemplo excitat. Simili charitate iam utriusque nostrum studiosissimus frater tibi acclamat, nihil dubitans in tam ampla civitate non parum multa accidere tibi quae verbi cursum praepedire possint. Opus est sane et mihi et tibi huiusmodi acclamatore, qui velut classico nos exsuscitet, ne frangamur bello tam assiduo inter hostes tam propinquos. Nunquam non sollicitat caro exitialibus his blandimentis, ut quemadmodum olim Demas, sic nos, relicta tam ardua provincia, praesens seculum amplectamur. Ubi non retrahit mundus? Tentator autem quas non tendit insidias, ut quod (prohibente Christo) non potest impetu, mille artibus efficiat. In hoc certe tot mortes intentat, ut metu perculsi fugiamus, horribiles passim minas et insidiarum rumores spargit, atrocia edit exempla, ut imbecillem carnem exanimet, crucisque offendiculum aboleat. Quoties ille perpetuo hoc triennio cum me blanditiis a coepto avertere, nempe opum contemtorem, non posset, obiectis vinculis et periculis itinerum gravissimis enervare animum molitus est? Gratia autem Deo per Christum, qui vas illud fictile paterna benignitate et providentia ubique tutatus est, ne adversariorum furore diffringeretur. Perexiguum vero est quicquid telorum in corpora hostis noster immisit, praesentiora longe sunt animarum pericula: hic vigilat hostis, ut vel ad dexteram vel ad sinistram nos a regia via abflectat, ut saepe cum gemitu dicam: O quam non frustra exclamabat σκεῦος ἐκλογῆς τοῦ θεοῦ Rom. VII, 24. et Eph. VI, 12. Inter has animi angustias, exemplo *Zuinglii* et aliorum quos in verbi ministerium accivit deus, nonnihil recreor et animor. Hos enim cum tam forti animo perferre video, quicquid uspiam acciditi vel afflictionum vel tentationum, meam certe pusillanimitatem detestor. Sic Christo placitum est, ut mutuis precibus et hortatibus in suscepto Dei negotio corroboremur. Perge igitur et quod facis, ne facere desistas, ac *Zuinglii* nostri admonitionem ex fraterna charitate profectam boni consule. Ego quod ad me attinet, adero laborum socius, operam meam, et si quid donorum

Dei haec habet animula, tibi tam libenter quam merito polliceor. Iam enim *Augustanorum* precibus permotus sublimem illam Pauli ad Rom. epistolam coram ecclesia nostra interpretabor, ut hac velut introductione in universam scripturam Christi fidelium animi praeparentur. Quare communibus votis Deum totius consolationis precabimur, ut nobis plantantibus et rigantibus felix det incrementum, ut denique triumphet per nos in Christo et odorem notitiae suae per nos in omni loco manifestet. Amen. — *Augustae.*

XIII.

ZUINGLIUS VADIANO.

Gratia et pax a Domino. Cogis me, carissime Vadiane, in medio tot occupationum strepitu, nuptiarum patronum et adparitorem fieri, nec tamen invitum. Quid enim est, quod Tibi non debeam? Et nuptias, quis est qui neget rem esse multo pissimam? Hoc tamen utrique interim spectandum est, ne committamus ut aliquando dicere cogamur: Non putaram. Egi ergo negotium hoc ex fide, nulla fretus experientia, quam hercle si uspiam, hac in re, primam esse oportuit, sed tua integritate et candore. Finge enim vel solum halitum in altero sponsorum esse vitiatum, quantum periculi hoc putas aliquando esse daturum? Atque istuc ut alias curiosum est vestigare, ita mihi turpe fuerit tum sciscitari [1], tum disputare, et puellae suspiciosum. Neque tamen haec tam levis causa est, ut non tota sequi dissidia et divortia et saepe viderimus et leges ipsae permittant. Egi autem cum Domina [2] ipsa primum, quae ut est a Christi partibus nefas duxit, nobis quicquam negare, ac rursum inconsultum, temere quicquam inire. Summa itaque rei haec est, ut negotium a nobis *Vadiano* et *Zuinglio* pendeat, veruntamen his conditionibus: ut ante omnia exploratam habeamus hominis conditionem, quo scilicet vitae genere victurus sit, quantum patrimonii habeat, ut lares habeat, ut dotem puellae redhibere possit, quae 500 paulo minus florenorum est: quamvis ex his 200 aestimantur vestes eius et reliquus mundus muliebris. Tenere amat puellam Abbatissa, atque adeo tenere, ut antehac multis eam negaverit; nunc et Te et nobis ambientibus puta fieri non posse, ut fallatur. Ego autem, ut fortasse ne micam quidem salis cum homine edi, Te, qui modium cum ipso absumpsisti, libenter sequar, non alia lege, quam ut hoc pacto agas, ne unquam simus male audituri. Perhibent enim, qui Abbatissae arctius iuncti sunt, nunquam eam tam liberam fuisse in consultando, quam in hac causa, neque animum sibi felicius promisisse quam hic, sed ea semper occasione, quod nos in causa agamus. Fidem igitur nos oportet nulla ratione vel tantillum prodere. Reliqua omnia commentabitur Tecum *Leo* noster. Rursus quod ad connubium attinet, quod fere exciderat, putat Abbatissa, plurimum esse profuturum, si ipse cum proco venias, quo certius omnia transigantur. Nam ut aperte dicam, negotium omne dabis effectum, si nihil aliud hic agitur, quam propositum est. Dixit

---

[1]) Prius scripserat *nosse.* [2]) Abbatissa monasterii feminarum.

enim *Sebastianus*[1] (quod et id ipsum fueram oblitus) se non alia causa uxorem ducturum, quam ut a bellicis tumultibus liberetur; quod summum etiam est, quo puella cum Abbatissa spectat. Vereor enim, si se rursum eis rebus misceat, ne aliquando matrimonium dissiliat. De sede non est admodum anxia Abbatissa; sic enim infit: Cupiam, si fieri possit, ut *Tiguri* degant; quod si fieri nequit, patiar apud *S. Gallum* habitare, sed ea lege, ut me crebro hospitem apud se habeant, addiditque, se non missuram puellam, ubi ubi tandem habitet. Ex fide vide omnia agas. Vale. Ex Tiguro IV. die Iulii 1524.

Quicquid in matrimonio acturi estis, mature agatis! nam proci sunt et alii.

Prosper adsit ubique coelorum terraeque dominus.

Huldrichus Zuinglius tuus.

XIV.

HULDRICUS ZUINGLIUS
CONSILIO PUBLICO HONORABILI, ATQUE UNIVERSO COMMUNI SUAE PATRIAE, COMITATUI TOGGIO![2]

Gratia et pax a Deo patre et unico filio eius, nostro domino carissimo, Iesu Christo, unaque sancto spiritu monitore et consolatore, uno Deo moderatore, creatore ac tutore omnium rerum Vobis, prudentes, graves, sapientes domini ac populares fideles, dilecti! Gratias ago Deo et laudes, qui me operi inseruit evangelii sui, propterea quod vos, quorum omnibus modis curam ago, ex Aegyptia caligine humanorum commentorum in admirabile lumen sui verbi eduxit, per quod speramus a Deo vos in dies magis intellecturos mirificum consilium divinae sapientiae; qui hominem praeter modum sapere cupientem suis in cogitatis inventisque versari permittit, usque dum in tantam reciderit ignorantiam, ut, quemadmodum de Noachi temporibus traditur, in meram carnem abeat, cui non immanet Deus. Postea vero rursus illustratus magnopere miratur, quod unquam adeo coecus esse potuerit, ut praestigias diaboli et carnis non cerneret, qui tamen adeo palam et impudenter ante oculos nostros sese ostentaverant. Unde quoque perspectum habet, tam plenam coecitatem hominibus sine certo iudicio Dei non potuisse incidere, sed eiusmodi tenebras ingruere ideo sinere Deum, ut homo e propria sua ignorantia et pravitate fraudem carnis et rursus lucem certamque rationem verbi divini cognosceret, quemadmodum ipse fassus est Deuter. XXVIII, 28, 29. „Sin autem voci domini Dei tui animum non attenderis, afficiet te amentia, coecitate, stupore cordis, ut in meridie palpans veluti coecus, improspera via utaris. At vero Deus Levit. XXVI, 40 sqq. etiam declarat, se suum populum non adeo repudiare, ut eos nunquam respicere velit, sed tamdiu premendos atque infestandos,

---

[1] *Sebastianus Appenzeller* Sangallensis. Vid. epist. Zuinglii ad Vad. 19. Ian. 1525. [2] Huius epistolae editiones sunt duae a Froschovero et Hagero latinaque versio in Opp. I, 149. b — 151 a.

donec ad improbitatis et coecitatis suae cognitionem redacti ad Deumque conversi ipsum sectentur, implorent; tunc eos liberatum iri. Haec igitur nobis omnipotens Deus omnia conseruit, quo clarius una ex parte ipsius potentiam et clementiam, ex altera nostram imbecillitatem, caecitatem et culpam intelligamus. Annon haec ingens caecitas fuit, per quam nos inducti eramus, ut opinaremur, hominem esse nostrum Deum in terris, coelique et infernorum introitum numine eius fieri, et quicquid iste decreverit, quamvis verbo Dei contrarium, oportere homines custodire? Annon haec ingens fuit caecitas, per quam nos ab omnipotente Deo creati, qui tam saepe palam fecit, ut noster sit parens, ac postremo etiam suum filium dedit pro nobis, qui adeo ipse adest nos miseros peccatores vocans in hunc modum: Venite ad me, omnes laboriosi et onusti! ego vobis otium parabo, attamen declinavimus et ad creaturam conversi recessimus a Deo, quasi tam asper et crudelis esset, ut ipsos eum accedere haud liceret. Et quamquam eum vocaverimus patrem, non tamen ex ingenio Christi patrem vocavimus, id est cum non pro tali habuimus, neque infinita eius benignitate confisi fuimus. Nam gratiae divinae mysterium non cognovimus in eo positum, quod suum filium pro nobis dederit, neque salutis praemium gratiae Dei acceptum retulimus, quamvis nos unicus filius eius Christus Iesus, verus Deus et homo, suarum aerumnarum virtute, quas nostri causa perpessus est, servaverit; sed ex operibus nostris, quae tam impura sunt, tam sordida, tam iniqua et in proprium commodum intenta, nostram pietatem ac deinde futuram felicitatem aestimavimus, itaque coecos iudices nostra in causa egimus, perinde ac si quis se ipsum pro sua opinione bonum musicum vel sapientem virum arbitraretur. Annon haec est ingens coecitas, per quam, licet divina veritas, Iesus Christus, haec ambo dicta uno ore protulerit: Vos eritis mei amici, si tenebitis mea praecepta; et: Frustra me colunt docentes placita praeceptaque hominum, nihilominus omnia, quae Deus imperavit, omisimus, quae contra homo dictavit, suscepimus? Deus nos alios ita diligere iubet, ut semet ipsum quisque diligit, atque ad eiusmodi communitatem instituendam sacramentum sui corporis et sanguinis nobis apparavit, ut in eo universi inter nos conciliaremur; id quod nobis a vitiis capitalibus saltem cavisset. At factio falsa clericorum intervenit et sacramentum communionis et caritatis hostia commutavit, quam prae se ferebant ipsos immolare pro nobis. Tunc nos fuimus ita mentibus capti, ut istis crediderimus, modo ut nostras libidines et cupiditates foveamus, atque interim dormitantes monachorum sacerdotumque opera missantium salutem adipiscamur. Et licet frustra esse declarat, attamen in spiritualium opinatorum cucullis, cantu, murmure, imo heluatione, scortatione, avaritia beatitudinem anquisivimus, praecepta vero Dei ne uno quidem digito contrectavimus. Deus avaritiam sacerdotum in vetere testamento corripuit, quod quidem carni multis nominibus affinius erat, quam novum. Nos autem quum petulantiam Clericorum impudentius ante oculos nostros versaretur, nihilominus facultates et copias suppeditavimus eorum petulantiae; quid quod etiam avaritiam, quam nos exercere doctrina vetabant, indulsimus iis, et quod egenis olim datum erat atque apud nos quotidie erogari debebat, ab iis occu-

pari permisimus; usquedum nostra corpora, opera, patrimonia maiori ex parte eorum propria facta fuerint, nosque in eandem cum pauperibus conditionem depressi. Deus interdicit primo praecepto Exod. XX. simulacra; nos autem cum detrimento pauperum fabricamur: nam in hos oportebat conferre pecunias idolis decorandis insumtas, dictitantes ex nostra sententia et opinione, simulacra nos iuxta cum scripturis docere, licet Deus Io. XIV, 21. ita loquatur: Qui mea praecepta tenet conservatque, ille est mei amans. Quamquam cernentes, verbum Dei non parietibus allinendum esse, sed pectore semper fovendum gestandumque, sic tamen volumus Dei cultores haberi? Nam Deus non de parietibus discitur, sed ex ipso. Nemo accedit ad me, nisi patre trahente; et: Erunt omnes divinitus docti. Io. VI, 44, 45. Huiusmodi coecitatum plenus est orbis. Has profecto et omnes alias cognoscere licet veras esse caecitates, atque etiam confiteri, nos tam stultos nunquam evasisse, nisi Deus nos graviter amentia percussisset, propterea quod huiusmodi mendaciis et impudentibus vanisque fabulis tribueramus fidem. Haec vero acciderunt omnia, ut eo magis Deum ac nosmet ipsos nosceremus; Deum, ut eum qui adfligat idemque restituat, cuius in potestate et arbitrio sint omnia rerum; nos, ut cernamus, quantuli sit omnis nostra facultas et prudentia, ut nihil pretii habeat, nihil valeat, sed quum validissimi sapientissimique nobis videamur, tum nos infringat, debilitet, occoecet. Nam uni solique verbo suo vult obtemperatum, ut vita conformetur ad illud, quemadmodum in sua quisque familia herus exigit, ut ex sua voluntate et sententia gubernetur. Iam ergo quum nostris temporibus lucem sui verbi in tantum aperiat, ut mendaciorum obscuras fallacias dispiciamus: malitia, fieri palam recusans, illud infamat; quumque adversus veritatem nihil polleat, ad artificia sua vetera se recipit, cuiusmodi sunt insidiari, occidere indicta causa, falsis testibus, mendaciis et quolibet modo. Hic Vestra sapientia pulchre et christiano more egit, non patiens ex quavis criminatione praecones verbi divini nulle iure prehendi, vexari, necari.[1] Nam ubi tandem terrarum ius fas est hominem inauditum hoc modo perimere, et simul ac os aperiat, intonare: Sile! tu es haereticus aut nequam! tollatur iste, tollatur in crucem! Vos ita quoque multum otii vobis peperistis: nam etiamsi plebs aliquamdiu concedat, ut eius doctores actione Praelatorum opulentorum in custodiam tradantur, exagitentur, vexentur, haec tamen in diuturnitatem non constabunt, sed multis turbis excipientur. A quibus inconmodis Vos cavebitis, si eos, qui sese invicem haereseos insimulant aut alio modo convitiantur, alteros in alteros audietis et sontes postea punietis. Nihil enim futurarum seditionum efficientius prospicio, praeterquam si tam temere e sacrificorum quorundam furiosorum delatione continuo praecones verbi divini opprimere ac trucidare properent, non animadvertentes, ut longis annis nos isti tam dura in bella graviaque immerserint, sed porro irritari sese patientes. Hoc autem non ideo scribebam, quod mihi praesens vita docentium curae sit: non dubito,

---

1) Haec res uffatim illustratur epistola *Blasii Foreri* ad Zuinglium 8. Dec. data. N. XXIII 1524.

quin fata sua iis arcessat Deus, quando tempus fuerit; sed ut vestrae manus huiusmodi sceleribus maneant incontaminatae. Famulus non est supra dominum. Quum Christus falsa crimina, sacerdotum frementium traditionem toleraverit, eius quoque discipuli probe docentur tolerare; vae autem istis, per quos talia maleficia patrantur. Quemadmodum enim Hierosolyma nece Christi conscelerata dirum excidium subiit: sic nulla potentia tanta est, quin poenam divinam pro omni iniuria luere cogatur. Quam ob causam vobis primo conservate sanctum verbum Dei, ut fideliter tradatur nulla admixtione interpolatum; secundo conservate idem vita et moribus. Nomen enim Dei turpiter habetur, ubi homines Christum quidem profitentur, at secundum Christum non vivunt ideoque duntaxat Christi verbum respiciunt, in quantum emolumenti aliquid et lucri redundare videatur. Hoc enim nihil aliud esset, nisi quod illi spirituales specie agebant: Spirituales sese iactabant, ut libita carnis contingant et obtineant. Sed vestrum quisque veritatem adversus Deum et alterum exerceatis ore! Sive aiatis sive negetis, fidem datam ne fallat vester sermo: nam sic Deum coletis in spiritu et veritate. Verbis diris abstinete, crapulis, alea; scortis, adulteriis, mercenariis bellis; opem ferte egenis, tutamini iure destitutos, oppressos, aliaque, ut Christianis convenit, facite aut omittite ad praeceptionem verbi divini, omneque tunc praesidium vestrum atque solatium collocate in omnipotente, quantumvis obiurgati. Neque enim ius fas est ulli domino imperare vobis, ut ne rectam fidem, id est spem certissimam in Deo reponatis omnipotente; et si quis talia vobis imperare sustineat, respondere oportet, Deo prius obtemperandum esse quam hominibus.

Saepius scripsissem ad Vos, nisi duae causae me revocassent: una, ne malevoli continuo dictitarent, me humana solatia requirere apud vos, quibus adhuc facile carebam (Deo gratia!), praesertim quum pii Tigurini nihil praeter ius et aequum de me fieri patiantur; deinde quod Dei virtuti lubens locum relinquo, nec margaritas porcis proiicere soleo, sed ubicunque ianua mihi aperitur, non cessare. Altera causa, quod, etsi omnino ea mente fuerim, ut apud Vos mea in patria evangelium Christi doceam, usque tamen impeditus fuerim periculis, quae mihi importantur; non ut mihi aut de vobis tam male cogitem, Vos me tutaturos non esse, sed ut nemini occasio daretur tumultuandi, quo multos metus est abituros esse, ubi potestas magis proceribus carnaliter spiritualibus aurem praebitura esset atque obsecutura, quam iustae apologiae eorum, qui in verbo Dei elaborent. Macti animo este et interriti! Deus, qui vos elegit, ut in eius luce versemini, augeatur in vobis, et faxit, ut in omni honestate incrementa faciatis nomenque eius per vos extollatur et consecretur atque post hanc miseriam aeternis gaudiis apud ipsum potiamini. Amen. Nolite vos mendaciis impudentibus ac prodigiosis de me rumoribus transversos agi. Haud aliter solet tenebrarum potestas. Verum enim vero nihil aliud, volente Deo, evincetur, nisi ut in omni doctrina soli verbo Dei adhaeserim. Haereticum me quivis rabula extemplo dixerit, sed facere ne Satanas quidem cum iis quiverit. Deus sit vobiscum. Ad omnia negotia, quibus inservire vobis meae facultatis est, mea opera utimini atque imperate mihi, ut vestro

populari (nam ego me vobis nulla ex parte subtraham) et fratri germano in nostro praedilecto domino, Iesu Christo. Tiguri die Lunae post Margaretae MDXXIV.

14.

Huldrich Zwingli

an den Eersamen Landsrat und ganzen Gemeind sines Vaterlands der Gravschaft Doggenburg.

Gnad und Frid von Gott dem Vater und sinem eingebornen Sohn, unserem lieben Herren Iesu Christo, samt dem heiligen ermanenden und tröstenden Geist, Einem Gott, Herren und Schöpfer und Enthalter aller Dingen seye euch zuvor, Fürsichtige, eersamen, wysen Herren und getrüwe lieben Landlüt. Ich sag Gott Lob und Dank, der mich in die Arbeit sines Evangelii gesteckt hat, dass er üch, für die ich allweg sorgfältig bin, us den egyptischen Finsternussen der irrsäligen Menschenleeren in das wunderbar Liecht sines Wortes gefürt hat, darin ihr (als ich zu Gott hoff) für und für ersehen werdend den wunderbaren Ratschlag der göttlichen Wysheit, die den Menschen, so er über ein wys seyn will, lasst nach sinen Anschlägen und Erfindnussen wandlen, bis dass er in sölch Unwissenheit kummt, dass er, wie zu Noes Zyten geredt, nichts denn ein Fleisch wirt, bey dem Gott nicht bleibt; und so er demnach wiederum erlüchtet wirt, dass er die Wahrheit erkennt, sich verwundret, dass er je hat so blind können seyn, dass er die Verfürung des Tüfels und Fleischs nicht hat gesehen, die doch so offentlich und unverschamt sich vor unseren Augen gespieglet hat. Er wirt auch hiemit bericht, dass sölche Stockblindheit an den Menschen ohne besunderes Urtheil Gottes nicht hätte mögen fallen, sunder dass Gott sölche Finsternuss darum lasst wachsen, dass der Mensch an siner eignen Unwissenheit und Misswandel die Verfürung des Fleisches, und harwiedrum das Liecht und Gewüsse des göttlichen Wortes erlernete. Als er selbs redt Deut. XXVIII, 28, 29: Wo du aber die Stimm dines Herren Gottes nicht hören willst etc., so wirt dich Gott mit Täube und Blindheit, und wüten des Gemüts schlagen, dass du zu mitten Tag tapen wirst, gleich wie ein Blinder in der Finsternuss pflegt zu tapen oder greifen, und wirst dinen Weg nicht richtig füren. Er zeigt auch an Levit. XXVI, dass er sin Volk nicht so gar verschupft, dass er ihr nimmer mehr gedenken wöll, sunder dass er sie so lang lasst befangen und verbergen, dass sie demnach zu Erkanntnuss ihrer Missethat und Blindheit kummind, und sich zu Gott kerind und ihn erkennind, anrufind und er sie erlöse. Dies hat uns der allmächtig Gott alles zugefügt, damit wir sin Macht und Gnad, und dargegen unser Bresten, Blindheit und Schuld desto heller erkanntind. Ist das nicht eine grosse Blindheit gsyn, dass wir uns habend lassen breden, ein Mensch sey unser irdischer Gott, und des Himmels und der Hölle Eingang stande in siner Hand, und was er erkenne, das gleich wider das göttlich Wort sey, das söllind alle Mensehen halten?

Ist das nicht eine grosse Blindheit gsyn, dass der allmächtig Gott, der uns geschaffen hat, sich uns so oft kundbar hat gemacht, wie er unser Vater sey, und zuletzt auch sinen Sohn für uns geben hat? Der auch selbst dasteht und uns armen Sündren ruft, sprechende: Kummend zu mir alle, die arbeitend und beladen sind: ich will euch ruhig machen. Und wir sind hingangen und hand uns an die Creatur kehrt, und von Gott gehalten, dass er so ruch und grausam sey, dass wir nicht dörfind zu ihm kommen. Und habend ihm wohl Vater gerufen, wir hand ihm aber nicht aus dem Geist Christi Vater gerufen, das ist, wir hand ihn aber nie dafür gehalten, und uns nicht aller Gnad zu ihm versehen. Denn wir hand die Heimlichkeit siner Gnad nicht in dem erkennt, dass er sinen Sohn hat für uns gegeben, und hand auch das Seligwerden nicht der Gnad Gottes zugeschrieben, wiewohl uns sin eingeborner Sohn Christus Iesus wahrer Gott und Mensch durch Kraft sines Leidens, das er für uns getragen, erlöst hat, sunder wir habend aus unseren eignen Werken, die so befleckt, vortheilig, eigennützig und närrisch sind, unser Gerechtigkeit und demnach Seligkeit ermessen, und sind also blind Richter in unserer eignen Sach gewesen; gleich als so einer aus sinem eignen Urtheil sich selbst für einen guten Sänger oder weisen Menschen schätzt. Ist das nicht eine grosse Blindheit, da die göttlich Wahrheit, Iesus Christus, diese beide Wort neben einander redt: Ihr sind meine Freund, so ihr thun werdend die Ding, die ich euch gebüt; und: sy ehrend mich vergeben, so sy lehrend Lehren und Gebot der Menschen: dass wir demnach alles, das Gott geheissen hat, unterlassen, und das uns der Mensch fürgeben hat, angenommen habend? Gott heisst uns einandren als lieb haben als jeder sich selbst lieb halt, und zu solcher Vereinbarung hat er uns das Sacrament sines Leichnams und Blutes geben, dass wir darin alle mit einander vereinbaret würdind, welches uns vor den Hauptlastren zum allerwenigesten verhüt hätte. So ist die falsch Rott der Geistlichen kommen, und hat das Sacrament der Vereinbarung in ein Opfer kehrt, das aber sie sich fürgabend zu opfren für uns; also sind wir so blind gsyn, dass wir ihnen glaubt hand, nur dass wir bey unseren Begierden und Anfechtungen bleibind, und dazwischend schläflingen durch Münch und Pfaffen Messhalten selig würdind. Und wiewohl er spricht, es sey vergeben: noch so hand wir bey der verwähnten geistlichen Kutten, Gesang, Gemurmel, ja Füllen, Huren, Geiz wellen selig werden, aber die göttlichen Gebot mit einem Finger nicht angerürt. Gott schilt den Geiz der Pfaffen im alten Testament, das dem Fleisch mit viel Dingen näher war, denn das neue. Und wir hand den Muthwillen der Geistlichen unverschamt vor uns gesehen, und nichts desto minder ihnen zugedienet zu ihrem Muthwillen; und das nicht allein, sundern auch den Geiz, den sie uns mit der Lehr geleidet habend, ihnen gestattet, und das den Armen vor Zeiten gegeben ist, und bey uns täglich sollt gegeben werden, sie lassen einnehmen, bis dass unser Leib, Arbeit und Gut den mehreren Theil ihr eigen worden ist, und wir arm mit den Armen gemacht. Gott verbütet die Bilder im ersten Gebot Exod. XX;

und wir machend sie auch mit Nachtheil der Armen; dann wir an die solltend gelegt haben, das wir an die Götzenzier gehenkt hand. Und sprechend aus unser Lehr und Dunken, die Bilder lehrend uns gleich als wohl als die Schrift, so doch Gott redt Io. XIV, 15: Welcher meine Gebot hat und dieselben haltet, der ist, der mich lieb hat. Da wir sehend, dass man Gottes Wort nicht an den Wänden, sundern in den Herzen stets haben und tragen soll, wellend wir für Liebhaber Gottes geachtet werden. Denn Gott wirt nicht ab den Wänden erlernet, sunder von ihm selbst Io. VI, 44: Niemand kumnt zu mir, der Vater hab ihn denn gezogen; und: Sie werdend all von Gott gelehrt. Und dergleichen Blindheiten ist die Welt voll. Ia diese Blindheiten und all andre mögend wir alle erkennen, dass sie wahre Blindheiten sind; und auch dabey bekennen, dass wir so thorecht nie wärind gewesen, wo uns Gott nicht gewaltiglich mit der Blindhoit geschlagen hätte, dass wir solchen unverschamten Lügen und Tandmären glaubt hättind. Das ist aber alles geschehen, dass wir desto bass Gott und uns lerntind erkennen. Gott, dass er der ist, der da schlächt und wiedrum gesund macht, und in siner Gewalt und Wohlgefallen alle Ding stond. Uns, dass wir sehind wie all unser Vermögen und Weisheit nichts ist, nichts soll, nichts vermag, sunder dass, da wir wähnend am allerstärksten und weisesten seyn, er uns kränkt, verzagt und blendt. Denn er einig will dass man sinem Wort allein lose, und das Leben allein nach dem richte, als auch ein jeder Haushalter in sinem Gesind will gehebt haben, dass es nach sinem Wort und Willen geschickt werde. Und so er zu unsern Zeiten das Liecht sines Wortes solcher Gestalt offnet, dass wir die verführlichen finstren Lüg darin erkennen mögend, so will das bös Werk sich nicht lassen in Tag harfür ziehen, sunder schreit es. Und so es wider die Wahrheit nichts vermag, so kehrt es sich zu sinen alten Künsten, das ist heimlich hindergehen, und umbringen unverhört, mit falschen Zügen, mit Lügen und wie es mag. Da hat üwer ehrsam Weisheit wohl und christenlich gehandlet, dass sie nicht auf eines jeden Vertragen die Verkündiger des göttlichen Wortes will ohne Recht lassen fahen, kästigen, töden. Denn in welcher Welt ist das recht, dass man jemand unverhörter Sach solcher Gestalt sölle verhergen? und so bald er sinen Mund aufthut, schreien: schweig, du bist ein Ketzer oder ein Bub; nimm ihn hin, nimm ihn hin und krüzig ihn? Ihr habend euch auch damit viel Ruhe gestattet; denn ob es gleich von dem gemeinen Mann eine Zeit geduldet wirt, dass man ihnen ihre Lehrer durch Undertrag der gewaltigen Prälaten fahet, vertreibt, kästiget, wirt es doch die Länge nicht Bestand haben, sundern viel Unruhe bringen. Dess werdend ihr embossten, so ihr die, so einandren Ketzer oder anders scheltend, gegen einandren verhören, und den Missthäter demnach strafen werdend. Denn der künftigen Aufruhren seh ich keine grössere Ursach, weder dass man so frevenlich aus etlicher unsinnigen Pfaffen Verretschen gleich über die Verkündiger des göttlichen Wortes fallen und metzgen will; und nicht sieht, dass uns dieselben so lange Iahr in so harte, schwere Krieg geführt hand, sunder lasst sich die erst noch weiter verhetzen. Und dies schreib ich nicht,

dass mir um dies zeitlich Leben der Lehrenden sey (Gott wirt ihnen ihren Tod wohl zufügen, wenn es Zeit ist), sundern dass euere Händ von solchem Misshandel unvermasget bleibind. Der Knecht ist nicht über den Meister. Hat Christus falsche Kundschaft, Hingeben der schreienden Pfaffen getragen, so werdend auch sine Iünger wohl gelehrt tragen; weh aber denen durch die sölch Uebel begangen wirt. Dann wie sich Ierusalem verschuldiget hat an dem Blut Christi, und ist jämmerlich zerstört, also ist kein Gewalt so stark nicht, er wirt die Straf Gottes um alle Unbild zu tragen zwungen. Hierum so handhabend das heilig Gottes Wort, dass es mit Treue und ohne Zusatz gepredigt werd, zu eim. Zum andren, so handhabend es mit dem Erfüllen! denn der Nahm Gottes wirt übel gelästret, da man sich für Christen ausgiebt und aber nicht christenlich lebt; und da man allein darum uf das Wort Christi sieht, ob uns etwas Nutzen und Vortheil daher entspringen möcht: denn solches wäre nichts anders, denn auch die gleissenden Geistlichen gethan; habend sich selbst geistlich erzeigt, damit sie die Begierden des Fleischs überkommen und enthalten möchtind. Sunder rede jeder gegen Gott und dem Nächsten die Wahrheit; sey euer Red: ja ja, nein nein! denn so werdend ihr Gott dienen im Geist und der Wahrheit. Verlassend Gottslästrung, Füllen, Spielen, Hurey, Ehbruch, um Sold kriegen, helfend den Armen, beschirmend den Rechtlosen und Verdruckten etc. Und andere christliche Stuck thund oder lassend nach Inhalt des göttlichen Wortes, und setzend demnach all euern Schirm und Trost zu dem Allmächtigen, ungeacht wie ihr gescholten werdind. Es soll noch mag kein Herr euch gebieten, dass ihr den rechten Glauben, das ist, all euer Vertrauen nicht söllind zu dem allmächtigen Gott setzen. Und wer euch solches gebieten unterstünd, sollend ihr dem antworten: man muss Gott mehr gehorsam seyn weder den Menschen. Ich hätte euch oft zugeschrieben, wo mich nicht zwey Ursachen davon gewendt hättind. Eine, dass meine Ungünster mich gleich ausgeben wurdind: ich suchte menschlichen Trost bey euch, dess ich noch wohl entbehren mag, Gott sey Lob; zu eim, dass die Frommen von Zürich mir wider Recht nichts lassen widerfahren, darnach dass ich Gottes Kraft gern will lassen walten, und dennoch die Margariten (Bärlein) nicht für die Süw schütten, sundern wo mir die Thür wirt aufgethan daselbst nicht fyern. Die ander Ursach ist, dass ich allweg Willen hab gehabt selbs bey euch als in meinem Vaterland das Evangelium Christi zu lehren; bin doch für und für verhindret worden von dem Aufsatz, der mir zugeführt wirt. Nicht dass ich mein so übel oder euerthalb sorg, dass ihr mich nicht beschirmind, sunder dass niemand Ursach zu Rumoren gegeben wurde; dero sich (als ich besorg) viel begeben werdend, wo der Gewalt mehr die hohen fleischlich Geistlichen hören und folgen wirt, weder rechte Verantwurt dero, die im Gotteswort arbeitend. Sind wacker und unerschrocken! Gott, der euch erwählt hat, dass ihr in sinem Liecht wandlind, der mehre sich in euch, und gebe, dass ihr in allem Guten zunehmind, damit der Nahm Gottes durch euch erhöht und geheiliget werde, und ihr nach diesem Iammer ewige Lustbarkeit bey ihm besitzind. Amen.

Lassend euch das frevel Lügen und wunderbarlich Sagen, so auf mich Beschicht, nicht irren! der Gewalt der Finstermuss thut ihm nicht anderst. Aber auf mich soll sich, ob Gott will, anders nichts erfinden, denn dass ich in allem Lehren allein dem göttlichen Wort sey angehangt. Ein Ketzer hat mich ein jeder Bocher bald gescholten, aber darzu machen vermag auch der Teufel mit ihnen nicht. Gott sey mit euch! Und in allem, darin ich euch gedienen kann, schaffend und gebietend als mit eurem eignen Landmann (dann ich mich euer keinen Weg verzich) und eignem Bruder in unserem lieben Herren Iesu Christo. Geben zu Zürich Montags nach Margarete MDXXIV.

XV.

ZUINGLIUS AD ECCIUM.

Gratia et pax a Domino. En Tibi, audacissime homo, repercussionem non hercle Te, sed nobis, dignam! Tu enim merebaris, ut quicquid usquam est contumeliarum, scommatum, laedoriarum in Te iaceretur, nisi nos decuisset has artes tuas contemnere potius, quam pro dignitate referire. Nam quae porro est insania, ut Te induci patiaris, ut ad Helvetios de nobis scribas tam impudenter, tamque tum impure, tum nequiter? An putas obscurum esse, quibus impulsoribus id feceris, et in quem usum? Tune tam feliciter unquam in hac arena depugnasti, ut victor abieris? Quamvis quid refert, etiamsi victor abeas? An propterea veritas non est veritas; an verbum Dei vim et ingenium suum mutabit, quod Tu quemquam clamosa ista loquacitate tua obruas? Contentus non fuisti, quod superioribus pugnis victus abiisti? scilicet novum incendium excitare oportuit, qui ad hoc natus est, ut omnia turbet. Hoc deerat factis tuis, ut qui prius soliditatem tuam omnibus notam reddidisti, etiam animi malignitatem proderes, quo mundus longa post secula *Eggii* non modo stultitiam, verum etiam improbitatem exempli vice ante oculos haberet. Tacebuntur olim Herostrati, Pleminii, Antonii, Catilinae et soli *Eggii*, velut flagitiosorum *Θάσσοι*, memorabuntur. Omnis vita tua iam inde ab unguiculis impura fuit, lingua petulans, os maledicum, vox impura, oculi libidinosi, frons impudens, ut quae ista quoque auderent simulare, quae malitia quidem suasisset, sed fractus conscientia animus designare prae muliebri formidine non posset. Cor tum habendi, tum gloriae cupiditate sic flagrans, ut iuxta prophetae verbum pacem aut otium ferre nullo modo potueris. Nunc Romam petis, paulo post, quod episcopus illic non es factus, in Germaniam redis, omnia mixturus. Nec est, quod zelo Dei te ista facere causeris: nam quem ex omnibus mortalibus proferes, qui tam scelestam vitam duxerit, quam Tu. Venter ita ingluviei et peni deditus, ut vel harpyiam factum esse praestiterit, si Momum Dii audirent, vel asinum, quam hominem. Quamvis quid attinet, humanam speciem circumferas an simiae; modo re non aliud sis quam belua, nec te uti alia ratione quemquam puto, quam qua mulis et asinis utitur. Opportunus es ad omne facinus, nullius enim te pudet. Tales frontes habere oportet eos, qui patrum

sensum exuerunt, et tyrannorum furorem induerunt. Verum quid saxum obiurgo? Quasi vero Tu sensum aliquem hominis habeas, aut spes ulla sit, te ullius obiurgationem, sive blandam sive fortem, auditurum? Deploratiorem hominem, ita me Dii ament, dum universam Germaniam perlustro, non video. Sunt qui aequiparari Tibi stultitia, iactantia, malitia possint; praeferri nemo. Deliberaveram diu mecum, quam Te amanter convenire vellem; at quanto magis cogito, tanto magis video nihil per humanitatem confici tecum posse. Nunc ergo, quum neque mitibus neque acerbis restitui potes, nihil aliud superest, quam ut fustuario vapules haud aliter quam fugitiva mancipia et asini molares. Nam ad Anticyram quis est qui releget? Quasi vero ullae Anticyrae sufficere possint, ut tam perditum restituant. Quum enim maxime restituissent, nihil nisi ex insano et furioso stolidissimum et pessimum fecissent: talis enim natura prius fueras.[1]

XVI.

IOH. VANNIUS[2] FRATRI SUO HULD. ZUINGLIO.

Gratia et pax domini nostri Iesu Christi sit semper tecum dilectissime frater. Nosti, quam infirma valetudine utar, sic Deo volente; patienter ferendum, quod vix aliquando mihi persuaseram. Nimis lubet multum boni de vobis audire et resciscere. Diu me hercle a nullo fratre maius gaudium pereepi, quam quum Rudolfus mihi epistolam a vobis tradidit. Summas gratias pro literis habeo benivolis. Utinam referre possem! Est apud nos sacerdos, nomine D. Arnoldus, (Vos eum, credo, notum habetis) qui nos cunctos reformare et subigere molitur, mihi maxime infensus, propterea quod bene Tigurinis et Vobis dico. Pios fratres ubique traducit. Me apud Comitia Helvetiorum ea de causa reum postulatum volebat. Avemus scire, ut Tiguri se gesserit, quippe qui non audeat reverti. Permulta quiritatur, dominos ambit et machinatur. Mox profecto taedium sui creabit, quoniam dominis non sunt ista iucunda. Haec apud Te maneant propter fratres, quos odit et persequitur etc. Carissime magister Huldriee! certiorem me facite, quomodo res se habeat, utrum verbum Dei apud Germanos proficiat an deficiat. Speramus, *Ursum*[3] mox fieri probum evangelistam. Votum Deus secundet! Ut ne Vobis inficetus meus sermo sive scriptura molestiam exhibeat, Domino Vos commendo, qui semper propitius velit adesse. Frater meus, *Io. Kotter*, organoedus, Vos per me officiose salutat. Friburgi 29. Aug. Salva sit uxor Vestra omnisque familia.

Ioh. Vannius, Cantor, frater tuus.

---

[1]) Nota *Simleri*: „Hic finit Originale, mihique nullum dubium scriptionis Encomii *Eccii* pertaesum *Zuinglium* calamum quoque abiecisse.“ — *Eccius* hoc anno binas literas in *Zuinglium* criminosas ad legatos Confoederatorum miserat, unas in Comitia Thermopolitana, alteras in Gynopolitana. Alterutrae Zuinglio bilem moverunt hac epistola inchoata effusam.
[2]) Canonicus Friburgi Uitonum. [3]) Berus in Basilea?

16.

Ioh. Vannius fratri suo Huldrico Zuinglio.

Gratiam et pacem domini nostri Iesu Christi sit semper tecum dilectissime frater. Mein herzallerliebster Bruder wissen mein schlechte Gesundheit von den Gnaden Gottes. Ich muss jetzt für gut nemmen; ich hätts etwann nicht angesehen. Ich wollt auch von Herzen gern viel Gutes von euch hören und vernehmen. Ich habe wahrlich lang von keinem Bruder nie grössere Freud empfangen, denn da mir Rudolf den Brief von euch brachte. Ich dank euch zum höchsten euers freundlichen Schreibens. Wollte Gott, dass ich solches um euch könnte beschulden. Es ist ein Priester bey uns, heisst D. Arnoldus; ich meine, ihr solltet ihn wohl kennen. Der will uns alle reformiren und regieren. Er ist mein grösster Feind von wegen dass ich Gutes von denen von Zürich und von Euch rede. Er wollte mich für gemeine Eidgenossen citirt haben etc. Er persequirt die frommen Brüder all etc. Wir wollten gern wissen, wie er sich zu Zürich gehalten habe, dass er nicht darf wieder darkommen. Er klagt fast viel und lauft den Herren nach und practizirt. Man wird sein wahrlich bald müde, wann die Herren hands nicht gern etc. Haec apud Te maneant propter fratres, quos odit et persequitur etc. Mein lieber Mr. Ulrich, lasst mich wissen, wie es stehe, ob das Wort Gottes sich bey den Teutschen mehre oder mindere. Wir hoffen, der Bär werde bald ein rechter Evangelist. Gott gebe seine Gnade dazu. Damit ich Euch mit meiner ungeschickten Rede oder Schrift nicht bemühe, so befehle ich Euch dem Herren: der wolle allezeit mit seinen Gnaden Euch beywohnen. Mein Bruder, Hans Kotter, Organist, lasst Euch freundlich salutiren. Datum Freiburg, 29. Aug. Grüsset mir eure Hausfrau und all euer Gsind.

Ioh. Vannius, Cantor, dein Bruder.

XVII.

ANTONIUS PAPILIO [1]

AMICISSIMO IN CHRISTO VIRO, ULRICO ZUINGLIO TIGURINO EPISCOPO.

Iesus Christus! Gratia et pax a Deo patre et domino nostro Iesu Christo. *Antonius Dubletus*, vir utrique nostrum, imo piis omnibus in Christo coniunctissimus, a vobis rediens Tuas mihi reddidit literas,

---

1) De *Papilione* atque *Dubleto* his in literis commemorato epistola *Petri* de *Sebivilla* Gratianopolitani ad *Annemundum Coctum* sub 28. Dec. aliquam notitiam praebet: „Ie ne dis pas, que il ne aye merveilleusement grans aelateurs de l'Evangile, mais ils sont en petit nombre. Il en y a deux grans personnaiges a *Grenoble* le temps du Roy estant a *Lyon*. L'ung se appelle *Antonius Papilio*, le premier de France bien sachant l'Evangile et en langue latine très eleguant. Il a translaté le traichié de votis monasticis à Mad. *D'Alençon*, soeur du Roy, de quoy le a eu beaucaup d'affaires avecques cette

plenas pii vereque christiani affectus; simulque nobis aperuit, quantum per Te sanctum evangelium suum promoveat. Quam ut in Te, optime *Zuingli*, gratiam sua miseratione Deus per Christum confirmet, indiesque augeat, quam enixissime obsecramus. Equidem dicere non possum, quanto gaudio, quantaque consolatione exultaverit, liquefactaque sit anima nostra, dum accipimus, principem Helvetiorum pagum, *Tigurinos* tuos, bellis caedibusque natos, ferasque potius quam homines, coniunctam hanc sceleratissimae crudelitati aceleratiorem avaritiam ad sincerum evangelii verbum semel exuisse, bonaque fide, (eo praesertim tempore, quo ex funesta hac exercitatione uberrimus quaestus rediret) Christo domino verae pacis authori sacramentum dixisse. Vere potens est Deus, ex lapidibus istis suscitare filios ipsi Abrahae. Hocque nunc inprimis mirabile in oculis nostris per verbum suum dominus effecit. Quanquam quid mirabile esse potest, immensam illam bonitatem reputanti, praeter ipsum mirabilium effectorem dominum? Ceterum, illud impletum nos videmus, ut primi sint, qui erant novissimi; ita in nobis ludente stultamque faciente prudentiam hominum Deo, apud quem, quod hominibus sanctum, excelsumque est, abominatio detestatioque habetur. Minore negotio tuorum, quamlibet inquinatas, fraternoque sanguine stillantes, manus verbum domini, quod omnia purificat, emundavit; facilius in efferatos bellis animos gladio utrinque incidente penetrabilior vivus sermo Dei traiecit, quam in nostrorum civiles mores ceremoniis, ritibusque superstitiosis speciosam vitam irrumpere potuerit. Vaeh, vaeh iustitiis nostris, impiaeque pietati nostrae. Cum tota nostra daemoniaca prudentia, cum superstitiosa religione tot coenobiis, tot scholis, tot templis, simulachris, ritibus, ieiuniis, votis obduramus in iniquitatibus nostris, Deumque exacerbamus, quique nos Abrahae filios existimabamus, et gloriabamur, videmus ab oriente et occidente congregari, qui cum Abraham et Isaac accumbant; nos autem excludi foras. Quodque vehementissime dolendum est, tanta hypocriticae huius iustitiae vis, tam crassum speciosumque tectorium est, ut nostrorum oculi latentem sub his impuritatem pervidere non possint. Tam multos praeterea Romanense illud idolum satellites omnis generis sibi apud nos comparavit, ut nusquam aut plures, aut potentiores, aut versutiores, quos tametsi Deus contriturus sit cum illorum principe Antichristo, plurimum tamen Christo, ex Aegypto redeunti, negotii exhibent, eoque rem adduxere, ut (quae summa certissimaque Christiano spes est) nihil hac in re ab homine quoquam expectari possit. Interim nihilo secius suae Domino reliquiae salvae sunt, indiesque credentium numerus augetur, qui pro se quisque, quoad licet, Christi negotium promovent, in

---

vermine *Parrhisienne*. Toutes fois la dite Dame l'a bien recompensé. Car elle l'a fait Maistre premier de Requestes du *Daulphin*, et si est du grand conseil. Il n'y a point aujourdhui en France plus Evangelique que la Dame *D'Alençon*. Elle a ung docteur de Paris, appellé Maistre *Michel* Kleymosinar; lequel ne presche devant elle que purement l'Evangile, et toutes aultres gens Elle a debouté arrière. L'autre est de *Lyon* et se appelle Messire *Antholne du Blet*. Ie croy que tu as en nouvelles de luy scripto, car à luy je mande mes lettres, et il les te a fait tenir." (Siml. Mss.)

omnesque occasiones intenti, qua fenestra aperitur, sacrum hoc incendium vibrant, quamque possunt latissime spargunt. Quod ad regem spectat, excellenti quidem non minus ille iudicio est, quam fortuna. Verum (ut nunc est rerum status) multitudine negotiorum obruitur; ad hoc, quod plerisque omnibus nostrum ingenium est, foro utitur, impotentiaeque Bchemot illius cedere cogitur interdum. Quanquam si mihi ea esset authoritas (quam tu forte existimas) apud illum, prius, me authore, susque deque omnia misceret, profundasque maris voragines pedibus ingrederetur, Christum ducem unum sequens, omni in illum unum spe proiecta, quam ad Pharonem illum vel tantillum respiceret. Affuturum tamen non desperamus dominum, qui, quod in christianissimo rege coepit, perficiat. Nam et clarissima mater [1] recte sapit, supraque feminarum nostratium consuetudinem superstitionibus vacat. Soror vero regis, Alenconii et Biturigum dux, [2] nescio an quamquam parem habeat. Ita me Deus iuvet, ut in illa vigere, vivere spirareque illum existimo, existimantque, qui Dei sunt, apud nos omnes. Superest, optime *Zuingli*, ut tuis tuorumque nos exhortationibus precibusque adiuves, Nosque vicissim Deum patrem obtestemur per Iesum Christum, ut magis ac magis verbo suo successum in suorum cordibus praebeat. Salvere Te iubent in domino *Michael Aranda*, Eleemosyn. Alencon. Sagiens., *Dampetrus*, *Sevinus*, *Matthaeus*, praesens Aurelianus, *Petrus Amicus*, vir egregie doctus et christianus, omnesque qui sunt Christi. Gratia et pax Dei et domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Non. Octob. *Lugduni*. 1524. Conservus tuus in domino servus inutilis Iesu Christi

Antonius Papilio.

E re christiana esse *Dubleto* et mihi videtur, si *Ludovicae* Andium Cenomanorum Angolismorumque duci, christianissimi regis matri, librum de vera et falsa religione, quem scripturum te recepisti, dicaveris.

XVIII.

ZUINGLIUS OECOLAMPADIO.

Gratia et pax a domino. Rumor est, principem *Würtembergensem* te sibi in usum Evangelii iunxisse. Ego ab eo homine aliquando vehementer abhorrui; verum si ex Saulo Paulus factus est, non aliter amplecti possem hominem, quam fratres Paulum, quum resipuisset. Quidquid in hac re senseris iudica! nam nos, si fides adsit, cum illo, quae maximo sint emolumento rei christianae futura, tractare poterimus. Cupio autem in summa scire, posteaquam de fide docuisti, ubi nunc sit, et qua ratione tuto queam ad illum literas dare. Puta si sit in *monte Peligardi*: nam si in arce *Twiel* est, meopte Marte, si voles, ad illum mittam literas citra tuam operam. Provocationem *Balthasaris* [3] nuper missam, aut excusam ostende, aut exemplar remitte, utrumque hoc nostro bibliopola tabellione. Plura non permittunt occupationes. Reliqua

---

1) *Ludovica Sabaudiensis*, quam proprii commodi studia mox abalienarunt a reformatione. 2) *Margarita*, *dux Alanconii*, post *regina Navarrae*, amica et patrona reformatorum et eruditorum. 3) *Hubmeieri.*

omnia memorabit bibliopola. Saluta *Annemundum*,[1] *Farellum*, *Bonifacium*,[2] cum datur. Vale, ex Tiguro 9. Oct. 1524.

Huldrichus Zuinglius tuus.

XIX.

AD FRIDOLINUM LINDOVERUM BREMGARTENSIUM CONCIONATOREM,[1] SUPER PUBLICA DE GRATIA PER CHRISTUM HALLUCINATIONE, EXPOSTULATIO HULDRICHI ZUINGLII.

Gratia et pax a Deo patre, et filio eius unigenito, domino nostro Iesu Christo, frater in domino dilecte, si modo domini es! Tu quidem hactenus et multa et gravia, sive per imprudentiam, sive per audaciam, in puram evangelii doctrinam, in Tigurinorum, et qui illic verbum praedicamus, contumeliam effudisti; ad quae nos hac potissimum connivimus causa, quod speraremus te cum sententia sermonem quoque mutaturum. Ad quae tam abest ut alioqui tacuissemus, ut iam olim consilium fuerit per epistolam te amice conveniendi et, eam si minus audisses, paulatim instandi, tum adhortando, tum arguendo, donec deserta Aegypto, contemtis carnium ollis et peponibus, coelestis verbi manna non solum tuum, sed etiam populi vestri palatum reficeres. At posteaquam animus tibi coepit in diem magis ac magis ferocire, mutaveram consilium: melius esse ratus, si tibi satis superque tua sponte insanienti defervere potius bilem sinerem, quam scriptis meis extimularem. Sic enim et imprudentia et furore agitari videbaris, ut nullae prorsus Anticyrae quicquam tibi prodesse possent. Et sic prorsus conticui: istud interim solatii habens, quod etsi Maenadas insolescendo vinceres, haud multum tamen herbescenti Christo nocere, et minus Antichristo prodesse posses. Nunc vero, quasi parum sit in quibusdam verbi locis dissensisse, et in homines genuinum exercuisse, quum universam Christi religionis summam evertere conari et Christum ipsum blasphemare te non pudet: rumpendum esse constans hactenus silentium duximus, ne ad contumeliam Dei conniventes, proditionis rei agamur et, quod olim populo Israëlitico, nobis quoque eveniat: qui dum constanter gentes, quas iusserat dominus, expellere cessaret, ita iram Dei super se provocavit, ut crebro hostibus suis sit subiugatus, quibus imperare debebat.

---

1) *Coctus*. 2) *Wolfhardus* sive *Lycosthenes*. 3) D. *Fridolinus Lindauerus*, pastor *Bremgartae*, iam ante secundam disputationem Tigurinam gloriatus erat, Zuinglium ac Tigurinos tribus verbis sese ad silentium redacturum esse; non autem, quamquam invitatus, in disputationem comparuerat, sed iam profectus medio ex itinere domum redierat. Tigurini vero compererant, ut Zuinglium iste et alios praedicatores de suggestu haereseos criminatus esset. Qua de causa Tigurini expostulaverunt ac Lindauerum in colloquium cum Zuinglio provocarunt. Hic infitiari colloquiumque recusare Tiguri, ubi iudices habiturus esset iniquos: alicubi permissu episcopi et Confoederatorum sese praesto futurum. Mense Augusti h. a. orationem habuerat Thermopoli, quam Zuinglius his literis arguit ut sacris literis repugnantem.

Ne sic inquam nobis eveniat, ut istis, quod scilicet falsitas et mendacium veritatem subiiciant, tua ista in coelestem doctrinam et in Christum Dei virginisque filium contumelia nullo dissimulari pacto debet. Ea autem est, ut ad causam ipsam descendamus: Quum proximo Augusto apud Helvetiorum nostrorum thermas ad ecclesiam, quae illic est, sermonem fecisti, palam asseverasti: primum, Christum solummodo pro eorum delictis esse passum, qui ante se fuerint; deinde, per Christum nobis non alia delicta condonari, quam quae baptismo abluuntur: nam quae postmodum perpetraverimus, sacramentis ecclesiae elui oportere.

Quod ad primum attinet, brevioribus quidem, sed claris tibi ante oculos exponam, quam foede hic sis hallucinatus. Abrahamo promittitur Gen. XV. In semine tuo benedicentur omnes tribus terrae. Quod si ecclesia, quae ex gentibus vocata est, et circum plateas, per vicos, apud extra urbem septa collecta, in semine Abrahami, quod Christus est, non est benedicta: quomodo omnes tribus terrae in eo erunt benedictae? Et contra, si omnes benedictae sunt per Christum, cur tu eum posteris ipsius violenter aufers? Ad hunc modum omnem posteritatem Abrahae percurre, et invenies perpetua serie cum verbis praedici, tum figuris adumbrationibusque praesagiri, quod Christus sit omnibus gentibus salutaris futurus; et quod Israël dominum perditurus, gentes vero eum sint amplexurae. Quid enim putas Ismaëlis et Esavi repulsam aliud figurasse, quam veterum colonorum ejectionem et, quae gentibus facta est, vineae novam locationem? Quid Iacob ex Mesopotamia uxoribus duabus, sed formosiore aliquamdiu sterili, pulcherrima posteritate et numeroso pecore dives, domum rediens, aliud vel potuisset indicare quam Christum, qui oves tam ex Gentibus quam Iudaeis in unam ecclesiam coniunctas, istuc unde ipse venerat, reduxit? quod ipsum Iesaias pulcherrima similitudine sterilis aliquousque feminae, ac postea fecunditati redditae, capite LIV. expressit: quarum admodum multae, sed omnes ad hunc typum fuerunt; sic inquiens: Lauda sterilis quae non paris, decanta laudem et hinni, quae non pariebas: quoniam plures filii desertae, quam eius quae virum habet. Quid sanctissimi Baptistae verbum: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi: num falsum, aut vani alicuius parasiti encomium fuit? Aut Iudaeorum patres, qui ante Christum vixerant, mundus sunt, et nos mundus non sumus? Si vero Christus nostra quoque vulnera sanavit, qui factum est, ut nobis eam salutem invideas? Et quum quidam gentiles aliquando cuperent Iesum convenire Ioan. XII. sensit prae foribus esse, ut salutis verbum Gentibus quoque annuntiaretur, dixitque: venisse horam, ut filius hominis clarus fiat; hoc est, ut morte superata salus in eius nomine omnibus gentibus promitteretur. An et hoc frustraneum esse putas? Postea vero quam a mortuis resurrexit, et discipulis praecepit: Ite, inquiens, docete omnes gentes, baptisantes eos etc. et praedicate evangelium omni creaturae: num et hoc inane tibi videtur? Absit. Nisi, ut est quorundam audacia, hoc dictum velis, ut gentes non sint gentes, aut humanum genus desierit creatura Dei esse. Num Iudaeorum Deus tantum est? nonne et Gentium? Certe et Gentium est: Romanorum III. Sed de hoc satis; nam ipse hic non obstinate constitisti, ut audio; sed rhetorum

more iniquum petivisti, ut aequum (si modo aequum esset quod adseris) tolleres; hoc est, salutem per Christum patribus tantum promisisti, ut qui vere Christi sunt, grati essent et contenti, si vel hoc auferrent, quod Christus eis semel fuisset salutaris: quo deinde fieret, ut sacramentorum signis, quae vulgus sacerdotum non nisi magno vendit, conducto murmure etiam frigido ac somniculoso, redemtisque preculis populus Christianus commissa sua expiare contenderet. Quod istae voces tuae prodiderunt: Bona res est offerre. Offerte pro vivis et defunctis! Nolite eos audire, qui docent: non offerendum esse, et consimiles. Aeu plane rem tetigisti: hinc lachrymae istae vestrae. Sed in viam redeo. In hac opinione non admodum pertinaciter constitisti: non ignarus quam impium esset, quamque iudaicum et blasphemum, eam adserere. Sic ergo ab ea discessisti, ut tergiversationis effugium tibi relinqueres; et ad secundam sic gladiatorio animo properasti, tanquam eam non modo securibus, sed et palmis et plantis defendere constitueris: videlicet, per Christum nobis non alia delicta condonari, quam quae baptismo abluantur; et quae post admiserimus, expiari sacramentis oportere. Quae opinio quam sit impia, et christiano homine, nedum verbi ministro, indigna, facile dici non potest. Quid enim est Christum conculcare, si hoc non est? praesertim cum tot tamque manifestos scripturae locos habeas, quibus videre licet Christum pro omnibus omnium commissis ἀπολύτρωσιν, hoc est, redemtionem ac pretium esse. Iterum ergo praecursoris verbum considera: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. At quid dicit peccata mundi, si unum originale peccatum tulit? an peccatum aliud non est, quam originale? ut cum dicat peccata, nihil aliud intelligere debeamus, quam originale, quod scilicet omnia peccata sint originale peccatum tantum? Quorum utrumque quam sit absurdum, omnibus est manifestum. Ioan. III. sic legere poteras: Non misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur. Ecce mundum salvari per Christum; non tantum originale, aut etiam baptismum praecedens peccatum sanari. Deinde quod sequitur: Qui credit in eum, non iudicatur; te manu ducere potuit in fidei cognitionem, quod fide in Deum per Christum omnia peccata delentur, ita ut ne iudicentur quidem qui Christo fidunt. De qua re non est hic ad sufficientiam dicendi locus, ne librum potius videamur quam expostulationem scripsisse. Ibidem I. cap. Lex per Mosen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est. Quod si per Christum non nisi originale, et praecedentia baptismum peccata delentur: quodnam discrimen erit Moseos et Christi? praesertim quum iuxta vestram opinionem circumcisio apud priscos hoc potuerit, quod apud nos baptismus: quanquam illa in venturo Christo, hic in iam accepto. Aut quaenam esset gratia, semel abluisse eum, quem scias mundum esse nulla ratione posse? Gratia sic per Christum facta est, ut perpetua sit, perpetuo duret, perpetuo expiet. Nam omne quod pater Christo dederit, ad eum veniet; et quod ad eum venerit, non eiiciet foras Ioan. VI. Veruntamen ad luculenta veniamus. Christus sic pronuntiat, Ioan. XIV: Ego sum via veritas et vita. Quandoquidem ergo via est, per eum ingredi oportet

in vitam. Nam qui alia ingrediuntur, fures sunt et latrones. Ibidem rursum inquit: Nemo venit ad patrem nisi per me. Non ergo per sacramenta, non per aliud pretium itur ad patrem, quam per Christum. Ipse dixit, qui et veritas est. Nulla igitur prorsus venitur ad patrem via, quam Christo. Istic: Ego ad patrem vado, et quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Hoc se ipsum facturum recipit Christus, quod in eius nomine petierimus. Si ergo iniquitates nostrae sicut onus grave nos premunt, per Christum levari orabimus, et ipse faciet, quod orabimus. Non enim dixit: Sacramentorum vi liberabimini, nec alia quacunque re, sed me: cum enim petieritis in nomine meo, faciam. Cap. XVI. sic inquit: Amen, amen dico vobis, quaecunque petieritis a patre in nomine meo, dabit vobis. Hic patrem daturum pollicetur, quod paulo ante ipse promiserat; indiscriminatim sibi et patri, quod nobis divinitus datur, attribuens. Deinde si nobis a patre, quaecunque tandem oramus in nomine Christi, donantur, cur non delictorum veniam in eius nomine petemus? aut cur alia via quam per Christum eam quaeremus? Lucae XXIV. aperte legis, Christum apostolis et qui cum eis erant, mentem sic illustrasse, ut scripturas caperent: ac mox ex ipsis ostendit, ut se pati oportuerit, et resurgere tertia die, et in nomine ipsius praedicari poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes. Habes hic sole clarius, poenitentiam et remissionem peccatorum oportere in Christi nomine praedicari. Nec est ut hic de originali et baptismum praecedentibus causeris: nam in genere dixit, poenitentiam et remissionem peccatorum. Idcirco fieri nequit, ut resipiscentibus Christum semel modo possis salutarem esse dicere, sed poenitentiam et remissionem peccatorum in nullo alio valere confiteri cogeris, quam in nomine Christi; oportuisse enim, inquit, in eius nomine poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes praedicari. Actor. IV. perhibet Petrus, non aliud esse nomen sub sole, in quo nos oporteat salvos fieri, quam nomen Iesu. Quomodo igitur tu audes adseverare, sacramentis abstergi vulnera nostra, quae solius Christi sanguine curantur? Sanguis enim testamenti est, qui pro totius multitudinis salute fusus est. Verum quid longius rem istam perscrutor? Cum novum testamentum ideo sancitum sit, ut aeterni filii Dei aeterno sanguine perpetuam accessionem habeamus ad Deum, et non Iudaeorum ritu cogamur vaccarum et caprorum cruore pollui potius quam lustrari; sed quotiescunque vulnus accepimus, ad patrem clamemus, ut filii sui pretio mederi, hoc est, ignoscere dignetur. Veritas est, qui in suo nomine postulare iussit. Impetrabimus ergo: nemo enim est qui negare possit; idem enim est, qui hanc viam ostendit, quod et pater; unde et se ipsum quoque facturum spondet, quod alio loco de patre promittit. Iam quid apostolorum testimonia produxero? qui toti in hoc sunt, ut Christum omnibus gentibus, omnibus animi morbis, omnibus conscientiae vulneribus comprobent esse salutarem. At, inquies, omnia quae adducta sunt non equidem infitior: Christus agnus est, qui peccata mundi tollit, sed semel cuique tollit. Quis vero hoc unquam dixit? semel tollit. Nam quod semel tantum mortuus est, non istud continuo sequitur, quod semel tantum reconciliet. Ut enim aeterni Dei filius est, ita pretium sanguinis

eius in perpetuum durat, ad omnium omnia exhaurienda peccata; non semel, sed semper. Nam ad hoc semper vivit, semper ad dexteram patris sedet, ut semper placet iustam Dei iram. Neque hoc nostrum commentum est. Habes 1. Ioan. II. Filioli, haec scribo vobis ne peccetis. Et si quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi. Primum, quibus scribit hic Ioannes? nimirum fidelibus; ergo et fidelibus, qui iam baptisati haud dubie erant, Christum propitiationem promittit. Secundo loco, cum dicit, et si quis peccaverit: manifestum est, eum non de originali morbo loqui. Hunc enim non peccamus ipsi, sed peccavit Adam. Postremo iterum audis Christum hostiam esse, quae non solum gentis alicuius, sed universi orbis universa delicta expiet. Quod et ipse dulcissima Samaritae parabola docuit, quum ipsum eius quoque, quod supra duos denarios expensum esset, praedem facit. Porro quid aliud agit Paulus per totam ad Hebraeos epistolam, quam ut vim ingeniumque mortis Christi explicet? Ut scilicet Christus una quidem morte vel oblatione sanctificatos, hoc est fideles, in perpetuum consummaverit: eum veterum hostiis opponens, quod illas crebro iteratas oportuisset; ipsum vero tam sanctam, tam divitem, tam denique absolutam esse oblationem, ut qui ea freti sint, perpetuo per ipsam ad Deum accedant. Et propterea sic inquit cap. XIII. Christus Iesus heri et hodie, ipse etiam in secula. Non aliud procul dubio intendens, quam quod Christus adusque mundi consummationem tam salutaris est, quam erat cum in cruce mactatus spiritum redderet. Mox enim adiungit: Doctrinis variis et peregrinis ne circumferimini! optimum enim est, gratia stabiliri cor. Hinc salutem hominis pendere definiens, si sola Dei gratia per Christum nitatur: quam viam novam noviterque instructam Christus patefecit, Heb. X. Sola ergo Dei gratia felicitati restituimur. Porro gratia Dei per Christum sic firmata est, ut ferme iam debiti rationem induerit. Quomodo enim non omnia nobis donavit, qui filio suo non pepercit? Hoc autem postremum, quod maxime contra adsertionem tuam pugnat, videlicet, sola gratia Dei nos iustificari, non sacramentis (quae tu libenter magno venderes), Paulus tam Romanis quam Galatis scribens, clarissime adserit. Nam si sacramentis aboleri peccata potuissent, qui factum esset ut Christus carnem indueret, et non potius sacramenta institueret, quibus expiaremur? At dices, sacramenta non propria, sed passionis Christi virtute repurgare peccata. Cur igitur Aristotelicae oblitus es maximae? Propter quod unum, quodque tale et ipsum magis. Si sacramenta ideo purificant, quod Christi sanguine sunt imbuta: sanguinis igitur est, non sacramentorum, criminum ablutio. Qui ergo Christi sanguine intrepide fidunt, peccatorum remissionem impetrant. Quod si sacramentum accedat, exterioris potius hominis informatio est, quam interioris. Ut enim hic elementis nullis doceri aut fidelis reddi potest: sic iste quicquam capere nequit, quod sensu non experitur. Ut ergo toti, hoc est, tam interiori quam exteriori homini Deus satisfaceret (ut exempli causa dicamus): eum, qui iam credidisset aqua tingi iussit, non ut animum ablui hac ratione voluerit (nam qui fieri posset, ut incorporea substantia

elemento corporeo abluereturʔ) sed ut exterior homo visibili signo initiaretur, quo eius quoque rei, quae aqud interiorem vel fidei lumine, vel manifesto gratiae Dei verbo geritur, certior fieret. Quod Augustinus recte vidit, quum dixit, etiam quum verbum accedat ad elementum fide tamen omnia confici. Sed leve sit tam Augustini testimonium quam nostrum, nisi verbo Dei clare idem habeatur. Prima Petri cap. tertio, sic scriptum est: Cuius figuram referens baptismus nos quoque nunc salvos reddit, non depositio sordium carnis, sed conscientiae bonae responsio ad Deum per resurrectionem Iesu Christi. Vides hic primum baptismum pro fide accipi: nam ea sola nos salvos reddit. Nec mirum hoc est aut inusitatum apostolis, ut scilicet signum pro signato accipiant: Paulus enim cum crebro id faciat, apertissime tamen in Romanorum epistola secundo. Quod et Petrus ipse continuo adiunctis sequentibus verbis idem manifestum facit: Non dispositio sordium carnis, inquiens; quibus aperte liquet, baptismum nos non salvos reddere, quatenus corporis superficiem sordesque abluit; sed quatenus conscientia nostra sibi probe respondet et constat, quum sese exeutit, quomodo ad Deum habeat; ac vitae in Christo certa est, quoniam ipse ex mortuis resurrexit. Quid multis opus est? Caput hoc esto: Sola gratia Dei nos salvos fieri; id autem, cum ea fidimus. Ocius ergo cum tua ista in gratiam dei contumeliosa opinione facesse, qua sacramentis adseverasti admissa deleri, non alia ratione, oportere. Et quandoquidem hactenus palam sic docuisti, non citra iniuriam filii Dei: per eum te oro, ut resipiscas, mentem ab errore revoces, et in obsequium Dei mancipes, ita ut nullius verbum apud te tantum valere sinas, quantum Dei. Quod si feceris, iam novus homo fies et, quod prius ex hominum somniis constanter adseruisti, damnabis; cadentque de oculis tuis squamae, quibus ablatis verum propius constantiusque intuebere; cuius faciem si recte contemplatus eris, pudebit superioris audaciae, qua tam gloriose absque verbi Dei autoritate non modo istum, sed et multos alios errores adfirmasti. Reddetur et animus tuus paulo humanior ac moderatior, ne more quorundam quotidie nova excites incendia: nunc haereticos, quod Dei verbo nituntur, nunc vero eosdem indicta causa trucidandos, vociferans. Quorum furorem et fremitum dominus aliquando dissipabit. Quin potius hoc age: si quando audias quod a sententia tua abhorreat, contine paulisper iudicium, ac interim verbum Dei consule, neque id in lacunis, sed in ipso fonte et scaturigine, simulque ora, ut qui te liberaliter ad hauriendum invitavit, donet, ut coelestem aquam, hoc est, scientiam pure haurias. Hic mihi haud dubie aliter pronuntiabis, quam quum carnem et sanguinem consuluisti: omnis enim caro foenum. Quod si contra in contumelioso errore contumaciter perstiteris, gratiam Dei conculcando, et carnis et sanguinis audaces opiniones adseverando: erimus et nos in te confutando constantes; neque solum te, sed et alios quosdam indoctos doctorculos, quibus plus aequo hactenus indulsimus, non alia, quam propter arrogantem illorum stultitiam, causa. Te vero fama tantum, tametsi vicina, notum, quum tanto fastu turgere negent, amice primum convenire placuit, ut si per Dei gratiam liceat, fratrem lucrifaciam; in nullum alium usum, quam ut Dei verbo posthac fideliter

haereat, hominis laqueum remittat; quo deinde veram Dei gloriam contemplatus miseris mortalium conscientiis non alia cataplasmata oblinet, quam quae ex coelestis medici apotheca sint deprompta. Faxit Deus optimus maximus. Amen. Boni consule amicam hanc expostulationem nostram, serius per occupationes missam atque statueramus.

Vale! Ex Tiguro 20. die Octobris Anno 1524. Huldrichus Zuinglius ex animo tuus, si tu Christi potius esse velis quam hominis.

XX.

BUCERUS ZUINGLIO.

Gratia et pax a Deo patre et domino nostro Iesu Christo. Gratias ago caritati tuae, qui tam sedulo praemonendos nostros curaris quam quum forte serius praemonueris. Erat namque definitum, ut emitteretur adversarius [1] data cautione solita, et ut in nos posthac nihil scribat non admissum per censores senatorios. Desperaverat de praesidio Helvetiorum, causamque eius agebant monachi apud senatum imperialem *Esslingae*. Testatus est, se noluisse infamare neque senatum neque populum, quorum dignitati ac nomini hodie nihil derogaret: scilicet neque nos ulla mala nota inurere; doctrinam tantum nostram damnare, quia damnata illa esset a conciliis, Papa et Caesare, quibus cum oporteret esse dicto audientem, non licere sibi verbis quicquam nobiscum agere; scripto, si quiescere non possemus, debere, quae contra nos edidit, impugnari; ipsum non esse defuturum causae suae. Cum itaque pertinaciter negaret, vel coram senatu solo et notariis excipientibus, quae dicerentur utrinque, nos errorum, quos impegerat, convincere, emissus est. Non enim sunt animis *ἐν τῇ βουλῇ* omnes adeo immotis, ut ad recantationem publicam ausi fuissent compellere. Et ex plebe saniores satis dixerunt confusum adversarium, qui nulla ratione potuerit adduci, ut ullo pacto haereseos, cuius insimularat, coram argueret. Interim satis tranquille egimus. Senatus nuper idola quaedam, nempe, quae in peculiari veneratione habebantur, submovit in primo templo; mox qui ad meam ecclesiam pertinent omnia submoverunt, nisi quod in parietibus nondum sint oblitae imagines (quod tamen brevi curabunt), et in primo altari dimissa antiqua serpentis aenei et Christi passi imagine. Neque enim eo adhuc promovit noster populus, ut tanta cum autoritate et tranquillitate undique tollerentur omnia. Antichristus magnam etiam adhuc turbam habet et Antichristi praedicatores a nupero tumultu primum clamandi contra veritatem finem fecerunt. Spero exemplum *Waldshutia-*

---

1) *Conradus Traegerus*, Provincialis ordinis Augustinorum, praedicatores Argentoratenses ad disputationem provocaverat, ac theses in eam promulgaverat. Ut praedicatores declararunt, ipsos paratos contra disputare cum Scriptura, sese subtraxit disputationi hoc praetextu usus, ad hoc permissionem episcopi requiri, iudicesque idoneos deesse: nam coram talibus nonnisi se disputaturum esse, ea denique conditione, ut rogus iuxta succendatur victaeque partes comburantur. Buceri relatio et refutatio centum paradoxorum Traegeri. 20. Oct. 1524.

norum multis additurum animum.[1] Mihi etiam miraculi vice est. De quibus enim conclamatum putabatur, ii incruenta victoria potiuntur. Vere exaltavit humiles dominus. Episcopus noster pertaesus fortasse, regnum Christi videre vires cottidie sumere, ditionis *Moguntinae* factus est praefectus, malens illic servire sine Christo, quam hic regnare cum Christo. In quem aiunt mox atque in provinciam venit, coepisse saevire, noctu quodam illius apostolo in *Rhenum* abiecto. Sed potest falsum esse, quod audivimus. Sententiae tuae de arcendis pseudoprophetis subscribo, quanquam aveo nihilominus legere, quibus scripturae locis eam certo niti censeas. Alterum nuper obortum nobis dubium est, scilicet homo, qui concilium petebat, evangelici concilii capax non erat, eoque dimissus a nobis fuit. Casus autem erat: Duxerat uxorem, quae antea patrui sui uxor fuerat, persuasus pecuniola aliqua impetrare posse se, id ut sibi liceret. Tale connubium quidam nullo pacto admittendum nostrum aliqui censebant, eo quod lege domini Lev. XVIII. vetitum arbitrantur. Alii putabant, caritatem hic posse dispensare, tanquam de externa re; potissimum autem si ita privatis consuli queat, ut non magis ecclesia offenderetur, quam illi aedificarentur. Si enim ignorantia divinae legis convenissent, iamque haberent liberos: cur non permitti deberent in eiusmodi connubio, in quali S. Patres placuisse domino negari non queat. Vetari eodem loci congressum cum sorore uxoris, ipsa vivente, et tamen Iacob duas sorores habuit uxores; Abraham etiam suam sororem. Iam non minorem esse christianis libertatem post legem, quam fuerit illis ante legem. Modo caritatis, quae publicum privato commodo praefert, ratio non negligatur. Postremo non liquere, an ducere coniugem, quae ante patruo nupsisset, sit revelare turpitudinem eius, ipso mortuo, cum etiam vetatur fratris uxor, scilicet tantum ipso vivente. Ut etiam a nobis quieti tuae negotium fiat, quaeso scribas, quid etiam hic Tibi Dominus revelaverit. Dominus Tibi spiritum suum largius ac largius impertiat. Salutant Te fratres, *Capito* ac reliqui. Saluta nobis *Leonem* tuum cum fratribus et coadiutoribus tuis reliquis. *Argentorati* prid. Cal. Nov. 1524.

M. Buccrus tuus.

XXI.

OECOLAMPADIUS AD ZUINGLIUM.

Gratia et pax a Deo. Fasciculum hunc literarum ex *Argentorato* miserunt fratres. Mihi vix effici posse videtur, ut conspirent in easdem ceremonias omnes ecclesiae, nisi comprovinciales quaedam: neque enim patietur infirmorum ratio et varietas. Profecto non absque singulari spiritus sancti operatione in illis dissidere mundum existimo: nam si per omnia in hunc usque diem easdem recepissent ecclesiae: quomodo salva posset libertas christianorum asseverari, quam alioqui Pseudapostoli τυραννικοτέρως impugnant. Nos qui supra modum hic frigemus,

[1]) Cfr. historicae explicationes ad *Zuinglii* scriptum: De D. Balthasaris libello baptismali.

et nullum adhuc in abolendis abusibus specimen exhibemus, non sumus idonei, qui de hac re consulamus; scripsi tamen de quibusdam mentem meam. *Carlstadius* libellis me non offendisset, si fratribus pepercisset. In his, quae ad eucharistiam attinet, quantum ipse capio, a nostra sententia nihil abest quam in dulcissimo colloquio referebam. Quod morosior est in ceremoniis non ferendis, non admodum probo. De baptismo parvulorum libellum nondum legi, nec excusum opinor, sed quantum ex aliis intelligo, prorsus tollendum censet, sed nondum subscribo. *Augustinus* adhuc retinet me in sententia sua, aliena fide quum datur sacramentum illis succurri, ne imputetur peccatum originale. De ea re ubi nactus fueris otium, pro gratia Tibi data vellem copiosius aliquid traderes. Ut se res habeant τοῦ ἀρχηγοῦ ex suis, opinor, accepisti. Excusat se *Farellus*, coactum se ad sacramentorum administrationem accessisse;[1] proinde mihi satisfecit. Si vobiscum patronus eius agit, per internuncium quae ad excusationem illius faciant, fac resciscat. *Lucernatium* epistolam ad ducem *Wirtembergensem* communicatam Tibi esse arbitror. Quid acerbius dici potuit? quid et infirmius?[2] Salva sit in Christo uxor tua, *Leo* quoque et *Myconius*. Vale optime et fortis in domino. Bas. 21. Nov.

Oecolampadius.

Schafflusium curabis *Sebastiano Maier* literas suas reddi.

XXII.

BLASIUS FARERUS

REVERENDO MAGISTRO HULDRICO ZUINGLIO, CONCIONATORI IN MONASTERIO MAGNO.

Gratiam, misericordiam et pacem a Deo patre et domino nostro Iesu Christo precor Tibi, Huldrice, frater omnium carissime in Christo. Omnipotenti Deo laudes et gratias defero propterea quod suum sanctum aeternumque verbum nobis miseris hominibus tam munifice palam facit, atque in dies suam almam aeternamque lucem in mediis tenebris educit, adeoque verbum suum per suos hostes ipsos maxime auget. Sed quo Tu, omnium carissime frater, de nostris actis, ad verbum Dei pertinentibus, certior fietes, accipe ea summatim! Haud ignorare Te non dubito, ut nos aestate suprema convocati fuerimus, tumque nonnulli de consilio terrae nostrae honorabili delecti, qui nobis rogationem et adhortationem popularium sollicitam referrent, nempe desiderare et poscere eos ut verbum Dei apud ipsos uno consensu praedicetur, omnibus humanis commentis et additamentis repurgatum, ut discordia et secessio caveatur nihilque aliud proferatur, nisi quod sacris scripturis V. et N. Testamenti obtineri queat etc. haec omnia Tu prorsus rescivisti. Ve-

---

[1]) Farellus clericus non fuit. [2]) Lucerna nimirum scripsit 8. Nov. ad Ducem, ut duos haereticos Lutheranos, quos Monte Belicardi concionari sinebat, removeret; sin secus, se manu sua ipsum esse destituturos. (Hott. Hist. Confoeder. I, 227.)

runtamen haec sub sacerdotibus papalibus non profecerunt, sed a tergo ministros Dei observare perrexerunt, eosque inimice, imo fictis criminibus insimulare, unde discordia passim inter imperitos oriebatur; sed omni ex parte falsitatis comperti sunt. At vero tantum dolis effecerunt, ut episcopus Abbati,[1] Abbas popularibus scriberet, ac *Mauritium Militum*, *Vattvillanum*, necnon *Io. Doering*, pastorem *Hembergae* et me nomine episcopi graviter accusaret de quatuor articulis. Capitulum etiam sustinuit, si populares concessissent, nos una cum verbo Dei opprimere. In hoc frequens concilium convocatur ad eumque ipsum diem capitulum indicitur; qua de causa, facile est augurium. Verumtamen capitulum putabat, hos articulos haud posse a nobis dilui; tunc nos iis traditum iri, id quod certis nuntiis rescivimus. Honorabili consilio igitur in diem Iovis post omnium Sanctorum convocato, nos quoque arcessimur. Iam exorditur *Io. Gigerus*, praefectus, brevi relatione, quam ob causam nos citati simus; deinde scriba urbanus Abbatis literas recitat, per quas criminatus est primo, nos eos esse, qui nullas literas ab sua Clementia missas proclamarent; deinde recusarent dare poenales; tertio non obtemperarent capitulo nec ritus eius servarent. Ista non passurum episcopum, utpote eius potestati damnosa. Porro queritur capitulum multum detrimentum veterum consuetudinum et morum. Ab his accusationibus Episcopi nos hunc in modum defendimus: Honorabile Consilium probe notum habere, ut nos postrema aestate cuncti convocati iussique simus, unum aeternum verbi Dei tradere; quod nos religiosissime pro gratia Dei fecisse, ita ut cuivis rationem reddere verboque Dei comprobare possimus. Nec vero nobis persuaderi posse, divinitus nobis aliquid aliud muneris mandatum esse praeter verbum suum in ecclesia perorandum, minime vero, ut inopes urgeamus praesertim de causis excommunicatione non dignis. Nam haec imperia episcopi in episcopi procuratorem, apparitores iudiciaque forensia cadere, quorum esset ea exequi. In poenalibus postulandis nihil nos ei debere officii: nostra enim sententia pauperibus tantum illudi; quemadmodum census ab iis, sic a nobis exigi poenales intentandas pauperibus. Quod autem ad capitulum attineat, nos omni ex parte secundum eorum iussa et praecepta verbum Dei suscipere. Ceterum nos non capitulo tantum, sed etiam tenuissimo fratri Christi subiectos et obedientes esse velle, quatenus Dei gloria nostraque conscientia nihil laedatur; sin secus, nos nemini, ne potentissimo quidem, morem gesturos esse, sed soli Deo eiusque verbo. Capitulum denique in conventu bene cognovisse nonnullas res, quas agere soleant, parum divinas; nunquam autem eam

---

[1]) Abbas, *Franciscus*, Sangalli nuntiat Episcopo Constantiensi mense Octobri: ipsum quatuor sacerdotes *Kirchbergae*, *Watwylae*, *Hembergae* et *ad Lapidem* constitutos apud Praefectum postulasse quatuorque articulos, de quibus rationem redderent, proposuisse; retulisse praefectum: Kirchbergensem et Wattwilensem solos apparuisse atque appellasse Consilium patrium, quocum consultare tumque responsum dare vellent; iam ipsum in eo esse, ut hos quatuor sacerdotes apud consilium postulet, responsumque exactum relaturum.

verbo Dei sic defendisse, ut iussi fuerint. In hoc rursus nobis, ut antea, veritas gnaviter commendatur, et capituli querelis respondetur: omnia secundum verbum Dei moderentur; non placere exactiones et excommunicationes. Nobis quoque in superiores articulos haec praescripta: Ne ullas literas proclamemus sive episcopales sive papales, praeterquam de causis matrimonialibus agentes. Poenales autem si episcopus amplius requirat, remittamus eum ad ius loci, ubi quisque habitet. Capitulum quoque nos malae obedientiae convincat; id autem fiat cum verbo Dei, non contra. Ita Deus vicit eiusque verbum denuo. Iam audi porro, frater dilecte, ut impii quietem agere nequeant. Nunc Suitenses superbis grandiloquisque tabellis invehuntur, in quibus conantur omnes interimere veritatis amantes, quamvis Deum sperem suos ministros corroboraturum victoriaque mactaturum. Ut autem rem, quae tua quoque refert, prorsus compertam habeas, in qua tui fratres cum omnibus amicis et popularibus multum desudant atque in eo erant, ut continuo epistolis comitati a Communi in Wildenhaus ad te pergerent, nisi hoc in praesens dissuasum esset (Tibi quoque et iis cives in Wildenhaus aliique plures corpus, existimationem, opes addixerunt, si qua ingrueret necessitas: res enim omnem expostulat contentionem): evenit, ut in diem S. Catharinae consilium nostrae terrae haberetur, ad quod legati venerunt a Suitia de hereditaria lite, viri duo mihi quidem ignoti. Inter prandendum hi duo Suitenses de Te loqui coeperunt: Magistrum *Huldricum Zuinglium* esse furem et haereticum, idque *Henricus Steigerus*, publicus scriba, excipiens altercationem cum iis nectere. Quod *Georgius* Bruckmannus, tuae matris frater, ex parte ut audivit, suspicatus, de magistro *Huldrico* agi, de altera mensa exsurgere, vehementique cum iracundia in eos irruere, totumque convivium sequi, grandem conflictum timentes; quod omnino accidisset, nisi interventum esset. Tum poscere Georgius, ut ei propter ista verba ius stipulentur: nam se talem ignominiam praetermittere non posse; magistrum Huldricum esse virum honestum. Sic tumultus extitit ingens, iis negotio se subtrahere conantibus. Attamen verbis cohibiti sunt extemploque praefectus consilium coëgit in plateam, ubi *Georgio* suaserunt, ut minimae litis gratia haec verba faceret ad eos: quoniam ii sint, qui magistrum Huldricum pro fure et haeretico crimninentur, ipsum contendere: Magistrum Huldricum tam probum et pium esse, quam utrumvis eorum; et nisi dicta retractent, ipsos huius furfuris, et mendacii reos. Tunc rogarunt, ut harum vocum memoria servaretur. Responsum, id omnino factum iri; modo item ipsi facerent. Ex his domum festinarunt. Deinde Sabbato ante Nicolai praetor et senatus Suitensis tam truces misere tabellas, quam hic videbis exscriptas, quibus nihil insolentius. Hac de causa cito serium convocabitur concilium. Propterea, frater carissime, ego Te etiam atque etiam rogatum volebam, necnon Tui fratres et populares, quoniam res magnam curam expostulat adeoque magni discriminis esse videtur, propere per hunc nuntium ad concilium patrium scribas, qua ratione putaveris utilissimum esse, quo imbecilli confirmentur ac tua quoque mens in eo negotio cognoscatur, quippe quum populares haec res admodum sollicitos habeat. Nam ego quoque cogito, graviter

iis veritatem proponere et cohortari, ut ne minis ac terroribus abigere se ab ea patiantur; nec dubito de successu. Qua de causa precare Deum una cum omnibus fidelibus, ut suam gratiam nobis largiatur, ut secundum voluntatem suam vivere possimus. Dei spiritus nobis cunctis adsit! A me saluta Mag. Leonem eiusque diaconum. Salutem Tibi per me nuntiant inprimis tui fratres et propinqui, necnon omnes mecum operantes in vineto Domini.

Scribebam ad Lapidem festinanter die Veneris post Concept. Mariae 1524.

Blasius Farer ad mandatum germanorum tuorum.

22.

Blasius Farer dem Ehrw. Mstr. Huldrichen Zwingli

Predikant zu Zürich im Grossen Münster.

Gnad, Barmherzigkeit und Friede von Gott dem Vater und unserm Herren Iesu Christo wünsch ich dir, Huldreich, allerliebster Bruder in Christo. Ich sag dem allmächtigen Gott Lob und Dank, dass er sein heiliges ewiges Wort uns armen Menschen so gnädiglich öffnet, und für und für sein heiliges ewiges Liecht in Mitte der Finsterniss lasst aufgehen, auch sein Wort durch seine eigenen Feinde allermeist äufnet. Damit aber du, allerliebser Bruder, unserer Händel, das Wort Gottes betreffend, berichtet werdest, so vernimm solches im allerkürzesten. Dir ist wohl zu wissen, darin ich nicht zweifle, wie man uns in vergangenem Sommer zusammen berufen hat; und also da etliche von einem Ehrb. Landrath verordnet, uns das ernstliche Bitt und Ermahnung der Landleute zu eröffnen: Nemlich dass ihr Begehren und Willen wäre, dass das Wort Gottes einhelliglich bey ihnen gepredigt würde, ohne allen menschlichen Tand und Zusatz, damit Zwietracht, Uneinigkeit vermieden würde, und nichts anderes fürgehen, denn was wir mit biblischer Schrift des alten und neuen Testaments bewähren möchten etc. Das alles bist du wohl bericht. Noch hat solches unter den päpstlichen Pfaffen nicht mögen helfen, sondern sind sie allweg hinter den Dienern Gottes fürtichen, und sie unbrüderlich ja fälschlich verklagt; daraus Zwietracht allweg unter den Unverständigen entsprungen ist. Doch sind sie allweg an der Unwahrheit erfunden. Noch haben sie so viel listen können, dass der Bischof dem Abbt, der Abbt den Landleuten geschrieben hat und Mauritium Militum, von Wattweil, auch Ioh. Döring, Bischof ab dem Hemberg und mich, in des Bischofs Nahmen hoch verklagt um 4 Artikel; auch unterstunden sich das Capitel, wo ihnen die Landleute Gestand hätten gegeben, uns mit saint dem Gottswort unterzudrucken. Auf solches ward ein trefflicher Landrath berufen, und gleich auf denselben Tag auch das Capitel gestimmt; aus was Ursach mag mancher wohl merken. Doch vermeint das Capitel, wir möchten solche Artikel nicht verantworten; denn so würde man uns ihnen an die Hand geben. Dessen wurden wir gewiss berichtet. Da nun ein Ehrs. Landrath auf Donnerstag nach Allerheiligen Tag berufen war, man uns auch beschicken.

Demnach hub Hans Giger, Landvogt, an mit kurzer Rede, warum man uns beschickt hätte, und las uns der Stadtschreiber die Abbts Missive, in welcher er uns zum ersten anklagt, wir wärens, die keine Briefe, von Sr. Gnaden geschickt, verkünden wollten. Demnach erwiderten wir uns, penales zu geben. Zum 3ten wollten wir dem Capitel nicht gehorsam seyn, und ihren Bräuchen nicht nachgehen. Das möchte Sr. Gnaden nicht erleiden, würde auch seinem Bisthum einen Abgang bringen. Demnach erklagt sich das Capitel viel Abgangs alter loblichen Gewohnheiten und Bräuchen. Auf solche Anklagen des Bischofs liessen wir reden: einem Ehrb. Landrath wäre wohl zu wissen, wie sie uns in vergangnem Sommer alle zusammen beschickt und befohlen uns, das einig ewig Wort Gottes zu verkünden. Das hätten wir zum treulichsten nach der Gnade Gottes gethan, das wir, welcher sie begehrte, beweisen wollten mit dem Wort Gottes. Auch könnten wir nicht berichtet werden, dass uns auch von Gott etwas anderes befohlen wäre, unsers Amtes halb, denn sein Wort in der Kirche zu verkünden und die Armen nicht dringen, besonders um Sachen Bannes nicht würdig. Denn diese Erforderung des Bischofs gehörte Ammann und Waibeln, auch Gericht zu, welchen solches auszurichten befohlen wäre etc. Auf Erforderung der Penales wüssten wir ihm nichts schuldig seyn: denn uns wollte dunken, es wäre allein auf die Armen gespielt. So wie solche Gült geben, müssten wir auch Penales, wie vor, von Armen erfordern. Des Capitels halben nehmen wir allweg ihr Geheiss und Empfehl des Gottesworts an die Hand. Anders wollten wir nicht allein dem Capitel, sondern dem allermindesten Bruder Christi unterworfen und gehorsam seyn, sofern nicht Gottes Ehre und unser Gewissen geletzt wurde. Wo aber solches, würden wir Niemand, ja auch dem Gewaltigsten nicht gehorsam seyn, sondern allein Gott und seinem Wort. Auch hätte das Capitel in der Versammlung wohl gehört, etliche Händel, die sie brauchten, nicht göttlich seyn; dass aber sie mit Gottswort noch nie versprochen hätten, wie ihnen befohlen ward. Auf solches ward uns abermals, wie vor, die Wahrheit ernstlich befohlen, auch dem Kapitel auf ihre Klage geantwortet: sie sollten alle Dinge mit Gottswort handeln: denn sie wöllten des Plagens und Bannens nichts. Auch ward uns auf die vorgemeldten Artikel diese Antwort: Wir sollten keinerlei Briefe verkünden, es wäre von Bischöfen oder Päpsten, es treffe dann eheliche Sachen an. Auf Erforderung der Penales, spreche uns der Bischof weiter an, möchten wir ihm das Recht vorschlagen, wo ein jeder wohnhaft wäre. Auch das Kapitel möchte uns der Ungehorsame beweisen, doch solches mit Gottswort und demselben nicht wider. Also gesieget Gott und sein Wort abermals. Nun höre weiter, lieber Bruder, wie die Gottlosen nicht Ruhe haben. Jetzt fahren die Schweizer her mit einer stolzen hochprächtigen Missiv, in welcher sie alle Liebhaber der Wahrheit unterstehen zu vertilgen. Doch hoffe ich aber zu Gott, er werde seine Diener stärken und ihnen Sieg verleihen. Damit aber du der Sache, so dich auch antrifft, gänzlich berichtet werdest, in welcher sich deine Brüder, auch alle Freunde und Landleute sehr bemühen, auch auf dem Weg strak

mit zugegebenen Briefen von einer Gemeinde zum Wildenhaus zu dir wollten, wo ihnen jetzzumahl solches nicht widerrathen wäre. Auch haben dir und ihnen die Landleute zum Wildenhaus, auch andere mehr, Leib, Ehr und Gut zugesagt, wo es Noth treffe. Denn die Sache will mit Ernst gehandelt werden. Es hat sich begeben, dass um St. Katharinen Tag ein Landrath gehalten; ist allda für den geschickt eine Bothschaft von Schweiz, von eines Erbfalls wegen, nemlich 2 Mann, mir doch unbekannt. Als man nun im Morgenessen ist gsyn, haben die 2 von Schweiz geredet: Mr. Ulrich Zwingli sey ein Dieb und Ketzer; dess hat sich Heinrich Steiger, Stadtschreiber, angenommen, und mit Worten in Uneinigkeit mit ihnen kommen. Dies hat nun Iörg Bruggmann, deiner Mutter Bruder, zum Theil gehört und gedacht: es trifft ohne Zweifel Mstr. Ulrichen; und aufgewütscht an dem andern Tisch in grossem Zorn gegen ihnen drungen und der ganze Tisch ihm nach: denn sie besorgten grosse Uneinigkeit, als auch beschehen, wo man nicht dazwischen gelaufen wäre. Demnach begehrte Iörg, dass sie ihm um solche Worte das Recht vertrösten: denn er möchte solche Schmach nicht leiden; Mstr. Ulrich wär ein Bidermann, und ward ein grosser Auflauf: denn sie meinten solchem zu entreiten. Doch behub man sie mit Worten, und besammelt Landvogt eilends einen Rath auf der Gasse, und ward also Iörgen gerathen, um des mindesten Unfriedens wegen, er sollte zu ihnen sagen: dieweil sie die wären, so Mr. Ulrich einen Dieben und Ketzer gescholten hätten, redete er: Mr. Ulrich wäre als gut und fromm, als ihr jedweder, und wo sie sich nicht entschlügen, müssten sie solche seyn und diesere Worte erlogen haben. Also hatten sie gebeten, man sollte deren Worten eingedenk seyn. Ward ihnen geantwortet: Sie wollten ihren wohl eingedenk seyn, sie sollten dergleichen thun; auf solches ritten sie wieder heim. Demnach auf Samstag vor Nicolai schickten ein Landammann und Rath zu Schweiz so ein trotzige Missive, wie du derselben Abschrift hie siehst, die doch hochprächtiger nicht seyn könnte. Auf welche bald eilends ein ernstlicher Landrath berufen wird. Darum, allerliebster Bruder, wär meine ernstliche Bitte, auch deiner leiblichen Brüder und Landleute: dieweil die Sache grossen Ernst erfordert, ja auch grosse Gefährlichkeit darauf steht, du wollest eilends bey diesem Boten einem ehrsamen Landrath schreiben, als denn du meinst allernützlichst seyn, damit die Schwachen gestärkt werden, und man auch deine Meinung in solchem Handel verstehe; dieweil sich die Landleut in der Sache sehr bemühend. Dann ich auch Willens bin, ernstlich die Wahrheit ihnen vorzuhalten und zu ermahnen, das sie sich davon nicht lassen dräuen noch dringen; dess ich auch nicht zweifle, es geschehe. Hierum bitte Gott mit samt allen Gläubigen, dass er uns seine Gnade verleihe, damit wir nach seinem göttlichen Willen leben. Amen. Der Geist Gottes sey mit uns allen. Grüsse mir Mr. Löwen und seinen Mithelfer. Dich lassen auch insonders grüssen deine Brüder und Freunde, auch alle so mit mir arbeiten in dem Weingarten Gottes. Geben zum Stein, eilends auf Freit. nach Concept. Mariae 1524.

Blasius Farer ad mandatum germanorum tuorum.

XXIII.

RALTH. PACIMONTANUS HULDRICO ZUINGLIO FRATRI SUO IN CHRISTO CHARISSIMO.

Salus et gratia. Habet ad te, quod enarret, vir iste in verbo Dei impendio cordatus, et tibi non ignotus. Idcirco patienter audias eum. Ceterum scribe mihi propter Deum de baptismate. Et si quid peccaverim in te et *Leonem*, clam delictum est; condonate. Vale ac *Leonem* saluta. Ex nidulo nostro *Waldshut*.

Tuus *Baldazar*.

Margaretha Leonis respondeat ad petita.

XXIV.

CAPITO ZUINGLIO.

Gratia tecum fidelissime vir Dei. Literas tuas ternas primus legi, sed cursim et per capita tantum, quod interpellandis machinis papistarum et sacerdotum acerrima contentione obnitendum fuerat, sicut obnixus sum obfirmatissime. Publica collegiorum trium bona clam exportarunt urbe. Senatus non omnis amat successum, sicut nobis apparet et res ipsa arguit. Idcirco vix tandem bene cursitando id confeci, ut residuis iam fugituris moram iniicerem. Heri enim fidem dederunt, se non hinc abituros, nisi bona omnia huc reportarint. Neque tamen serio fugam meditantur. Industriam ad movendos opifices intendunt, qui victum diurnum ab ipsis quaeritant; nostrum vero consilium ad pacem conservandam prorsus spectat. De prioribus binis tuis *Bucerus* respondit, qui in tuam sententiam manibus ac pedibus concedit, pridem autem addictior fuit sententiae *Lutheranae*, quam ego hominem acutum ac diligentem putavi semper magis pronuntiasse tempori quam veritati.[1] Tam diligenter semovit adorationem τῆς εὐχαριστίας, etiamsi in reiiciendo *Wiclefo* satis multus videatur. Atque haud scio, an corpus essentiale pani postremis scriptis incluserit, quae domi meae necdum habeo, neque si haberem legere vacaret, ad abitum succincto *Cratandro*, cui has ad te dedi. Quod vero ex nervo scripturarum super gradibus prohibitis definiisti, mirum quam arrideat, quamquam prosit hic nostris, caritati committis iudicium. Inter carnem nostram et alienam discriminas, affirmas honestatem publicam, ceu gnomonem obiecta diluis, perspicua brevitate, planeque circumspecte, ut publicis auribus offerenda censeam. Atque uxorem patrui ducere nefas est, a patruo inquam vivo repudiatam. Nam de adultera ducenda, deque praemortui patrui praeclare scriptura est. Super baptismo parvulorum accuratius meditabimur. Hic suboriuntur, qui negent, sed ex inerudita plebe, permoti opinor ex quibusdam libellis, quos necdum videre contigit. Ad novitatem enim vulgus nimium propendet. Concordi pede tecum studebimus

---

[1]) Hac in sententia cernitur tota *Buceri* sedulitas, qua concordiam impetrare moliebatur.

ambulare, cuius fidem et cautionem diligentem pernovimus. Contendebant quidam, non decere christianum magistratum verbi corruptores arcere, moti, si non fallor, ex literis aut verbis *Osiandri*. [1] Cui errori obstabam pro viribus, quod ex animo doleret miseram plebem dilaniandam lupis sic negligi. Scripturis nitebar; tu composuisti inter nos. Nolo ab hominibus pendeant; at contendo tuam hic opinionem illustrare, quod sciam te ab illius spiritu et scripturis pendere. Consensio magnas res conficit, adeoque studemus continere animos ducum verbi, atque in hoc communibus literis *Luthero* scripsimus. [2] Subtimide et reverenter tamen et velut per insinuationem cohortamur, sepositis prioribus, quae nunc dominus velit revelare orbi, expenderet ad scripturam. Privatis equidem literis ad *Pomeranum*, et liberioribus quidem, quod illius placiditatem pernorim, affirmavi, tuam istic ecclesiam proxime ad scripturam loqui et sentire, posthabita difficillima opinione totius, ut nunc est, christianitatis, neque argumenta *Wiclefi* mihi displicere; quibus autem rationibus tu populum eo perduxeris, ignorare me etc. Brevi nuntium recipiemus. Si quid scitu dignum asportabit, curabo, ut scias. De his hactenus. Iam postremis respondebo. Atque utinam tam possem, quantum cupio, Duci inservire, sed hoc tempore diminutae sum autoritatis et existimationis ob imposturam *Io. Iacobi*. Quod partum est et nominis et opinionis, pene concidit huius vanitate magis quam scelere, nisi scelerose frigida mendacia asseverasset. Imminent hinc inimici et acriores et plures, quibus nihil praeter occasio, quominus noceant, deest. Amici dexteritate mea in rebus perspiciendis minus fidunt, eoque frigidius assistunt periculose dimicanti cum adversariis. Qui quidem casus in hoc prodest, quod nostri magis ad Christum propendere discant; verum operam nostram Duci [3] inutilem reddit, tametsi re nostra integra nihil minus videatur sperandum, propterea quod aliquid aeris publici *Francisco de Siccingen* concreditum, nec dum redditum sit, neque reddendum speretur, et quod plurimum in munitiones et propugnacula quotidie insumatur, grandisque summa cuidam reipublicae promissa sit, brevi mutuo numeranda. Quid, quod eiusmodi a conscia plebe impetranda sint, fama mox proderet consilia, instrueret adversarios alioqui tale quiddam olfacientes. Cur igitur certissimum hoc periculum ob incertam planeque desperatam spem obiremus? Voco autem plebem selectos illos ducentum et quinquaginta viros, qui in eiusmodi causis, una cum senatu consultant, quorum aliquos esse futiles consentaneum est. Imo nihil committitur, nisi quod mox publicum esse debet. Ceterum, quo studio, quanto animo, qua fide, meliores huius urbis illi nostro fausta omnia precentur, nescio vel meditata oratione prosequi, quale contra odium in illius ditionis occupatores; [4] quod ille amicus credatur, hi vero devotissimi hostes evangelii renati. Neque dubitant quidam, principem optimum in cursu adiuvandum, quem adhuc haerentem in carceribus ne monere quidem audeant. At vide, mi frater, ne quid pio studio pecce-

---

[1] Theologi *Norinbergenses*. [2] Cfr. *Plank*, hist. Protest. System. Vol. I. 221. sqq. [3] Hoc spectat Ducem Wirtembergae, *Huldricum*. [4] *Ferdinandus* rex, qui *Wirtembergam* expugnaverat.

mus. Permagnum est negotium et planum periculo, spes dubia, occasio belli conficiendi praeceps, adversarii exercitati et omnibus rebus instructissimi. Fortunae gentes belli summam tribuunt, nos a spiritu domini edocti voluntati divinae, quae revera et certissima serie cuncta moderatur. Sed nobis certo constare nequit, nisi scripturis et illarum spiritu, quae nos alterius spiritus esse iusserit, quam Helias fuerit, qui toties ignem coelestem hostibus incutit, imo ministris regis sui, quando nos ne inimicos quidem impune odisse poterimus. Dominus me toties ab humanis praesidiis detraxit, ut animo nunc tremam, quoties eiusmodi quiddam cogito; quamvis una perpendo, eundem esse Deum, qui olim, eundem spiritum, eandem domini voluntatem, qui Davides, Iosias et Iehu quoque excitavit ad nominis sui defensionem. *Daniel Mag* ad 12. Ian. magistratu abibit, sufficietur illi *Nic. Knybsius*, eiusdem fidei et aequalis industriae, qui peius dolet Curtisanis, et priore fortassis plura poterit pro tuendo verbo praestare: nam est animi sedatissimi perinde atque constantissimi, ut hominem reipublicae gubernandae natum diceres. *Mart. Herlin* reliquas imperii civitates in officio pio continebit, vir sane animo maximo, cui nobilis quidam *Egolfus* cognomine *Redderer* adiunctus est, fide et animo pari, sed minore eloquentia. Hos in consilium partim adhibui tanquam certissimos amicos, qui putant facile confici posse pecuniam a privatis; verum equidem qua sit ratione conficienda non video. Quo quisque enim ditior est, hoc et cautior, ne quid imprudentia de summa decidat; adeoque nihil exponit mutuo, nisi ad usuram censuum, et obligato peius pignore. Tanta cautio est Mammonis iniqui. Duci non scribo, tu tamen illi operam meam polliceris, quatenus piam ipse Christo praestare perseverat, qua pietate sibi infinitam multitudinem assumpsit. Novam subodoror tragoediam. Terra huius viciniae censibus est oppressa. Scripsit autem *Iac. Strauss*,[1] homo vehemens, citra culpam neminem pendere posse. Ad finem tamen acerbitatem libelli condulcat, ita tamen, ut videatur velle inhaerere hucusque assertae sententiae. *Misina* et *Turingia* ab eo homine commota fertur. Si quando otium est, vel per capita sententiam tuam et consilium perscribas, qui nobis es omnibus perquam observabilis. Responde, an singulis Dominicis, dum conventus agantur, coena Domini recolenda videatur. Nos hactenus quidem observavimus. Omnia festa abolevimus, et tantum aguntur conventus diebus Dominicis; me tamen ridiculus scrupus habet: quonam pacto dies vulgo distinguet? numerare ordine difficile, et perlongum est scribere et loqui: Die Iovis quartae Dominicae mensis Decembris, des Christmonats etc. Rescribe aliquando, et ride inutilem meam curiositatem, qui vereor tam levi occasione reditura festa propemodum antiquata. Confratres omnes nostro omnium nomine saluta, et nos adiuva precibus. Pridie Cal. Ian. anni 1525 mox sequentis.

Wolfgangus Capito.

---

[1]) Confer. *Zuinglii* scriptum de libello D. Straussii.

MDXXV.

I.

ZUINGLIUS AD FOEDERUM RHAETIAE COMMUNITATEM.

Gratiam et pacem a Deo ante omnia expetimus votis, fortes, graves, prudentes, honorabiles, sapientes, clementes, gratiosi, dilecti Domini atque in Deo fratres! Non solum eorum, quos ipse ad fidem perduxit, S. Paulus curam gessit, sed omnium ecclesiarum, i. e. omnium fidelium, ne qua infidia, dissensio vel abalienatio inter discipulos Dei irreperet. Quam ob causam spero etiam me non dedecere ad Vos scribere, partim quod comperi, ut Vos verum, invictum verbum Dei receperitis atque in compluribus locis praedicari permittatis;[1] partim quod ego quoque ex episcopatu Curiensi sum oriundus. Itaque Vestram sapientiam conspicuam Dei gratia exoratam velim, ut ne literas meas idcireo despiciatis, quia me hostes Dei ac veritatis praeter verum tam indecore flagitiosum hominem, haereticum, maleficum vocitant; qua in re vis et iniuria mihi infertur. Magnum me peccatorem esse haud infitior, sed haereseos me omnes mei hostes frustra convincere tentaverint vel maleficii accusare. Quamquam opprobria tam rabida placido cum animo perfero: nam Dominus noster Iesus Christus praedixit, fore, ut hoc eveniret, quemadmodum cum ipso sic actum est. Atqui discipulus non est supra magistrum. Nil ergo mirum, si mihi peccatori misero tam immodica mendacia importentur. Sed vero haec ideo tantum scribebam, ut ne mendacibus maledictis Vos induci patiamini ad literas meas candidas repudiandas. Vos, tergeminorum Foederum viri, omnibus partibus inde a pueris mihi praecipue dilecti et commendati eratis, utut parvo Vobis emolumento; id quod multis modis comprobare possem Vestratium testimoniis, qui peregre mecum versati nunc apud vos bona fama utuntur honestoque sunt loco, me cognitum habentes, licet Vestrae sapientiae sim ignotus. Iam nunc Vestrae sapientiae scribebam nullam aliam ob causam, nisi propter evangelium filii Dei, quo negotio Deus me quotidie exercet per multum laborem, curam, sollicitudinem, insidias et obstacula; attamen pervincit semper dominus dominorum, cui sit laus et gloria. Hoc igitur nunc reputandum propono Vestrae sapientiae, quod ea probe viderit, ut Papae violentia verbum divinum occluserit, suppresserit et obscuraverit, ita ut veritate nos prohiberemur, eiusque loco inanem speciem obiecerit, per quam non solum temporariis bonis, quae indulgentiis, praebendis, coenobiis ecclesiarumque insumsimus splendori s[illegible]erbo, sed metus est, animabus nostris fraudati simus; idque nunc ut cum maxime, veritate in medium adlata, multis autem Papae doctrina adeo praestrictis, ut evangelio nolint obtemperare,

---

[1]) Iam 1520 scripsit *Martinus Seger* cum aliis satyras in hostes Lutheri. Anno 1521 reformatio in *Flaesch*, *Malans* inchoabatur, seminaque eius mox n omnes tractus Rhaetiae differebantur. (Wirz, Kirchhofer.)

quibus multo plus metuo quam iis, qui non cognitam habent veritatem, arbitrans, nemini fas esse eiusmodi homines iudicare, permittendos misericordiae Dei. Vestra profecto sapientia videt, quo modo se habeat Papatus, et vicissim quam plane veritas ubique procedat, ita ut totus Papatus nihil contra possit, sed ad vim et contumeliam, necnon ad mendacia et corruptelas pecuniarias sese convertat; ex quo timendum, ubi magistratus eos, qui verbum Dei publice tradunt, non tutentur, attamen in hoc solum, ut suae doctrinae e verbo Dei rationem reddant, ut non Deus suam gratiam denuo subtrahat atque in veteres errores recidere patiatur. Quod si fieret, facile unusquisque aestimaverit, quanta noxa in totum orbem Christianum et corporis et animi redundatura esset. Ergo cum constet, etiam apud vos esse nonnullos, qui sanctum fallique nescium verbum Dei probe et religiose doceant, ut praesertim honestus, perquam eruditus ac fidei plenus *Ioannes Comander*, vernaculo nomine *Dorfmann*, doctor urbis nobilis *Curiae*, [1] mihi ab ineunte aetate et morum integritate et studiorum assiduitate multum spectatus, aliique multi, quorum nomina longum esset percensere (Deus corroboret eos ad omne bonum): Vestra sapientia admoveat manum, ut iis contra verbum Dei nulla ex parte vis inferatur, neque Vos ullius cura sollicitet, si quis fortasse aliquarum rerum adhuc imperitior laedi sese aut abduci opinetur! Nam si tandem homines veritatem didicerint, ea laetabuntur; et quod primo horrendum duxerint, postea ridebunt; quemadmodum noster dominus amatissimus Iesus Christus dixit: „Quod apud homines est sublime, id apud Deum est abominandum.“ Inspicite ergo verbum Dei in N. et V. Testamenti voluminibus sacris, atque ab eo nequaquam Vos abigere sinite! Nam Deus nos mendacio fallere, suumque verbum decipere nequit; homines autem decipere possunt, utcunque praecelsi, utcunque numerosi. Considerate salutem et pacem nostrarum conscientiarum, quas in solo Dei verbo acquiescere licet, neque committite, ut iis unquam hoc evellatur et Papae avarum, fallax, captiosum verbum rursus inculcetur! Nam sicut vates Amosus: Quum leo, inquit, rugit, ecquis non formidet eum? ita, si Deus verbum suum instructum producit: quis non auscultet et obsequatur? Deus suum aperit verbum non citra gravem molestiam et muletam eorum, qui aures praebere nolent; magno autem eorum commodo cum externo tum interno, qui obtemperent. Cuius rei monimentum est horrifica eversio Hierosolymae propterea quod verbum, id est filium Dei non exceperunt, contrariumque urbis Ninives exemplum, quae ad verbum Dei quum sese reformaret, incolumis manebat. Quare pii, graves, sapientes, dilecti Domini! nolite Vos induci ab iis, qui clandestini falsis criminibus contra Dei verbum, contra praecones eius et contra homines ei parentes et obtemperantes irritant, turbasque concitant! Diabolus haud aliter agere solet: cum veritate potest pollétque nihil; idcirco ad sua arma confugit, quae

---

[1]) *Ioannes Dorfmann* s. *Comander* e *valle Rhenana*, 1523 ab senatu Curiae pastor ad S. Martini creatus hunc locum tenuit ad mortem usque 1557. Zuinglii et Vadiani amicus commercium litterarum cum utroque habuit. Per eum 1526 reformatio colloquio in Ilanz habito defensa victrix evasit.

sunt mendacia, turbae, confusiones. Quamquam veri cultores ab hostibus fere falsi insimulentur: manifesto tamen, qui verbum Dei amplectuntur, sese tam probos praestant hostesque contra nihil efficiunt, ut infantes cernant, qui turbulenti sint, qui pacis Christiano more auctores. Quemadmodum hodie quoque meis Dominis Tiguri evenit, qui apud vos deferuntur, quasi seditionibus agitentur, externa auxilia ambiant, ius negligant, maleficia impune dimittant, aequa foedera et pacta conventa non suscipiant, quae tamen omnia commenta et praeter veritatem dicta sunt. Nam pro pace atque in Dei gloriam hinc inde intolerabilia sustinuerunt, ut nisi usque discidium praecaverent, haec talia toleranda non fuissent. Quare nolite vos adversus probos Tigurinos ullo modo incitari aut exasperari, sed confidite in antiqua nobili christiana civitate, fore, ut porro integre, sanete, honeste, christiane agat. Nolite quidquam decernere in quemquam, priusquam audieritis partem utramque; ac Deus non destituet suos. Considerate tandem, etiamsi Tigurum non ita integre et probe ageret, nullam tamen omnium urbem in orbe terrarum vobis magis opportunam esse ad omne vestrum commodum et emolumentum, vestramque utilitatem variis modis tantopere auxisse, quam Deo volente adhuc honestorum Rhaetorum permulti probe recordabuntur. Accipite has meas literas in optimam partem, et si quid Vestrae Sapientiae inservire possum, mandato, imperato, quandoquidem bene consultum volens et Tigurinis et Rhaetis, tam bene inter se congruentibus, si cum Deo gratiaque usquam occurrere possum, non committam, ut falsis delationibus ab se invicem alienentur. Deus, qui apud vos exorsus est infringere Papatum atque in sui introducere cognitionem, is dirigat et confirmet vos, ut nos omnes laeti novissima die in iudicium eius comparere audeamus. Amen. Tiguri XIV. Ianuarii 1525.

Vestrae Sapientiae nobilis
promtus et fidelis cultor Huldrichus Zuinglius,
praeco evangelii Christi mei Domini.

1.

Zwinglis Sendschreiben an gemeine drey Bünde in Rhätien.

Gnad und Fried von Gott bevor, Strengen, festen, fürsichtigen, ehrsamen, weisen, gnädigen, günstigen, lieben Herren und in Gott Mitbrüder. Es hat der hl. Paulus nicht allein für die er zum Glauben gebracht, Sorg gehabt, sunder auch für alle Kirchen, das ist, für alle Gläubigen, dass kein Unglaub, Missverstand oder Verärgernuss unter die Jünger Gottes käm. Aus welcher Ursach ich hoff mir auch nicht ungebürlich seyn zu Euch zu schreiben, zu eim Theil, dass ich vernommen hab, wie Ihr das wahrhaft unüberwindlich Wort Gottes angenommen und an der mertheil Orten frey predigen lassind; zum andern, dass ich auch aus Churer-Bisthum bürtig bin. Und will also Euer ehrsam Weisheit um Gottes willen gebeten haben, Ihr wöllind mein Schreiben nicht darum verachten, dass mich die Feind Gottes und der Wahrheit, ohne die Wahrheit, so unerbarlich einen Buben,

Ketzer und Schelmen scheltend: denn hierin mir Gewalt und Unrecht beschicht. Einen grossen Sünder bekenne ich mich wohl, aber einen Ketzer werdend mich alle meine Feind nicht mögen machen noch schelmen. Wiewohl ich solch ungezäm Zureden mit fröhlichem Gemüth trag, denn unser Herr Iesus Christus hat uns vorgesagt, es werde also zugan. Es ist ihm selbst also gethan, und ist der lünger nicht über den Meister; darum kein Wunder ist, ob mir armen Sünder ungemäss Lüg zugemessen werdend. Aber dies schreib ich allein darum, dass Ihr die lügenhaftigen Reden Euch nicht verärgern lassind, dass Ihr dadurch mein wahrhaft Schreiben verschupfind. Ihr sind mir, von den dreyen Bünden, allweg auch von meinen kindlichen Tagen har sehr geliebt und empfohlen gewesen; wiewohl Euch das klein nutzen mag, als ich aber wohl in viel Weg zu bezeugen wüsste mit den Euren, die an der Fremde mir Beywohnung gethan, und jetzt bey Euch wohl verwänt und gehalten sind, denen ich auch bekannt, ob ich gleich Eu. Weisheit unerkannt bin. Nun schrieb ich zu Eu. Weisheit in keinem andern Handel, weder des Evangelii des Sohns Gottes, in dem mich Gott täglich braucht mit vil grosser Arbeit, Angst, Sorg, Aufsatz und Widerstand; doch überwindt allweg der, der Herr über alle Herren ist. Ihm sey Lob und Ehr. Und bring jetzt diese Meinung an Eu. Weisheit, dass die wohl sehen mag, wie des Papstes Gewalt das göttlich Wort eingethan, gewaltiget und verdunklet hat, uns die Wahrheit verhalten ist, und an dero Statt ein öder Schein dargestellt, welcher nicht allein uns um die zeitlichen Güter, so wir an Ablass, Pfründen, Klöster, Kirchenhoffahrt geben habend, sunder als zu besorgen ist, auch um unser Seelen gebracht hat; und das insunderheit jetzt, so die Wahrheit am Tag ligt, und aber viel von des Papsts Lehr verblendt, ihro nicht gehörig seyn wellend, deren ich gar viel wirsch sorg weder deren, die die Wahrheit nicht erkennet habend, von denen ich mein niemand geziemen zu urteilen, sunder sey der Barmherzigkeit Gottes zu lassen. Ia Eu. Weisheit sieht, wie das Papsttum steht, und sieht aber dagegen, wie sich die Wahrheit allenthalben so steif und fest aufthut, dass das ganze Papsttum darwider nichts vermag, sunder sich zu Gewalt und Bochen, auch Lügen und Vermieten kehrt, als man wohl weisst; aber den allerringsten dero, die jezt eine lange Zeit gelehrt habend, noch nie mit Kraft des göttlichen Worts überwunden hat. Desshalb zu besorgen ist, wo die Oberkeit die, so das Gottswort predigend, vor päpstischem Gewalt nicht fristind, doch allein zu Rechnung ihrer Lehr aus dem Gottswort zu geben, dass Gott seine Gnad wiedrum entziehen und in die alten Irrungen fallen werde lassen. Wo aber das beschehen söllte, mag ein jeder wohl ermessen, was grossen Nachtheils der ganzen Christenwelt an Leib und Seel erwachsen würd, auch mit wie viel Gefahr es beschehen müsste. So nun gewiss ist, dass auch unter euch etlich sind, die das heilig unbetrogen Gottswort treulich und ernstlich predigend, als insunderheit der ehrsam, wohlgelehrt und voll Glaubens Ioannes Comander genannt Dorfmann, Lehrer der löbl. Stadt Chur, der mir von seinen jungen Tagen in viel Zucht und Fleisses wohl erkannt ist und andre viel, dero Nah-

nen zu lang wäre zu erzählen (Gott befeste sie in allem Guten!): so lege Eu. ehrsam Weisheit Hand an, dass denen wider das göttlich Wort keinen Weg Gewalt beschehe, und lasse sich hierin niemand bedauren, ob einer vielleicht in etlichen Dingen noch unbericht, sich meint verletzt oder verführet werden. Dann so man die Wahrheit zuletzt erlernet, wird man dero sehr froh und fröhlich, und das man zum ersten grausam geschätzt hat wird man nachhin lachen: denn als unser lieber Herr Iesus Christus spricht Luk. XVI, 15: das die Menschen hoch dunkt, das ist bey Gott ein Grüwen. Und worin man euer Lehrer verklagt, darum besehend das göttlich Wort N. und A. T. biblischer Bücher, und lassend euch demnach keinen Weg nicht darvon dringen. Denn Gott mag uns nicht lügen, noch sein Wort uns fehlen; aber der Mensch mag uns fehlen er sey wie hoch er wolle, ihro seyind wie viel sie wöllind. Sehend an das Heil und Frieden unserer Conscienzen, die allein in Gottes Wort Ruh finden mögend, und lassend euch das aus den Händen nümmen reissen und des Papstes geitig, betrogen, verführisch Wort widrum darein geben. Denn als der Prophet Amos spricht: So ein Löw brüllt, wer will ihn nicht fürchten? also auch so Gott sein Wort harfür rüstet und stellt, wer will nicht losen und folgen? Gott öffnet sein Wort nicht ohne treffenliche Beschwerd und Straf dero, die es nicht hören wollend, und nicht ohne grossen Nutzen Leibs und der Seel dero, die ihm folgend; das bezeugt das jämmerlich Umkehren Hierusalems, darum dass sie das Wort, d. i. den Sun Gottes nicht habend angenommen, und harwiedrum die Stadt Ninive, die sich an Gottes Wort gekehrt, aufrecht blieben ist. Hierum frommen, festen, weisen etc. lieben Herren und in Gott Brüder, lassend euch die nicht verführen, die mit heimlichen falschen Lügen wider das Gottswort, wider die es predigend und wider die ihm folgend und gehörig sind, verhetzen und verwirren. Der Teufel thut ihm nicht anderst: er mag noch kann mit der Wahrheit nichts; darum behilft er sich seiner Waffen; sind Lügen, Verwirren und Zerrütten. Wiewohl die Feind der Wahrheit allweg die der Wahrheit anhangend, der Unwahrheit scheltend, ist doch offenbar, dass die sich des Gottsworts annehmend, so redlich sich darstellend und die Feind nichts vermögend, dass Kinder sehen mögend, welche Aufrührer oder christenlich Frieder sind. Als auch jetzt meinen Herren von Zürich beschicht, die vor euch vertragen werdend, wie sie aufrührig seyind, fremde Hilf suchind; Recht nicht halten, noch Uebelthaten strafen wellind, gute Verträg und friedsame Verkommnussen nicht annehmen; das doch alles erdacht, und ohn Grund der Wahrheit fürgegeben wird. Dann sie um Friedens und um der Ehr Gottes willen ein zeither so untragliche Ding geduldet habend, dass wo sie nicht für und für vor Zerrüttung sich fleissend zu seyn, solches nicht hätte mögen erlitten werden. Darum lassend euch wider die Frommen von Zürich keinen Weg verkehren oder verbittern, sunder versehend euch zu der alten lobl. christl. Stadt, wie sie von je Welten her ist kommen, auch fürohin werde aufrecht, göttlich, ehrlich, christlich handlen. Erkennend nichts über jemand, ehe ihr beid Theil verhört habend; und Gott wird die seinen nicht verlassen. Be-

denkend auch, dass obgleich Zürich so aufrecht und redlich nicht handlete, dass dennoch kein Stadt in der ganzen Welt euch gelegner zu allem eurem Nutz und Frommen ist und denselben vielfaltiglich gefördert, als ob Gott will noch meng redlicher Bundsmann wohl wissen mag. Vernehmend dies mein Schreiben im allerbesten, und worin ich Ue. Weisheit gedienen kann, schaffe sie und gebiete! Dann ich guter Meinung Zürich und Bünd, die einandren so wohl anstand, wo ich mit Gott und Glimpf ienen wehren kann, nicht möchte sehen mit falschem Darthun gegeneinandern verueinigt werden. Der Gott, der in euch hat angehebt das Papsttum brechen und euch in sein Erkanntnuss einführen, der leit und feste euch, dass wir alle fröhlich an dem letzten Gericht vor ihm dörfind erscheinen. Amen. Geben Zürich 14 Tag Ianuarii 1525.

Ue. ehrsamen Weisheit williger und getreuer Huldrich Zwingli, Verkünder des Evangelii Christi meines Herren.

II.

IOANNES OECOLAMPADIUS HULD. ZUINGLIO S.

Gratiam et pacem a Domino! Frater dilecte, heri Baldassar Valdshudanus de baptismo parvulorum mentem suam mihi aperuit, quam et tibi ut fratri communicandam existimo. Arguit: Quis instituit baptismum? Christus. Ubi? Matthaei ultimo. Quibus verbis? Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti. Recte quidem. Cur ergo baptizamus parvulos? Baptismus signum nudum est; quid tantopere digladiamur pro signo? Signum certe est, et symbolum praegnantibus et augustissimis verbis a Christo institutum: scilicet, in nomine patris et filii et spiritus sancti. Qui autem signum extenuat et eo abutitur, verbis Christi ad signum institutis iniurium infert. Quamvis significatum illius signi, symbolique obstrictio, qua quis se obstringat Deo in mortem usque fidei causa, sub spe resurrectionis ad vitam futuram, diligentius expendenda sit, quam signum. Sed haec significantia nequit convenire parvulis: ideo baptismus parvulorum est hedera absque vino. Obligatio fit in baptismate, quod hodie testatur symbolum Apostolicum, et renunciatio quae satanae fit, et omnibus pompis usque in aquam, id est, mortem. Obligatio in coena Domini fit proximo, qua obstringo me ponere pro eo corpus et sanguinem, sicuti Christus fecit mihi. Et sic habemus legem et prophetas. Unde arbitror nunquam esse recte consultum in Christianismo, nisi in suam nativam puritatem revocetur baptismus et coena dominica. Haec ille. Illi sic respondendum opinor, ut tu monuisti per literas: non esse praeceptum, ut scrupulose inquiramus de fide; sed ut accurate adultos doceamus, moneamus ac cohortemur. At verba Christi sunt, quae arguant illum non religiose formam illam praescripsisse, ut aliis verbis non liceat uti; modo ne quis sacrosanctae trinitatis fidem non explodat. Nam et

*) XVII. Ianuarii scriptum esse apparet ex eo, quod Oecolampadius acceptam heri a *Balth. Hubmeyer* epistolam memorat XVI. Ian. datam.

apostoli in nomine Christi simpliciter baptisarunt: nisi forte, quod non videtur, aliter baptisarint et Lucas hoc posuerit ad discrimen baptismi Ioannis. Neque vero hoc dixerim, quod forma verborum displiceat, aut quod aliam introductam velim; sed hoc unum arguerim, ne quam superstitionem in verbis collocemus. Sufficit enim coram Deo, nos esse novam creaturam: coram ecclesia vero, nos esse certo et sancto symbolo in album fidelium conscriptos. Neque Christus iniuriam sibi existimabit; quandoquidem per tempus infantiae ac pueritiae in potestate parentum sunt, et sanguis illorum requiritur de parentibus. Igitur cum illi fideles fuerint et fide iusserint, cur existimaretur iniuria Deo fieri? Porro ubi adoleverint pueri et contumaces fuerint parentibus, maledicentes illis: Quare me circumcidisti? aut similibus, lex iubet occidi Levit. XXI. Nos eos lapidibus scripturae profligamus, et habentes coenae dominicae symbolum dignoscemus, num ratam velint promissionem. Proinde non miror, veteres tam gravem poenitentiam iniunxisse parentibus, quorum incuria pueri perirent. Significantiam satius opinor assequi, quam de ea posse disserere. Pueris autem spiritum Dei assecutis, ut plane mihi persuadeo, significantia non deest: mundi enim sunt, et in filios Dei ac regni ex filiis irae translati. Nam parentes benedicuntur in mille millia, si fideles fuerint. Et credo, Abrahae fidem omni innocuae posteritati suae usque ad Christum profuisse. Denique femellis in lege absque signo profuit parentum fides. Vale in Domino.

III.

ZUINGLIUS VADIANO.

Gratia et pax a Domino. Non sinunt doctissime carissimeque *Vadiane* pro siti desiderioque suo currere stilum occupationes. Unde per capita singula notabo. Libellus noster contra *Emserum*[1] a *Leone* traductus est. Excudetur inter hebdomades tres; bene traductum arbitror: nam locis aliquot obscurioribus me consuluit. Editus est et alius libellus „de Seditiosis," sed germanice, quem docti per epistolas sic commendant, ut me ipsorum pigeat: nihil enim usquam utilius prodiisse stolidi adseverant. Durius adpello: nam quis tandem est, qui haec, quae illic tractamus, non videat perpetuo ante oculos fuisse versata? Sed hoc fortasse pretium apud illos auget, quod mordax hoc verum: omnes malunus ab aliis cum periculo dici, quam a nobis. Sunt hi plane in secundo Hesiodi gradu; sed tunc ad primum accedent, quum ea, quae vident vere dici, student opere implere, obstare vitiis, virtutes serere. Is libellus, quandoquidem nimirum iam ad vos adpulit, nunc non mittitur. Edidit senatus noster farraginem quandam rerum iam longo tempore gestarum.[2] Eam itidem mittit vel socer, vel amicorum aliquis.

---

[1]) Antibolon. [2]) Argumentum aliquot negotiorum, ut partim re vera evenerint, partim conficta, Consule et Senatu civitatis Tigurinae Confoederatis suis expositum excusationis causa ac defensionis. Haec scriptura V. Ianuarii prodiit in publicum. (Voegelini tabulae annales.)

Ego exemplaria prorsus nulla habeo amplius. Respondi ego ad furibundorum istorum Helvetiorum obiectiones aliquot,[1] qui mox ut legerunt sic saeviunt, ut omnes Cerberos, Euripos, Diomedes et quidquid unquam furiosum, superare videantur: nam illi ratione aliqua furunt modoque, hic modus nullus est, sed fertur barbaries. *Sebastianus Abtzeller*[2] delatus est apud Abbatissam, quasi fraude egerit, neque tantis opibus polleat, quantis diximus; qua tamen re non usque adeo video reddi anxiam, quam quod mutata sententia nunc vult *Tiguri* manere, cum antea id sedulo negaverit. Auget suspicionem, quod nunc perhibet, se negotiatiunculam suam posse adprobe curare, si *Tiguri* maneat, antea vero id strenue negavit; vereturque dolum subesse atque ad hoc iam est intenta, quod si brevi non transmigret ad suos, et sibi et cognatae illusum esse putabit. Tuum erit, haec omnia celare, sed hac lege ut *Sebastianus* ad vos transmigret. Facile istud apud parentem verisimilibus quibusdam efficies; nam praestat, Dominam observavisse, quam taedio adfecisse. Quae ipsa mecum contulit de hac re, ut iam capis, ea lege contulit, ut nemo sciat praeter nos ambos. Salvos iube omnes fratres; mone insuper, ne de non baptizandis infantibus tragoedias excitent. Nam nos hesterna die, qua ad obiectionem eorum respondimus, sic de Baptismo disseruimus, ut, qui aequis animis adfuerunt, adserant, necessarium esse, ut mundus hanc sententiam de Baptismo audiat.[3] Certum est, sic disseruisse, quomodo hactenus neminem viderimus. Sed Dominus iudicabit. Senatus super hoc decretum factum est: Omnes liberos suos intra octiduum baptizanto, qui tincti non sunt, aut ex urbe imperioque toto migranto. Perstat *C. Grebelius*, et pauci alii, hi nullius momenti. Vale, servetque Te Dominus incolumem cum uxore et liberis. *Wirtembergensem* Principem, ut nuper feci, commendo. *Caesarem* facilius est non habere vicinum, quam eum, quem possis superare. Ex *Tiguro* 19. Ian. 1525.

Huldrichus Zuinglius tuus.

Cura perpetuo, quae Iesu Christi sunt.

IV.

Petrus Finer ad Zuinglium

e Basilea post Invocavit 1526. med. Februario sic nuntiat: Mei Domini Basileae pandunt omnia coenobia et reddunt unicuique asportandum, quod intulit.

V.

CHRISTOPHORUS GRILL (GEILL) ZUINGLIO.

Quod te amo, suavissime vir, iubet singularis tua erga me benignitas. Quis enim non amplectatur, suoque id merito, qui immerentem tam

---

1) Cum scriptura modo indicata senatus ad *Cantones* dimisit Zuinglii scripta: Quinam sint, qui seditionum causam et materiam praebeant, ac de baptismi testibus, quibus criminationes sui falsitatis coarguit. (Ibid.)
2) Cf. Ep. XII. 1521. 3) In publica disputatione cum Catabaptistis.

uberibus beneficiis esset prosecutus? Sed tua modestia ea est, quae nec laudi maximae ducit, quodcunque benefecerit, nec ego ita magnificum fecero (quamquam tibi istud debeo), si hanc tamen ob gratiam solum te plurimum fuero admiratus. Sunt pietas et morum suavitas quae praeter inaffectatam conditionem te omnibus maximopere commendant. Quomodocunque tamen illa habent, non contineo me quin Tibi gratias agam, qui in rebus meis tam studiosus promotor fueris. Atque id quod tum agebatur, Senatus et reipublicae et aliorum commodo mihi permitti, non recuso. Si aliquo id pacto fieri non potest, nihil est plane cur ego desiderem, quod equidem mihi sum conscius, mea non sic amo ut aliqua posthabere haud placeat pro meo commodo. Quod vero quum *Tiguri* discederem, *Basilcae* expectaturum esse aliquandiu, tibi . . . . illegibile non, ut spero, te male habebit, si certiorem te facio, me apud *Andream Cratandrum* divertisse, ad quem, si voles, quod referet mea significare, literas dederis. Salutavi tuo nomine *Oecolampadium*; quum vero literas ad eum nullas haberem, nolui hunc diutius molestare. Sed nil aeque doluit, quam quod *Leonem* tuum Basileae non repererim: is enim pridie quam ego adveni abierat. Id postridie per *Oecolampadium* rescivi. Quod restat, *Leonem* saluta de me multum notus. Utrique me plurimum debere sedulo polliceor, quod tu curaveris, ille promoverit me. Neuter est vero qui de me plurimum meritus non sit. Si per negotia tibi licet et grave non est, de rebus meis ad me perscribito. Vale. *Basil.* pridie Id. Martias.

T. *Christophorus Grill (Geil?) Wiesbadiensis.*

Christophoro [1] medico vestrati literas reddes, quae tuis sunt adiunctae.

VI.

ZUINGLIUS AD IODOCUM HESCHIUM.

Gratia et pax a Domino. Non erat opus, optime vir, ut anxie deprecareris culpam, quae culpa non est, iam altera vice: priore per *Franciscum* nostrum; altera per praesentium latorem. Hoc enim habet Christianorum amicitia fratrum dissimile mundi filiorum amicitiae, ut cum hi in gratiam redeunt, cunctanter se sibi mutuo credant; illi vero, discussis omnibus simultatis nebulis, protinus in fratrum numerum recipiant, quos paulo ante hostes iudicaverant. Sic et nos mutuo faciamus. Quos unus atque idem spiritus in eandem gratiae fiduciam convocavit, idem sentiamus, alter alterius onus subeat. Quam equidem conditionem sic tecum subiturus sum, ut nulla sit unquam aetas de perfidia nostra querimoniam ullam habitura. Pollicere igitur de nobis non uti de reconciliato hoste; sed uti de fratre, quo cum nulla unquam offensio intercessit. Quae praesentium lator ad nos attulit, optime curata sunt. Verum, heus tu, senatus noster indubie maiorem fidem servaturus est, quam ullae possint literae; praesertim hoc rerum statu, quo si vel iota unum excideret, fieret tota Ilias. Ut ergo amicum ad nos

1) *Clauser.*

misisti, nullis munitum pignoribus, quod equidem pro maximo pignore puto (vis enim tibi fidem haberi, id quod purae plerunque conscientiae postulant): sic et nos eundem charissimum et fidelissimum fratrem nostrum ad te remittimus, qui ore ad os quid dicatur, omnia non modo referet, sed etiam aget tecum. Quod porro ad me attinet, ne nihil a nobis habeas, hoc meo chirographo me tibi sic adstringo, ut fratrem fratri decet, his etiam legibus, ut si mea parvitas tibi unquam vel hac vel alia in causa possit prodesse, illi sim nec otio nec negotio parciturus, modo deserta hypocrisi ad Deum fortem, vivum venias ad bibendum. Summa: omnia erunt tibi indubia, tuta et secura. Veruntamen omnia nostra referet, quem nunc complicata epistola audies. Plura non permittit epistola, nec planiora. Coram autem omnia et aperte. Vale, servetque te Dominus gloriae suae incolumem. Amen. Nihil fraudis subesse suspicator; aut fraude mecum agat Deus: id quod nequit fieri. Ex *Tiguro* VIII. Martii 1525.

Huldrichus Zuinglius, quantuluscumque est, tuus tamen totus.

VII.

ZUINGLIUS AD I. VADIANUM.

Gratia et pax a Deo. Legimus, carissime *Vadiane*, „Axiomata“ [1] vestra multa cum gratulatione, hac potissimum causa, quod rem christianam vobis recte exploratam esse manifestant. Pia sunt et docta, sed prelum tenebatur necessariis istis ad nundinas Frankfurd. Mitto tibi dono „Commentarium“ [2] nostrum, quem vix dicendis sudoribus tandem effectum dedimus, in quo multa longe aliter tractavimus, atque fuerit hactenus observatum a multis. Tu diligenter omnia expende. Nolumus enim veritati uspiam vis fiat. *Grebelius* apud nos est, ad factionem suam nusquam non trahens quoscunque potest, et Ministerium nostrum sic adcusans, et calumnians, ut si maxime tales essemus, quales ipse praedicat, minime tamen ipsum deceret usque adeo in bene meritum ingratum esse. Tu Te confirma, ne illius opinione abducaris: hoc enim peculiare habet, ut ista taceat, quae nos in medium adferimus, sua ogganniens. Proximus ab isto, quem nunc in manibus habemus, adversus *Uraniensem* quendam, [3] labor erit de baptismo, quem longe aliter tractabimus, quam ulli vel veteres vel neoterici tractaverint; quamvis non nos simus tractaturi, sed verbum ipsum, quod tamen aliter intellectum oportet, quam hactenus factum sit. Gustum autem eius rei facies in hoc Commentario nostro. Vide, ut exciderit, quod maxime volebam, nempe causam adiungere, cur liberato tandem prelo axiomata non sint excusa. Ea est: Interea didicimus, quod inter vos erat dissidium per senatum esse decisum. Quod si minus ad hunc modum habet, indica, et rem effectam dabimus. Vale et boni consule, quicquid scribimus! inter enim tot occupationes ac capitis dolores scribimus, ut nisi

---

1) „Axiomata“? 2) De vera et falsa religione. 3) *Valentinus Compar*, reip. ab actis.

videremus calamum incedere, ferme ignoraremus, quidnam fieret. Ex *Tiguro* pridie Cal. Apr. 1525.

Huldrichus Zuinglius ex animo Tuus.

Commentarius mendosius exiit; Tibi tamen satisfacere potest. Habes mendas post finem quasdam. Non relegi.

Epistola notha. [1]

ZUINGLIUS AD FRANCISCUM KOLBIUM.

Gratia et benedictio a Deo, nostro Domino. Francisce carissime! pedetentim ingredere negotium, et obiice primum urso unum modo acidum malum inter aliquot dulcia, deinde duo, porro tria; quumque vorare coeperit, obiice plus et plus malorum, acida, dulcia; tandem saccum prorsus effundens, mitia, dura, dulcia, acida, cruda. Sic omnia devorabit, obstinatus non committere, ut abigatur et prohibeatur. Turici, die Lunae ante Georgium. 1525.

Vester servus in Christo *Huldrichus Zuingli.*

---

1) Haec epistola extat apud *Salatum* et in *Tschudii* collectaneis. *Kirchhoferus* (in suo Berchtoldo Hallero, pag. 234—236) authentiam diluit his argumentis:

a. Non potest 1525 scripta esse, quo anno Kolbius non Bernae erat, sed Werthhemii praedicator.

b. Tschudius et Salatus tempus variant, quando in Comitiis de hac epistola expostulatum fuerit.

c. Diverse narratur, quo modo haec epistola prehensa sit. Una fama est: interceptam esse hanc epistolam atque in septem pagorum concilio Lucernae (quando, siletur) unum singulis legatorum exemplar traditum. Salatus autem nuntiat: Aliquando vir quidam honestus de quinque pagis Bernae versabatur inter multos homines bellos, qui sodalitatis causa coierant. Hi tunc epistolam parum arridentem sibi communicarunt legendam, suo praedicatori a Zuinglio scriptam.

d. Zuinglius eruditis suis amicis latine scribebat, non vernacule, non ut *servus*, sed ut *frater*, atque solemnis epigraphe sic habebat: Gratiam et *pacem* a Domino; vernaculis autem in litteris: *Fried*, non *Segen*. Metaphora ab urso desumta in epistolis ad Hallerum usus est omnino, sed urbanius aliquanto et lepidius. Ceterum hanc tritam figuram adhibebant ipsi Bernates et iocis et seriis.

Ad haec editor animadvertit primum: Salati nullam esse historicam fidem; deinde *Tschudii* Chronica per hoc spatium temporis maximam partem e collectaneis constare, et nominatim excerpta e Salato inesse, non indicato fonte. Hoc editor evicit in sua Apologia Secularium Reformationis. Turici 1820.

Ceterum fama, quam Salatus prodidit, coniecturam aliquam probabilem suggerit. Ex epistola Zuinglii ad Hallerum a Bernatibus simile aliquid fortasse homines quinque pagorum acceperunt. Inde epistola ficta, (cuius argumentum quoque abruptum τὴν νοθείαν olet) atque Kolbio Hallerus permutatus. Quam probabile hoc sit, elucet e Zuinglii epistola 29 Dec. 1521.

Ein mehr als wahrscheinlich unächter Brief.

Zwingli an Franz Kolb.

Heil und Segen von Gott unserm Herrn. Lieber *Franz*, gang allgmach in Handel und wirf dem Bären nur zuerst ein sure unter etlich süssen Birren für, darnach zwo, dann drey! Und wenn er anfacht in sich fressen, so wirf ihm mehr und mehr für, sur und süss untereinander, zuletzt so schütt den Sack gar uss, mild, härt, süss, sur und ruch: so frisst er alle uff und vermeint sich nit mehr darab jagen und vertriben zu lassen. Zürich, Montag vor Georgi 1525.

Uewer Diener in Christo *Huldrych Zwinglin.*

VIII.

HULD. ZUINGLIUS IOANNI OECOLAMPADIO MARCO BERZIO, PETRO FRAUENBERGIO, IACOBO IMELIO WOLFGANGO,[1] THOMAE,[2] IOANNI,[3] PIISSIMIS VERBI MINISTRIS APUD BASILEAM, FRATRIBUS IN DOMINO CHARISSIMIS

Gratia et pax a Domino. Tradiderunt gentilium quoque docti, o charissimi fratres, et in militia summi regis commilitones, concordia res parvas maximas fieri, contra vero discordia labi ac ruere. Quanto magis qui unius eiusdemque Dei ministri sumus, ex eius precatione, qua sic patrem obtestatus est: Oro ut hi unum sint, quemadmodum ego et tu unum sumus: colligere debemus, quod nihil aeque nobis fugiendum est atque dissensio, nihil sic adpetendum ut unanimitas et concordia. Solent quidam exempla postremo loco ponere, nos hic inter principia ordinamus. Constat urbis nostrae pax, Deo gratia, usque ad hanc diem tanta constantia, ut quae hactenus impulere procellae, frustra se extulerint; sed huiusce tranquillitatis causam an putatis minimam fuisse ministrorum verbi concordiam? Nulla inter nos porro est simultas, nulla dissensio, invidia nulla, rixae ac contentiones nullae, quae animorum consensio undenam proficisci potuit, quam a Deo optimo maximo? An non sumus homines? Pati ergo potuissemus quod quique patiuntur. Dei ergo munere factum est, ut nulla simultatis nebula, nedum discordiae hactenus surrexerit. Cupio igitur ut amice monentem audire non dedignemini, quem amicum soliti estis adpellare. Audax consilium capio vos admonendi, qui nos et eruditione et pietate multis modis antecellitis; sed vetat aequitas audaciam adpellari quod amicitia est, quod amor, quod ipsa pietas. Nota est nobis clarissima urbs, noti estis omnes vos: cogitari ergo nequit, me ulla alia ratione hoc quicquid est agere, quam pietatis, vestri, urbisque vestrae amore. Tentat et nos Satan miris modis, sed adeo facile vincitur ut in ipsa victoria liceat cognoscere tentationem esse, quo nos adortus fuerat; sed, ut di-

---

[1]) *Wyssenberg.* [2]) *Geyerfalk*, concionator apud Augustinos. [3]) *Lüthart* apud Discalceatos.

ximus, vincendi promptitudinem nulli quam pacis et unionis spiritui tribuimus. Sic et vos decet animatos esse. Tentamur autem nunc haud contemnenda tentatione, puta ipsius Eucharistiae discussione. Quae res plane non tantos tumultus dabit, quantos quidam sperant: si modo *συγχρητισμὸν* fecerimus, hoc est, in dimicatione consensum: quem quaedam infirma et imbellia alioqui animalia dum faciunt, crudelissimos hostes sic terrent, ut nihil ab eis mali patiantur. Anates sic se in cuneos stipant, ut haliaeeto omnem praedae spem adimant; sic boves, ursos, lupos innocuae oves a rapina prohibent. Caugnistam Numidarum regem aiunt duodecim filiis, moribundum, duodecim sagittas simul alligatas singulatim ad frangendum dedisse, tentavisseque omnes ex ordine rem, sed frustra. Tum patrem lorum abstulisse, singulisque singulas sagittas praecepisse ut frangerent, quas omnes dicto citius fregerunt. Ibi senex intulit: Sic vos eritis perpetuo invicti, si pacem unionemque servaveritis; quod si quisque sua perget sequi consilia, iam periistis, priusquam adesse quicquam mali senseritis. Si inquam ad hunc modum *συγχρητισμὸν* faciatis, nemo vobis nocere poterit. At dicet aliquis, quomodo consensum talem faciemus? an non consentimus? an non omnes idem verbum in manibus tenemus? Recte sane! idem ergo sentite et syncretismus iam compactus est. Quod si adhuc dissentiatis, nimirum non idem verbum habetis. Nam etsi omnes idem literae verbum habemus, non tamen eundem sensum sequimur; non ergo idem verbum internum, quod solus animorum cibus est, habemus. Quod si quis admittat, ut nemo negare potest: videmus enim multos eodem verbo niti; attamen dissentire: consequens ergo est, ut qui eodem verbo ad hunc modum digladiantur, eodem spiritu non ducantur. Quum ergo, inter fratres etiam, non parva sit hodie de Eucharistia dissensio, negari non potest quin alii alii quam divino spiritui aurem praebeant. Tentat enim nos gloriae cupido, pavor mortis, et Satan ipse, qui omnia in desperationem trahere cupit. Docemus enim partim ea quae gloriam parent, partim ea quae rem; quosdam vero cogit metus, stulta quaedam et a fide et a communi sensu abhorrentia profiteri; sed vos Christum non sic didicistis. Tale enim semper putavi esse ingenium doctrinae, quam Tiguri, Basileae, Argentorati proponimus, ut tranquillitatis et innocentiae studiosos reddat; sed eius innocentiae, quae ex fide procedit. Dum ergo ante omnia, quae in Deum est, fidem docetis, innocentiam autem quae ex fide nascitur: an non iam proram et puppim complexi estis? an non reliqua omnia ornamenta quaedam minime necessaria sunt? Nam si necessaria essent ad salutem, Christus ea inter prima clarissimis verbis docuisset. Sed rem ipsam nunc attingam. Certant alii, in Eucharistia corporalem Christi carnem edi, alii nullam carnem penitus adesse putant, postremi carnem spiritualem edi perhibent, sic tamen ut panis non tantum sit panis, sed simul etiam caro sit; aut cum panis edatur, caro simul edatur: non enim clare possum ista attingere, cum quorundam libellos non legerim. Videte nunc quid quamque sententiam dictet. Veritas dictat carnem non edi: caro enim non prodest quicquam. Nec est, ut susurrones quidam dicant, caro, id est, carnalis intellectus. Nam Christus hunc sermonem respondit Iudaeis de

corporea carne eius contendentibus, atque ipsorum degravationem levat. Quapropter clarum est, ipsum de corporea carne loqui, cum dicit: Caro non prodest quicquam; isti enim putabant hanc eis proponi. Fides nihil eget corporea manducatione. Nam si Christum edimus, id est, si Christo fidimus, non amplius esuriemus neque sitiemus: nihil ergo eiusmodi requirit fides, se ipsa contenta. Restat ergo, ut metus istas sententias de corporea carne tueri moneat. Est enim prodenda veritas, et hypocrisis in lucem trahenda. Vident quidam fidelium vulgum errori isti de corporea carne sic esse addictum, ut avelli posse desperent: hinc metus et desperatio obtinendi victoriam. Malunt ergo parcere cuticulae et veritati, quam errori in occursum prodire. Hinc simulatae istae voces: Pretiosum corpus Christi et nobilis iste sanguis eius nobis adimuntur; verba sanctissima et manifestissima nobis eripiuntur. Si iste Christi verborum sensus esset, Christus haud dubie clarius esset locutus. Quasi vero quisquam ignorare queat, ex sacerdotibus paucissimos unqnam fuisse, imo nullos, qui crederent corpoream carnem hic adesse; quasi quisquam ignoret quid sit hypocrisis, qui iam fidelis est. Ut spiritualis omnia iudicat, sic et vere fidelibus omnibus constat, neminem fidelem esse qui credat corpoream carnem hic edi. Eant nunc, et clamoribus omnia impleant quidam, quum ex fide sciamus quotquot fideles sumus, corpoream carnem ne edi quidem posse: ex sensibus vero nihil carnis percipiamus: is enim primus semper prodidit etiam indoctis fraudem. Quum autem sic dicunt quidam: Deus omnia potest facere, ergo potest ut simul panis sit et caro: quid quaeso prodest hoc portentosum figmentum verborum? Quasi vero Deus unquam fecerit, ut aqua simul esset aqua et ignis: aut ut leprosus, quales multos curavit, simul esset leprosus et mundus: aut aqua, quae in vinum conversa erat, simul maneret aqua. Sic isti dicunt spiritualem esse manducationem, et tamen corpus edi adfirmant: aut panem dicunt esse panem ac simul esse carnem; et has stultas opiniones ex timore natas tam audacibus clamoribus confirmant, ut si tam probe literis sacris firmarent, iam dudum vicissent. Obsecro igitur candidissimi fratres, ne in re tam aperta inter vos dissideatis! Vincet, vincet veritas, quae ubi tandem triumphaverit, eos qui obluctantur ludibrio omnium exponet. Nolite iurati esse in quorundam magistrorum verba; nullius vobis autoritas imponat. Ecce, ut interim aliquid rerum quae apud nos geruntur narrem! Tiguri omnes rem ipsam palam prolocuti sumus; fidelium vero nemo est offensus, sed et imbecilles quidam quotidiana doctrina confirmati sunt, nemo obstat quam impii. Sentit vobiscum nobilissima doctorum cohors, quae est Argentorati; sed ista nihil posse debent, potentissima omnium est veritas. Exploret ergo quisque vestrum fidem suam; haec iam scio discet frivola esse, quae hactenus de corporea carne loquaciter ogganivimus. Quid ergo causae erit, ut non omnes idem sentiamus? Audio susurrunculum quendam apud vos esse, qui mihi intus et in cute notus est; quem dicunt nescio quae dissidia seminare. Eum oro ut vitetis: non enim servit Deo, sed suo ventri, imo peni quoque. Permulta enim adulteria olim aut debacchatus est, aut saltem debacchatus esse videri voluit. Monebitis ergo tales, ut verbis parcant:

fide etenim nobis constare, quod alii clamoribus adserere conentur. Haec vobiscum optimi fratres coëgit me commentari tum pietas, tum amor: nonnihil enim rumoris ad nos venit, quiddam dissidioli apud vos pullulare, quod in herba utinam Dominus extinguat. Sed quid ago, quasi quenquam ex vobis tam procacem esse putem, ut cum Evangelii detrimento putem contumacem esse futurum? Habetis *Oecolampadium*, virum eruditione incomparabili, circumspicientia vero tali, ut si altera parte peccet, cunctatione potius quam praecipitatione istud faciat. Pietatem eius nihil praedico, ipsa se praedicat. Quanta enim pro Domino pertulit? quanta quotidie infractus perfert? Eum quum habeatis, non est ut quenquam metuatis vobis nocere posse. Unde quod veritatem esse videtis, ne reticete: sed tali moderamine, ne sues in vos conversae proscindant; hoc est, prudenter dispensate verbum, ut fructum inde sperare possitis, non excidium Evangelii. Boni consulite charissimi fratres hanc nostram admonitionem: infans est et ieiuna, sed bonis vobis scio non displicebit. Constantes estote, videbitis auxilium Domini super vos. Vincet veritas, velint nolint qui contra nituntur: atque ea utinam feliciter vincat, sed Domini voluntas fiat. Oremus pro nobis mutuo. Valete! Ex Tiguro, quinta die Aprilis 1525.

IX.

CHRISTOPHORUS SERTORIUS [1] ZUINGLIO.

" In Christo pacem et salutem. Binas ad Te, fratrem meum candidissimum, superioribus diebus tradidi literulas, quibus ut potui Tuis in me effusis munusculis gratum pro Tua munificentia ostendi me; sed et fraternam piamque abs Te illic, de quorundam capitum iam iam passim emergentium implicitis nodulis, petieram resolutionem; utpote Eucharistiae veritate, atque rei continentia, quo nonnihil inter Te *Lutherum*que discriminis adparet multis, de Baptismi usu, quo similiter per diametrum a Tua adsertione D. *Balthasar* aperte distat; denuo lapidem de imaginum statuarumque demolitione diversum abs Te atque *Carolostadio* agitari, plurimi suspicantur. Verum summis adeoque variis negotiorum Te agitatum procellis neutiquam dubitarim; unde non est, ut Tibi, clarissimo viro uspiam succenseam. Imo potius, quod Tuarum me lucubrationum participem reddidisti, mi *Huldrice*, commentarium de vera falsaque religione transmittens, laudem Deo, Tibi confratri unice gratiam habeo amplissimam. Et multis Tecum ut hoc agam, imo obtundam virum alioquin in rebus Christianis occupatissimum, non est scribendi locus aut tempus. Adeo et nos, quantumvis parvuli, creberrimis obruimur periculis; evangelii doctrinam, crucis verbum, nedum Ministri a Deo legati, sed et plebs infima hominis viam sulcantes, extremis viribus, at sinistris, simul iniquis armis [2] iam iam in unum, quo nescio Spiritu, coeuntes fovere, tueri, atque manu tenere passim satagunt. Audientes enim, atque scientes imo et in ceteris sentientes se ipsos, proavos, denique posteros gentili ritu, ac iudaica

---

1) Vid. Opp. I. 456. 2) De bello Rusticorum.

hypocrisi, praeter modum in dispendium et animae et rerum omnium delusos, extenuatos, onere ac iugo iniquo oppressos, et quasi in ventum misere datos, animo in ea servitute vivere omnino nolunt, onera Christiano indigna ferre renuunt, servire diis, ut est in proverbio, alienis respuunt, voce una omnes clamant, reclamant, sua potius quaerentes. Et ut est hominum genus, etiam pravum atque iniquum, Deo oportebat magis, quam homini obedire. Magistratibus item reclamantibus et Praepositis, Sanctissimo scil. praecellentissimis, atque ipsorum ducibus, hominibus scilicet Christum eiusque evangelium et manibus et pedibus impugnantibus, etiam in omnibus obtemperare debere. Iam tandem in anceps re pendente, nec evangelium, nec pietatem, nec aequitatem denique ullam prae se ferunt, sed feroci animo armis alterutri in sese digladiantur sanguinolentis. Hinc castra, monasteria, domosque exteras metentes, atque spoliantes, bona quaeque diripiunt: illinc pagos, villas ac viculos incendio perimunt; scilicet iustitiae praetextu vindicantes sese absque habenae ullo moderamine, atque mansuetudinis Spiritu. Porro apud nos nedum furor iste, haec mala. Saevit pari dente *Bavarum* dux impatiens, tumultuatur *Palatini* populus, inquietatur plebs *Wirtenbergae* misella. Denique, ut rumor est, tota *Franconia* commota quaeque apud se loca devastat, imo quod pessimum, civitatum dissensiones ac dissidia intestina exuberant, his huc, illucque aliis indiscriminatim prorumpentibus. Breviter, commixta confusaque sunt omnia. Hinc timor, dolor, moeror et tremor, angustiae ac tota tribulatio. Et si dies calamitatis et miseriae, dies apud impios tenebrarum et caliginis, dies Domini, succensa quasi caminus, ut clamare et ululare ipse quoque possim cum Propheta: Aspiciamus in terram, et ecce tenebrae, ululatus. At merito isthaec maioraque iuste patimur: peccavimus enim in fratrem nostrum, Deum et hominem iustum, Dei verbum, Christi Iesu Evangelium atque doctrinam sanam, sinistre impatienterque amplectentes. Restat, mi *Huldrice*, fusis e corde lachrymulis, apud Deum misericordiarum et totius consolationis patrem, indulgentiam quaeramus, ne simul cum Sodoma et Gomorra increduli pereamus omnes. His tecum, nacto otiolo, ludere placuit optime frater, ut vel nobiscum commiseratus mala, quibus sumus circumdati, ut parturientes, deplores cum Tua iam renata ecclesia, atque nos moestos, anxios, caecitatisque caligine percussos Tu, miles Christi strenue, ac minister fidelissime cum tuo *Leone* mansuetissimo, confratre nostro candido, aliquando et quidem ocyus literarum munimentis in Christo laetificares, consolareris, denique in vias Domini, scripturae luce, qua tactus es, errantes oves reduceres. Vale in Christo sanus, clarissime *Huldrice*, cum tua Ecclesia; tui *Christophori* adhuc certantis, atque in salutare suum vivum sperantis, eiusque precularum memor esto. Et Deum pro nobis ora. Cum per otium licuerit rescribito frater fratri. Certaminis simul et altercationis inter *Vadianum* nostrum atque nomine *Benedictum* divi Galli adhuc pastorem vacillantem, te inscium haud arbitror. Ubique incensa pugna. *Memmingae* altera Maii 1525.

Tuus confrater integerrimus *Christophorus Sertorius* s. g.

Tuum *Leonem* commilitonem confratrem nostrum carissimum salvum salutatumque in Deo nomine nostro dicas.

Inscriptio: Clarissimo Christi militi *Huldrico Zuinglio Tigurinorum* episcopo, fratri suo synceriter venerando.

X.

BERTOLDUS HALLERUS ZUINGLIO S.

Commendamus tibi, doctissime *Zuingli*, D. *Antonium Noll*[1] e Senatoribus nostris nuntium ad *Turgaevos*, epistolam vero vivam, qua omnia quae apud nos et acta sunt, et in diem aguntur, addisces. Ceterum libere poteris nuncupare libellos quotquot velis familiae *Madianae*.[2] Nomina et conditionem eorum ubi velis referet *Antonius*, cui omnia tuto credere poteris. Laboravit aliquando mirum in modum pro statuendo funesto hoc foedere *Gallico*. At nunc resipuit. Tu interim consulas, num post Matthaei evangelion apostolorum acta mihi praemanibus accipienda sint, an epistolae Paulinae. Postremo Tibi gratias ago, carissime *Huldrice*, pro libellis tuis iam saepius ad me datis. Dominus omnia refundat, qui per te omnia haec agit. Iam vale. *Bernae* 6. Maii 1525.

Tuus *Bertoldus Hallerus.*

XI.

SALANDRONIUS[3]

NOSTRO PIO PATRI HULDRICO ZUINGLIO.

Dominus Tecum. Convenerunt fratres super oratoribus arbitrisque ex Liga nostra mittendis. Si quando opus fuerit nominare, eos in nomine Domini eligendos convenimus pia collatione, et nominandos a Te volumus infra scriptos: 1) E *Foedere superiore:* Nobilem *Wolfium Paulum* in *Flims*, Praefectum emeritum *Maienfeldi*; 2) e *Domo Dei*: *Iulium Tscharnerum Curiae;* 3) e *Iurisdictionibus: Ulricum Wolfium Maienfeldensem.* De ceteris et Christi et mundi negotiis communis noster frater *Lucius* te certiorem reddet. *Comander* noster te salutat. *Grebeliani et Manziani* spiritus et in nostris montibus spirant.[4] Si per otium potes, aliquid vel librorum vel literarum mitte,

---

[1]) Vir studiosissimus reformationis, qui combussit ipse miraculosum signum Mariae in *Bueren* 1528. (Hott. H. E. II. p. 118.) [2]) Haec familia praecipue suffragabatur Bernae reformationi, maxime vero *Claudius Maius*, cum Zuinglio litterarium officium colens. Zuinglius primo scriptum de Baptismo iis dedicaturus apud Hallerum idcireo percontatus erat; postea mutavit consilium, eumque librum misit ad Senatum et Commune Sangallense, tumque familiae Maianae: *Subsidium sive Coronidem de Eucharistia*, honoris causa obtulit 17. Aug. 1525. Vid. Epist. 14. [3]) Vid. de eo Epist. X. 1517, de quo Simml. Collectio non unam (Hott. I. 421), sed septem habet epistolas. [4]) Post disputationem *Tiguri* mense Ian. 1525 cum Catabaptistis habitam *Blauroccus*, Curia oriundus, et *Felix Manzius* in Rhaetiam se contulere, ut sectam suam ibi differrent. Manzius est comprehensus ac Tigurinis traditus. (A Porta Hist. Ref. Rhaeticae. I. 86—88).

ut tales adhuc minime nobis placentes spiritus intimius et examinare et probare possimus; atque in Christo Iesu vive, confortare et vince. Salvum esse percupio *Leonem* atque uxorem tuam, cum scitissima atque festivissima prole, in tui animi et corporis solatium bene vivere opto. Noctu XV Maii 1525. *Salandronius*, tuus.

XII.

ULRICUS BOLTUS [1] A FLAESCH ZUINGLIO.

Iesum pro salute appello, dilecte frater Huldrice. Gratias Tibi ago pro libris, quos mihi misisti. Sicubi facultas esset demerendi, paratus essem. Sed etiam alia beneficia, quae Deus tua opera in me contulit, remunerando sum impar; illi igitur, qui Te ducit, rem commendatam volumus. Scito, frater dilecte, me tertio ad Te scripsisse, sed certiorem factum non esse, ut Tu, coniux tua et tota familia se habeat, nostrique omnes fratres ac sorores Tiguri, praeter hoc solum, quod mihi scripsisti in refutationem articulorum *Valentini Comparis*, Te mihi provisurum esse, quod quidem promissum non parvo mihi solatio est. Quamquam probi homines hic me susceperunt in annum: at vehemens adhuc sufflatio et interminatio oppugnatioque cum multis periculis manet, quam sustinebam, nunc autem in spe sum, fore ut magis magisque res invalescat. Brettigovia tota cecidit, id quod tabellarii isti renuntiabunt. Sin autem me Tigurum aut in fines eius translocare liberet, id pro virili parte in te meriturus essem; nempe, quatenus fieri posset nullo verbi divini detrimento. Me tibi semper commendatum habeas sicut, tua ope sive divina, per te confidebam. Saluta meo nomine tuam matrem familias, nec non *Hilarium*, *Barbaram*, *Guilielmum Anderlinum* cum omni sua familia, ac *Leonem Iudae*, itemque Plebanum ejusque uxorem, et cunctos nostros fratres atque sorores in Christo, *Magistrum Casparum*, *Conradum Luchsinger*, *Conradum Rolobutz* etc. Oro tandem, quum legem de arcendis a communione S. C. sceleratis apud Ducentum viros perlata publicataque fuerit, ut mecum communices, atque notum mihi facias, an frater meus occisus [2] sit, vel qua sorte utatur. Nihil amplius praeter votum, ut Deus vobis universis omni tempore adsit. Amen. Die Martis pentecostali. 1525.

Huldricus Boltus praedicator V. D. in Flaesch, Tuus obsequiosus Levita et frater in Iesu Christo.

Inscriptio: Pio, divinitus docto Huldrico Zuinglio, Praedicatori V. D. Tiguri, confratri meo in Christo Iesu. [3]

XIII.

MARCUS MURERUS A WILA AD ZUINGLIUM.

Gratia, misericordia, pax, auxilium et solatium a Deo nostro patre

---

1) a *Lachen* Marchiae. 2) *Aeberlinus Bolt*, nauticus in *Lachen*, a Catabaptistis instigatus, Sangallum iverat, ibique baptizarat et praedicarat. Domum reversus in vinculis Suitiam abductus est ibique combustus. (Bullinger. Haltmeier, S. Gall. Chron.) 3) Hanc epistolam et proximam stili causa non pretium est etiam vernacule promere latine redditas.

et domino Iesu Christo. Scitote magnum scandalum instare, multis retrocedentibus, [1] qui a Deo non sunt confirmati. Non ignoratis, inde a conventu Gynopedii gravem persecutionem fieri, vehementiusque saeviri quam unquam. Auctorem novit Deus. Unum scio: Qui minimum scandalizat, ei satius esset, lapide molari de collo suspenso etc. Nemo mox maleficus habetur in eius nomen, in Christum puta, adeoque in eos, qui fidem Christi tenent. Laudo Deum, qui crucem me sustinere vult. Nam Christianis fatum vexari; sed ipsorum non est alios vexare. Famulus non est supra Dominum. Testis Deus, me non laudis et gloriae causa legisse et lecturum esse, quamdiu et quando placeat Deo. Sin autem Vestra sententia Laico non liceat verbum Dei loqui, Vos per litteras condocefaciatis me oro, fratribusne ego verbum Dei proferre debeam annon, nempe verbum vitale quum expetatur, num iussui Dominorum obediens cessare debeam, usque dum Domini velint aut a quo velint. Volunt enim, qui grata iis acceptaque praedicet, sive missus a Deo sive non. Omnino vero, qui eligatur, eum inculpatum esse oportet etc. Qui vacet vitiis, insons quisque primum lapidem iaciat etc. Qui a Deo est missus, is verbum Dei loquitur. Omnino vero, si quis Domini verbum habeat, is efferat verbum Domini; et si quis somnia habeat, is enarret somnia. Me vero non pudet verbi Domini, quantum quidem eius mihi dederit. Meus magister est, nempe Christus; ego quidem infirmus, ille robustus. Ego vinco nihil, ille devicit omnia. Ille novit, qualis baptismus meus (crucis) et quando sit futurus. Sin servo meam animam, perdo; si perdo, obtineo. Dominus ita facit, non ego; nulla mea gloria. Aliud fundamentum locatum non habeo praeter Christum; neque aliud locari potest quam locatum. Inaedificet ergo unus quisque. Cujusque probabitur opus, at igne. Quare aedificare permittatur, quemcúnque lubet. Opus enim probabitur et probatum est. Quisquis oculos habet, cernit. Utinam Deus aliquem e Vobis ad nos mittat docendi causa: nemo enim apud nos rem aggressus, nempe sacrarum litterarum doctus. Iam vero si nos a Scripturae magistris doceri debemus, docebimini, sicut Dominus loquitur: Cavete vobis etc. Aiunt, vos electuros, id quod non credam, antequam nos me certiores feceritis. Num aequum est Paganos sinere Paganos esse? Deus trahit, quem placet. Is solus indoctos facit doctos. Qui cernit, in eo manebunt peccata; qui non cernit, adipiscetur visum. Aperi, o Domine, caecorum oculos! O Deus meae salutis, opitulare! meorum inimicorum est multitudo acerborum. Proximus, pessimus. O Domine, ne cunctare! me destituere noli! hoc oro te, Deus meae salutis, ne sinas os meum comprimi! Tua laus sit sempiterna. Frater dilecte! Potentes habeo infestos. Corrobora me, Domine! Imperarunt mihi silentium. Tu loquere, Domine! Mea caro timet sibi. Christus

---

[1]) In his comitiis (Tigurum et Uraniа legatos nullos miserant) Missam haberi imperatum matrimoniumque Clericorum sub poena amittendae praebendae interdictum. Simile edictum in agros Sangallenses legati Lucernatum, Suitensium, Glaronensium iecerant, qui Ruperti Villae convenerant. (Holt. H. E. III. 252 sq.)

victor evasit. Languescebam prae timore carnis meae. Conspicio crucem. Cuinam destinata est ea? Crux mea gloria; non mea quidem, sed Domini. Nondum gesto crucem. Nam, ut Dominus novit, impii eam timent. Amor expellit timorem. Iste aedificat, sed malum opus. Qui verbum et audit et facit, is architecto solerti similis. Quis est ille, edite. Coarguite me etc. Mi amicissime, scribite mihi cito, si modo vacat. Nam me interea puto non iam lecturum esse, nisi compulsum. Traducor, quasi pacis turbator, quum ille ait: Id non veni, ut pacem faciam, sed incendium. An ita sit, scribite mihi. Messis magna, operarii pauci apud nos. Auxiliare, Deus! auxiliare, ut omnia cum caritate agantur, non cum rixa: pacem ego sitio, quem Deus praebeat, non mundus; is vero sit victoria. Quid est mundi pax, quid Domini? Scribite mihi, oro, frater dilectissime! Praedicator publice de pulpito dixit, se typographo non posse non ducere alapam; errasse eum, insimulavit. Hinc expetimus consultum Vestris in litteris, num liceat fortiter inniti. Nam si res veniret in disputationem ac testamentum falsum esset: nos abiremus cum dedecore. Non scribo, quod dubitamus, sed ut fulcrum accipiamus imbecillorum causa. Noli, vir carissime! contemnere simplices meas litteras, sed excipite et audientiam praebete. Si fallit sententia, ego me patiar de rebus divinis doceri, propitio Deo. Facite ut spero ac mihi citissime scribite! Nam populus indiget ductu. Lubebat multa scribere vobis, verum deficit dies. Ne aspernamini, quaeso per Christi passionem, meas litteras, attamen amice: nam ego ignem accendi, immo non ego, dominus; non in me solo, in multis. Si probe doceretur, fructus responderet operae, quemadmodum e superioribus intellectum habetis. At vero Dominus est fortis meumque solatium. Consentiamus omnes, sicut unus est Deus, unus Christus, una fides, unum baptisma, una beatitudo, unus mediator in hoc, ut unius mentis et voluntatis simus. Eo nos cunctos adiuvet soter et pastor idemque episcopus nostrorum animorum, ut suus spiritus nobis inhabitet. Cavete scandala! Die Iovis post Pentecosten 1525.

Servo in Domino, Huldrico Zuinglio, Praedicatori Tigurino salutem impertiunt omnes fratres in Wila, qui in Domino sunt. Scribite nobis pacem et gaudium in Deo. A me, Marco Murero Wilensi.

Inscriptio: Fratri in Domino Iesu Christo, Magistro Huldrico Zuinglio, Praedicatori Tiguri.

XIV.

ZUINGLIUS VADIANO.

Gratia et pax a Domino. Mutavi consilium nuncupandi libri:[1] consultius enim visum est, vestris dedicari, quam *Madiis* Bernensibus;[2] itaque istis nuncupabo, quod vestris daturus eram. Subpudet me taedii, quo plenus est liber: verum sic factum oportuit. Tot isti mendacia

---

[1]) De Baptismo, Catabaptismo et baptismo infantum. [2]) Cf. Epist. X.

concinnarunt, tot strophis ac versutiis usi sunt, ut nisi illa retexissemus, istis vero obstitissemus, nescio quam confusionem tandem peperissent? quas nisi nugas prodidissemus, perpetuo fuissent apud indoctam plebem ogganniré conati; nos ista sic diluimus, ut ut nihilominus facturi sint, nostris h. e. ipsa veritate reclamante. Senatum vestrum nostro nomine, si licet, commonefacias, nullam eis pro sinceritate Evangelii tuenda graviorem adversitatem eventuram, quam hanc Rebaptisantium; ita se in omnia vertunt, nisi maturissime occurrant Consilio et Ecclesiae oratione. Apud nostros tolerabilis factus est tumultus eorum, sed tantis sudoribus, ut nemo putasset. Vidisti, me acriter digladiari cum hostibus Evangelii; omnes pugnae priores lusus fuerunt prae ista. Hic enim libere nolebam invehi, ne in eos exasperarem Senatum, quum isti interim nihilo melius de nobis sentirent, disertis etiam verbis, quam de parricida, latrone, fure, homicida, praestigiatore, venefico et quicquid sceleratorum ac scelerum cogitari potest. Taceant Demosthenis Ciceronisque Philippicae istis belluis sua verba sonantibus. Vicit semper veritas.[1] Ipsi Baptismum non sic expenderant; cumque ista, quae hic vides, quamvis aliquibus in locis fortasse nunc locupletius dixerimus, quam antea, in lucem daremus: stupebant ad omnia, tametsi gustum sufficientem antea in peculiaribus congressionibus capere potuissent, si iudicium eorum non occupavissent adfectus. At nihil profecimus, tametsi quidam destiterint, non quo animum, sed quo nervum mutarent. Postea vero quam victi sunt, iam in agrum profecti similes invenerunt labra lactucas. Obstandum ergo docebis esse gnaviter. Invenies in dedicatoria epistola mox post principia caussam, cur tam strenue occurendum sit. Seditio est, factio, haeresis, non baptismus. Simul enim docent, Christianum hominem non posse gerere magistratum, ac ad omnia sua flagitia mendaciaque ogganniunt: Deo magis obedire oportet, quam hominibus. De optimis omnibus ac innocentissimis non aliter loquuntur, quam si trifaucis Cerberi latratus audias; omnem hominis sensum exuerunt, belluarum autem induerunt, atque hoc adserunt christianum esse. Vides ergo quid parent. *Michael* totum ferme triduum praestolatus est, ut primus ad Senatum gratum, ut sperat, libellum adferret. Precor ut illi adsis, quo expensae restituantur: coactus fuissem proprium nuncium meis sumptibus mittere. Quod ad me adtinet, nolo quicquam muneris ulla ratione ad me redeat, hocque edico atque interdico. Christo servio et eius Ecclesiae, non ventri, a nullis unquam quicquam auferre volui; nolite ergo gratiam Domini nostri Iesu Christi infamem reddere. Nuper enim fuit, qui dixit: me exemplaria chalcographis carissime vendere; is in Spiritum S. mentitus est. Hoc ergo ut vere dici possit, committendum non est. Nihil postulo, quam ut me Domino commendent: gravissimae enim nobis iam tenduntur insidiae, sed haec Tibi serva. Non enim omnes norunt, quibus autoribus, aut quo insidiarum genere me adoriantur. Commenda me *Margarethae Zilinae*, da ei exemplar unum, ac mone, ut cum liberis suis pro me oret. Res ista sic clam custoditur, ut ne carissima coniux nostra, nec optimi amici norint: nolo

---

1) Cfr. histor. illustrationes ad scriptum *De Baptismo* etc.

enim excitari tumultum; at si rescirent amici, fortasse non patienter ferrent. Audio interea quosdam ad hoc esse ordinatos, ut ad omnem occasionem intenti sint, si quo modo commode queat crimen deprehendi. Salvam iubeo uxorem, liberos, *Georgium Vadianum*. Parochus vester, si diligenter legeret hunc librum nostrum, ac sedulo obstaret, plus efficeret doctrina, quam Senatus autoritate. Vale. Ex *Tigurо* 28 Maii 1525.

Huldrichus Zuinglius tuus, etiam post hanc vitam.

Oecolampadius in carcerem coniectus est [1] 23 die Maii, si vera narrare possunt haec mendacissima tempora. Christus ipse in hoc innocente pioque homine captus, quoties ejus captivitatis memini, videtur. Verum haec te nihil turbent. Haec initia sunt malorum. Vae urbi isti! A Lacrymis, mihi crede, in adflictione huius iusti minus tempero, quam si ipse in carcere stringerer. *Erasmus Rot.* ubi Commentarium nostrum in manum cepit, ut familiaris eius quidam prodidit, dixit: O bone *Zuingli*, quid scribis, quod ipse prius non scripserim? Hoc ea gratia scribo, ut videas, quantum nos *φιλαυτία* in transversum abducat. Utinam *Erasmus* suo stilo argumentum nostrum tractavisset! iam persuasus esset orbis, ut ego non tanta invidia laborarem. Ego semper malui delitescere, sed noluit Dominus, cujus voluntas fiat. Utinam libellus noster *Erasmi* titulo signatus esset! non cruciaret me pudor, ac metus vanae gloriae. Coram Domino loquor: posteaquam lecta essent ab omnibus nostra, vellemus nomen apud omnes in oblivionem abiisse. *Glareanus* furit non modo in me, sed etiam in *Oecol.*, omnia movet. Vide ut cordium cogitationes revelentur, cum Maria, h. e. hi, qui Christi mater, soror et frater sunt, persecutionis gladio feriuntur. Quis in isto tantam gloriae cupiditatem esse credidisset? in hoc autem tantum malignitatis ac veneni? [2] Gratulantur passim doctissimi Helvetiis, et Helvetius ringitur propter *Zuinglium*.

XV.

MICHAEL VIESTIUS ZUINGLIO.

Salve Theologorum decus eximium! Supparasitabar aliquandiu *Gesslero* meo, quo pacto meas nugas homini tam docto, ut nihil supra sit, designarem, quum haec agens nihil de illo certi propemodum semestris acciperem. Nunc iacta est alea, *Zuingli* ornatissime, neve hominem, divino praeditum ingenio ac Christianis nato obtundam — ad rem ipsam pergam. Fecerat me certiorem *Iacobus Aedilitius Chimopolitanus* [3] quidam de adulescentulo Pallados bacca, ut ille tum literis euncleabat, condonato, quem quum Tibi commorari recensuit, Te, ut eius Maecenatem alloqui decreveram. Affirmabat ille Iacobus, hunccine *Wittenbergam* profecturum, eo animo, ut ubi (quum alibi vigere nunquam non clament) literas maturas esse audierit; non penitus, ut mihi videor, abs re, quum nostratium ferme omnis studiosorum ordo illuc perrexerit,

---

1) Falsa fama. 2) Postrema epistola *Glareani* ad Zuinglium reperitur 11. Febr. 1523, adhuc plena calidae amicitiae; postrema *Erasmi* 31. Aug. 1523.
3) *Vitoduranus?*

ac mihi id cordi esse ingenue ac libere profiteor. Velim igitur (ne barbarum diutius Homerus audiat) huccine *Hospinianum Leonardum*, non nisi solo *Aedilitio* notum instigares, ut quoquo possit citius eius animum acciperem, ac bona fide ductum Zuingliano h. e. christiano animo imbueres, ut *Lutherum* revisere una fas foret, id Gellianum subinde pensitans: comitem iucundum in via pro vehiculo esse. Vale Helvetiae numen omnibus admirandum, ac temerariam hanc meam audaciam aequi bonique consulas, cui familiaritati tuae obrepere diu collibitum fuisset, literis ultro citroque obsignatis. Iterum vale homo hominum (absit verbo invidia) decus. Ex *Bremgarto* meo. Cal. Aug. 1525.

Michael Viestius Tibi ad aram usque devinctus.

P. S. Salvum Te cupit germanus meus frater *Iac. Viestius*, ac meo nomine *Albanum Erhardum* Canonicum salutato.

Inscriptio: Ornatissimo Viro graecae latinaeque linguae peritissimo Huldricho Zuinglio, Theologorum omnibus modis summo etc.

XVI.

IOHANNES COMANDER ZUINGLIO.

Gratia et pax augeantur etc. carissime in Christo frater! Primum te scire volo tribulationes nostras ac tragoediam, quam nobis Pseudopapistae illi concitaverunt, ita ut Evangelium nunquam peius audierit, quam nunc in tota nostra *Rhaetia*. Primum, omnes optime institutos Verbo ad partes suas traxerunt depravatos, hoc cauterio notatos, ne scil. in nostram conventionem unquam regrediantur. Deinde, ut omnes uno ore convitia in me iactitent innumera. Pars reliqua civium attonita titubat, ac multis Evangelium in fabulam et quasi in nauseam vertitur. Pars tertia Papistarum est in immensum gloriantium de schismate inter nos facto; sed ut mensuram suam plane adimpleant, huic foco oleum et stipulam administrant, ut grave oleat: nam Abbas *S. Lucii* [1] Pronotario *Curiensi*, cuius uxor rebaptizata nuper proscripta est, adiumento est libris et quibus cunque potest auxiliis, ac totus huic sectae a consiliis

---

[1]) *Theodorus Schlegel*, abbas ad *S. Lucii* apud *Curiam*, vicarius Episcopi, acerrimus adversarius reformatorum Rhaetiae, catabaptistis adversus eos opem tulit, atque cum Capitulo Cathedrali accusavit Comandrum aliosque praedicatores Evangelicos Rhaetiae apud Comitia Foederalia haereseos propediem ante solemnia natalicia; quam in criminationem decretum est colloquium Ilantii ineunte anno 1526 habendum. Hac occasione disputavit admodum moderatus. Cum Comandro in disputationem Bernensem devocati uterque domi manserunt. Exacerbatus libertate fidei et circumscriptione episcopalis iuris ac potestatis, comitiis Foederalibus 1526. perlata, Episcopus et Abbas coniurationem fecere cum *Iacobo a Medicis* adversus Foedera Rhaetorum. Abbas captus est, gladiique supplicio affectus. Poenitentiam sceleris agens cum confessione in loco supplicii adhuc populares suos commonuit, ut ne largitionibus alienis dominis sese auctorarent: sic terram suam sese conservaturos esse liberam; sin secus facerent, terram et homines perditum iri; ipsum hoc modo corruptum esse. Huius consilii negligentia Rhaetiam non semel in calamitatem horrendam praecipitavit. (A Porta I. 92, 97, 130, 166, 170—173. Hott. Hist. Confoed. II. 226—228.)

est, quatenus me devincant, ipsis quidem, me abacto, plane quoque illusurus. Pronotarius disputationem parat acerrimam (ut sibi videtur) adversum me. Inde sibi gloriosam victoriam pollicetur. Qua parta omnis res in vado erit. Proscripti residebunt in nidos suos et ego vices eorum degustabo etc. Fiat voluntas Domini. Amen. Ceterum consilium meum Tibi aperio, ut Tu melius aliquod feras. Primum sic statui respondere: me nolle disceptare, hac ratione, quia saepius victi victoriam nullam parare possint, nisi ubi perdiderunt. Nam si ubique vicerint, tamen victi erunt, nisi *Tiguri* perditam victoriam recuperarint. Sin autem Magistratus omnino velit ut disputemus, assentiam hac conditione, ut fundamenta sua in scriptis deponat (scil. Pronotarius). Et ego contra scriptis respondebo ita ut omnium pateant iudicio quae comportaturi sumus. Obsecro igitur, ut Te nobis Astyanactem praebeas, cum res popposcerit, ne Evangelium patria et tota *Rhaetia* pellatur. Si qua graviora obiecta fuerint (utitur enim *Andrea* magistro): ad Te deferentur. Vale in Christo firmus. Ex *Chur* die VIII. Aug. 1525. Salutato meo nomine *Leonem* et omnes fratres.

Iohannes Comander, frater tuus.

Inscriptio: Piissimo iuxta et doctissimo viro *Huldrico Zuinglio* amico suo observando.

XVII.

LUDOVICUS SIGUINIUS (AL. SIGUNIUS) ZUINGLIO

Christum salutare nostrum. Accepimus hisce diebus, *Ulriche* optime, in manus nostras libellulum tuum, cui titulus, „de vera et falsa religione," quem non solum graviter et acute, sed et pie salubriterque ex scriptura depromsisti. Habebis tu profecto a praemiatore, qui in coelis Pater noster est, repositam coronam, quod charitatis mansuetudinisque cuiusdam Christianae fervore Te adeo sedulo nobis, praecipue in re tam sancta, adcommodas. Atque utinam nostri Theologi, qui Te modo ad ignem destinatum vellent, huiusmodi Tuum libellum auribus defaecatis, naso extento, erectoque mentis iudicio legerent, et sic forte vulgum non a veritate ad mendacia, a spiritu ad literam, denique a pietate ad impietatem, adeoque idololatriam impellerent. Hoc autem non solum de invidis Papistis loquor, sed de illis, qui, de Coena Te perperam loquutum esse, clamitant; ad eundem modum vero de pane isto loquuntur. Quasi nusquam liceat vere Christianum agere, nisi ubi corpus in coena reperiatur, quum tamen nihil usquam inveniunt, neque in Veteri, neque in Novo instrumento, quod ad impanatum Christum pertineat. Bone Deus, quam applaudunt sibi ipsis, qui solum id rectum et pium putant, quod ipsi primum docent et iubent, tanquam scilicet tantae doctrinae Principes ac Auctores! Summa esto: Quantumvis insaniat adversa pars, quo iure quaque iniuria tueantur hanc suam opinionem, quanto cum odio desaeviant in nos et Lutherani, quos vocant, et Papistae: tamen non possumus aliter, praesertim absque conscientiarum

nostrarum periculo, dicere et sentire, quam quod Scriptura, quae manifeste carnem nec tantillum prodesse sentit. Cernimus equidem, quam superstitiose in hominibus regnarit panis huius cultura; quanta securitate hic Christum adorarit etiam totus mundus, et Papisticum regnum adhuc sustentet stabiliatque esculentum hoc fundamentum. Igitur reluctantibus etiam inferorum portis, illis id respondere cogimur, quod et Christus discipulis suis (qui simili modo carnaliter carnem eius manducandam intellexerant) respondit: Spiritus est, qui vivificat, caro nihil prodest. Eo autem modo prodest sua caro, quando spiritescit: tunc utilis, imo omnium rerum utilissima est, quia panis ille est, nempe spiritualis, qui de caelo descendit, qui vitam dat mundo, qui bonis replet esurientes, divites quoque dimittit inanes; non corporalis, quo ut memoriali passionis Christi utimur. Habes, quo pacto Tecum sentiamus, *Udalrice* amantissime! Inducti in Tuam sententiam nulla levitatis nostrae ratione non sic promotam Christi gloriam volumus, non cogere, torquere, ut aiunt, Scripturam; sed sic omnibus commendare fratribus, qui fidelis est ut spiritum nobis suum impertiat. Spiritualium enim Deus, spiritus tantum observator est; carnalia quaeque despicit. Hi autem spirituales, qui nihil humani verbis Christi addunt, carnales, qui suis verbis denuo Christum incarnari volunt. Sed utinam, quae spiritualia forent, nostri intelligerent Theologi, qui nullo non tempore spiritum iactant! Vale in Christo, carissime frater, et Christum pro me ora. *Ravenspurgii* in feriis praecidaneis Bartholomaei Apostoli.

Scripsimus ad te, frater, non ut gravissima tua nostro confirmaremus testimonio: nam non sufficeremus tanto negotio; sed quia familiaris ille noster, qui has tibi perfert literas, *Tigurum* se ire aiebat, nolumus eum ad te vacuum venire, quoniam charus es nobis propter Evangelium Christi. Boni igitur consulas oro. Vidisti me ante triennium, quando me tibi, ab *Argentina* veniens, cum literis *Buceri* praesentabam. Ad haec non multis verbis et poscere et ambire volui tuam amicitiam, eo quod ambo nos Christo addiximus: propterea enim membrum nostrum, caro nostra de carne nostra, adeoque de ossibus meis factus es. Vale iterum.

Ludovicus Siguinius, Gamundanus.

Inscriptio: Clarissimo viro ac Domino *Ulrico Zuinglio* Tigurinorum apud Helvetios Evangelistae, fratri in Christo amatissimo. Tiguri.

XVIII.

CONRADUS MUPPEIN [1] AD ZUINGLIUM

Christi favorem pro salute. Amplissime Vir, praesentium Latoris *Matthiae Bodmer* intentum benigne suscipias et velim et oro. Fertur namque pastorale officium in *Horgen* vacare, ius quoque offerendi eiusdem ad praestantissimos Dominos *Turicenses* devolutum esse. Quod quidem officium praefatus *Matthias* iam tibi comparens, summo conatu providendum sibi adscribi (saltem si Dei benignitas faveret) appeteret.

---

[1] Pastor *Vadisvilae* a 1524—28.

Ego pariter evangelicae doctrinae studiosis semper favens, iam dicti *Matthiae* vitam, mores atque doctrinam novi hactenus modestam atque proficuam, hominum quoque saluti salubrem ac utilem. Quare supplici precatu Te oro, si decenter fieri posset, eum in hunc locum promoveas. Ipse enim primum divinis, hinc tuis atque meis se offert iussibus obtemperandum, de quo minime diffido, quin id efficiat, quod divino cultui atque hominum integritati conducat. Quam ob rem illum summopere oro promovendum accipias, quod itidem meis viribus in tuae benignitatis clementiam accuratissime recompensare curabo. Vale ex *Wedischwil* profesto Bartholomaei apostoli 1525. [1]

Conradus Muppein obsequiosissimus tuus.

XIX.

IO. GEBENTINGER, PANNI TONSOR ZUINGLIO.

Gratia et pax a Deo Patre et Domino Iesu Christo. Dilecte et fidelis magister Huldrice! Vos oro submissus, quum libellus ex proximo colloquio de baptismate sit excusus, per latorem praesentium unum mihi exemplar mittatis; id quod demerebor, si qua possum. Salutate a me nobilem Guilielmum, [2] ac nuntiate, Memmingensibus obvenisse pastorem, a Sangallo Dominum Georgium [3] nomine. Antehac pastor fuit Rikenbachi Thurgoviae, admodum exiguae solertiae. Vix crediderim, eum diu consistere. Memmingenses rursus affectant Simpertum: [4] nam ecclesia veritatem verbumque Dei omnibus modis expetit. Valere Te iubet

Ioannes Gebentinger, panni tonsor Sangalli et ibidem ludimagister. [5]

XX.

FRANCISCUS KOLB AD ZUINGLIUM.

Gratia et pax a Deo. In primis Te mi frater cupio valere in Christo ac Patris sapientia et verbo. Credo aliâs dudum acceperis patriae nostrae miserias ac horridas clades, quibus sanguisugi Antichristi saeviunt in miserum agricolarum vulgus. Prolixa narratione egeret. Velim optimus Deus faxit, aetatem meam tandem in patria consumam. Sunt plurimi sparsim fratres Verbi praecones decollati, nihil vel verbo vel iure convicti, nihil auditi. Aestimo diem vicino iudicii instare extremum. Super haec omnia mihi gravissimum fuerit, quod hanc materiam de sacramento Eucharistiae tam stolide, tam pueriliter, tam insipide, tractant doctissimi nostri *Wittembergenses*, praecipui quoque omni elegantia praediti Concionatores *Nurenbergenses*, quos credo videris in suis quae ad Senatum scripsere consultis. Succinctum super hac materia

---

1) Hoc ipso die iam *Dietericus Wannerus* pastor *Horgenae* creatus. 2) *A Zell Argentoratensis.* 3) *Georgius Gügi.* (Schelhorn Hist. Ref. Memmingae.) 4) *Schenkium.* 5) Hoc epistolium latine redditum non est tanti, ut nativo sermone addatur.

hic mitto cum praesentibus *Pomeranum Wittembergensem* Episcopum[1] (si prius non videris), virum, quem alias legi in multis Spiritu Domini actum, at hic omnino vacuum. Dominus Deus sit nobis propitius. Ego firmiter credo, quod secundum illud 1 Cor. I. electurus sit Deus stultos aliquos ac infirmos, quae hic definiant, ut confundat doctos *Wittenbergenses* et elegantes *Nurenbergenses*. Te ergo adhortatum volo in Christo, ut in timore Domini sine convitiis, quo succinctius potueris, occurras eis. Ergo Dei dono certus sum apud memetipsum conclusi: hac panis et calicis communione nonnisi Dominicae passionis memoriam fieri. Annotassem mea (mea opinione) argumenta fortissima contra *Pomeranum*, sed fido et Te docturam esse unctionem sanctam, ut nihil sui errorum non arguas. Domine Deus mi, da ruat hoc unum omnium Antichristorum errorum fulcimentum! Reliquum, a *Christophoro* scriptis petii ex *Francofordia*, scire gesta, statum ac conditionem Evangelii ac fratrum omnium. Utinam degere possemus vobiscum. Bene vale, Deum time, et viriliter ages in finem usque. Gratias ago super libellis, quos mihi propinasti in proximo emporio. Retribuet Tibi Deus tempore opportuno. *Leonem* cum uxore ac fratribus domus eius, et tuam praecipue coniugem saluta nomine meo, et *Enderlinum*, qui *Norinbergam* crebro visit. Filium eius, cingulificem hospitatum habui die ac nocte paucis antehac diebus, qui secessit *Coloniam* et in *Brabantiam*. Satis admirari non poteram licentiam, qua cum duobus sociis utebatur: armata manu peragrabant regionem. Aliâs nemo audet armatus ingredi. O mi frater, quam miseri homines isti! Iterum vale. Raptim festinanter in Vigilia Nativ. Mariae, 8. Sept. 1525.

Frater, *Franc. Kolb.*

XXI.

GUILIELMUS FARELLUS ZUINGLIO

Gratia et pax a Deo Patre nostro. Si unquam sese obtulit laetitiae et gaudii ratio propter persecutiones, eiectiones, et ficta in pios mendacia ob Christum, nunc quam maxime. Nam quid, quaeso, intentatum relinquunt impii? Scire velim vel unam rimulam superesse, qua pios aggredi possint, quam non sint perscrutati. Verum, si Deus pro nobis, quis contra nos? Gratulor Tibi hanc Tuae fidei probationem, et perseverantem in Te Christum, per quem stas, immo aeternum perdures, gratiam agnoscens, quanta in Te sit, ac Tuas vires Christo et divinae gratiae, quod suum est, tribuas, Tuisque viribus quod oportet, ut sit Deus Deus; et homo homo. Ea sunt tempora, ut ab amicis sit quam maxime timendum. Per inimicos pius nunquam deiicietur (quicquid saevi moliuntur hostes, nobis in bonum cedit), nec contumeliis superbit, nec intenta sibi morte se fidit. Suspirare ad Patrem docent persecutores, unde mira Dei et bonitas et clementia in filios agnoscitur, qui cum pretiosum illum gestent thesaurum in vasis fictilibus, pressuris adiguntur,

[1] Contra novum errorem de sacramento corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi epistola ad D. *Ioh. Hessum Vratislaviensem*. Wittenbergae *1525*. Qui liber latine et vernacule in lucem prodiit.

ne temere perdant: quas qui fugiunt nolentes Christi crucem ferre, quid, malum, caecitatis et impietatis non incurrerunt? Videmus, quam foede non pauci a Christo ad Antichristum defecerunt, dum ventri magis et quieti student, quam gloriae Dei. Prius horrenda ob oculos erant, quae et nunc sunt, divinae ultionis irae exempla, de quibus an resipiscentiae aliqua sit spes, nescio: videmus, quid sit veritatem dissimulare, Deo et hominibus una inservire velle, in quot protrudat foedissimos lapsus; quid denique non suscipiat defendendum, quam difficile errorem aut fateatur aut agnoscat nominis parandi amor, aut retinendae authoritatis studium. Sunt quos nemo non putasset ipsissimum Spiritum, qui tamen toti in carnem abierunt, secum non paucos pertrahentes in perniciem; qui utinam a se abduxissent populum in verbum Dei, non tam multos perire videremus. Quod, cum Te non fugiat, fratres admone non efferri, sed cum timore verbum ministrare, reputareque apud se, quid aliis obtigerit, ut omni cura videant ne cadant; quod non dubito Te et facere, et facturum, sic ut nihil hominibus tribuatur, quantumcunque piis et doctis, sed soli Deo omnia. Vides enim quantum obsit pietati humanae existimatio larvae, quam difficile plurimi per hanc ab errore avocari possint. Contigit eo die, nec multum puto horam diversam (nox enim erat, quo tibi amici bona intentarunt), et *Vedasto* brachium spiculo, quod allabardam vocant, transfodi? Hunc, quem pietas et animi mititas aliaeque christianae dotes commendant, optarim in *Novoburgo* concionatorem, si fieri posset, aut alias puerorum moderatorem agere. In qua re spero, te nonnihil posse, cum praefectum dicant pium esse. Adnitere quaeso pro viribus, ut hac via miserae Galliae aliquid suboriatur lucis! Non est quod dubites de viro: nam nihil in eo desideres, quod ad id muneris faciat, quantum haec ferunt tempora. Si certior fieri vis, nemo hic Episcoporum est, qui illi pietatis non ferat testimonium. Audisti ni fallor, de immaturo *Papilionis* transitu, super quo gestiunt impii. Christo sit gratiarum actio, qui suae pietatis nos intueatur oculis. Tyrannidem non parvam apud Gallos suspicor, quod fratres magis sunt muti, quam pisces. Commendatum habebis et tecum *Myconius*, *Petrum Bleti* nepotem, quem gaudeo apud *Ceporinum* agere. Faxit Deus, ut dignum praeceptore tali praestet discipulum. Gratia Dei tecum. Salutem dicito *Myconio*, *Leoni*, et *Gaspari*. Salutant te *Capito* hospes noster, et *Bucerus*, ac *Vedastus* hospes etiam Capitonis. Cum *Francisco* non per omnia convenit. Poena forte meliores faciet, quos praeclara sui opinatio reddidit insolentiores. Vale. Argent. XII Sept. 1525.

Tuus in Christo totus *Guilielmus Farellus.*

Inscriptio: Vigilantissimo verbi Dei Ministro *Huldr. Zuinglio*, Episcopo Tigurino.

XXII.

ZUINGLIUS AD BUCERUM SINE DUBIO VEL CAPITONEM. SIML.

Gratia et pax a Deo. Non habemus apud nos librum tuum de

Eucharistia, neque eum, quem *Erasmus* recens edidit, cuius et argumentum et titulum ignoramus. Iste vehentibus bibliopolis nimirum ex Nundinis *Frankfd.* tandem ad nos repet, ille autem tuus velim citius ad nos transvolet. Cetera non est scribendi otium. Liberat nos ubique Dominus a malo usque in diem, quem ipse praefixit. Vale, et constans esto contra deos istos: carnem, sanguinem, panem, vinum. Ex *Tiguro* 13. Sept. 1525.

XXIII.

HULDRICUS CRAMERUS [1]

MAGISTRO HULDRICO ZUINGLIO S. D. P.

Dilecte frater Huldrice! Quod nuperrime quum Tiguri eram, in manum Vobis tradidi de anno iubileo, blanda prece peto, si Vobis non molestum sit, imprimendum curare: haec res enim a *D. Iac. Zieglero* [2] etiam atque etiam mihi commendata est, ac deinceps negotium conducturus sum duobus libellis, ut etiam Romae legantur. Porro, dilecte frater M. Huldrice, mihi brevi abhinc a meis Dominis Tiguri id consilium reportavi, ut in coenobio maneam usuramque capiam perinde ut alii. Iam oro familiariter, ut hac in causa mihi provideatis ac meos Dominos sollicitetis una cum aliquot amicis meis, quandoquidem in Rüti nemini bono sim, ut mensa mihi pro usura Tiguri praebeatur. Sic operam litterarum studiis daturum essem; qua ratione, credo, fructus mihi constaret. Nec non ea mente essem, ut reddito peculio coenobium me dimitteret totum, ut postea operis aliquid suscipere matrimoniumque inire possem, prout tempus feret. Quare fideliter mihi subvenite hac in causa! gratias referam. Quin cucullum libens illico exuerem, quippe quem dudum ea teneat opinio, fore, ut Domini mei nos omnes excedere iubeant; multique in eo sumus, ut nobis ludimagister [3] citra moram obtingat. Nam eum prae ceteris bene tractabimus opitulantibus dominis meis Tigurinis. Vale! Saluta meo nomine consobrinam meam Annam, tuam uxorem. Rüti 13. Sept. 1525.

Huldricus Cramerus, tuus fidelis frater in Christo.

XXIV.

LUDOV. HÄTZER AD ZUINGLIUM.

Gratia et pax a Deo per Christum Dominum Nostrum. Obtulit nobis, *Zuingli* candidissime, his diebus *Silvanus Othmar*, Typographus *Augustanus*, Epistolium stanneis typis excusum a *Io. Bugenhagio Pomerano* ad *Hessum* quendam (quem ut meos novi digitulos) descriptum. [4] In quo negotium Christi et eius mensae tanta dignitate tam magistraliter tractat, ut exoptarim mihi myriadas De-

---

[1]) Monachus in coenobio *Rüti*. [2]) *Landauensis*, vir eruditus, qui libros edidit doctrina rerum varios. [3]) *Wolfgangus Chroeil*, qui ludimagister Ruperti villae erat, a Zuinglio in coenobium Rüti traductus, ut monachos ibi litteras doceret. [4]) Vid. Epist. XX. N. 1.

nocritorum, qui id (ut condignum esset) exploderent, irriderent, imo concacarent etiam. Aspicio, lego, admiror coecutientes Theologos, Christum nobis alibi, quam a dextris Patris sui ostendentes. Cogito unum cuius instinctu hoc factum esse possit; quis Daemon aut quae Medea suas hic exantlarit vires. Subolebat enim, me scire, unde haec Lerna profecta esset. En cogitando recordor sermonis *Urbani Regii*, cui hoc totum negotium acceptum ferre debes. Evenit enim ante annum: quum (ut scis) in *Bavaria* eram, et capto Castro *Augustam* veni, incidimus tunc forte fortuna in sermonem de libellulo quodam latinissime descripto, cui titulus, si bene lecta habeo: Apologia *Simonis Hessi* contra Ep. *Roffensem* etc. Ego arbitrabar *Friburgi* hunc esse natum. *Urbanus* autem subridens inquit: *Ludovice* ariolare, quis ipse *Hessus* sit? Ego: Non possum equidem, nisi quantum ex stylo coniiciens reor, me ipsum *Friburgi* novisse. Is vero impatiens (ut totus quantus quantus est cupidini auriculae hominum vivit), se sua frustrari laude: En ait, ego Simon ille Hessus. Eò, si uspiam quicquam hoc sub nomine vulgatum offendes, nostri Martis tela esse scias. Ubi ubi sub fuco aut aliquid ago aut scribo, illud solitus sum adscribere nomen. Tu vero vide, doctissime *Zuingli*, quam non se recondi patitur furibunda aurae sitis? Quam non tenebras amat ambitio? Quam belle suo indicio (ut adagio fertur) periit sorex? *Urb. Regius* enim *Hessus* ille est, ad quem haec Epistola missa. [1] Is est *Vratislaviensis* Ecclesiae Pastor, ipsus est doctissimus ille Doctor. Audet enim suam venenatam linguam non alio pacto in Te acuere, quam hoc fuco. Mirum, quam odiat eos, qui aut Tibi aut *Carolstadio*, ut vulgo dicimus, adhaerent in hoc articulo de Eucharistia, quam se iactitat posse *ἐν ὑποπνύστῳ* Scriptura omnes, quotquot huius sententiae sint, refellere, si vellet. Ego dico: Ita, si posset. Non audet alio modo contra Te ire. Pertimet, ne humeris suis imponat, quod ferre recusent. Declinat tuam *παῤῥησίαν*. Rogo itaque Te per Deum immortalem, rogant mecum plurimi bonae fidei viri, ut alio epistolio refellas illud. Potes pulchre. Ansam habes. Exordium adest in *Hesso*, et quod Utopiensem Ecclesiam finxerit, cuius Pastor sit. Belle agit: nam aliam non habet Ecclesiam. Necessarium est fingere, ubi vero caret. Pastor est, quemadmodum Suffraganei episcopi sunt, apud Antipodas scilicet. Scio, Christianum esse plurima dissimulare, multa pati, convitia contemnere. Scio etiam non Christianum esse, ad Christi convitia connivere, quia nec ipse passus est obprobria in patrem suum. Math. IV. Tute scis, quid Te deceat, ut depingendus sit suis coloribus et veritas vindicanda. Placet Te huius admonere, de verbulo „Benedicimus," quod glossulavit *Pomeranus*: I. quod vulgo consecramus. Num benedicere est consecrare? Vide insaniam hominum. Ceterum non video, quomodo possis recusare, quum id tot vere boni et pii flagitent viri, cumque id etiam Christo tuo debeas et eius membris.

---

1) Sed *Vratislaviensis* vocatur *Ioannes* Hessus; auctor apologiae *Simon*, qui iam 1521. epistolam contra Lutherum scripserat. (Frisiana Bibl.) Vero simile videtur, Regium *Hezero* adolescenti, importuniori fortasse, aliquid per iocum imposuisse.

Epistolium hoc passim *Augustae* ostentatur: Ecce, inquiunt, Hector *Zuinglius* invenit *Pomeranum Achillem*. Videtis, aiunt, quam constanter *Pomeranus* audeat dicere, *Zuinglium* non esse in hac re Theologum. Ex grammatica vincitur etiam. Quid committes huic, qui in re tam clara, in negotio tam aperto, hallucinatur? etc. Omnia illa praetereunda forent, si saltem obfuscaretur nomen tuum. Homo enim es et peccator coram Deo; quod autem veritas illic laeditur, quod conscientiis periculum fit, hic labor, hoc opus erit, ut resarciatur. Nec hoc contenti: en advenit alius Doctor e carcere de *Inspruck*. [1] Is primo satis bene de *Εὐχαριστία* sermocinabatur, at iam omnino rursus urbanisat. Is studens *Urbano* placere, interpretatur hoc epistolium et facit germanum. Sic semper similes habent labra lactucas. Nondum excusum vidi, misissem aliàs — omnia eo, ut totus mundus videat Te tantorum errorum magistrum. Tu ex verbo Dei refelle, et vale cum tota tua familia. Novi plurimum, at nihil certi. Constanter fertur, futura iam illico post Michaelem Comitia Caesarea. *Carolus* ipse non veniet. Commisit negotium suum ducibus quibusdam. Foedus furit adhuc strenue. *Salzburgenses* coloni fortiter depugnarunt: sunt enim ab universis novis depressionibus liberati, quas *Langius* [2] et eius praedecessor proximus excogitarunt. Nobilis ille *Georg. Riegel* cum uxore sua sese totum tuae mandat fidei. Valde sibi timet a principe *Bavaro*. Adhuc carneum Christum edit. Ego non apud ipsum sum, ob eius timorem. Vivo ut possum. Unicum hoc a Te postulo, ut mihi rescribas; et si quid in Te peccavi, clementer indulge, quemadmodum, et Deus nobis libenter per Christum indulget. Erravi, fateor, et posthac cautior ero, et paulo prudentius agam. At, mi *Huldriche*, ne praetereas has impudentes *Urbani* technas. Rescribe saltem aut unico aut altero verbulo. *Leo Iud* sanctus sit cum sua casta coniuge. Abbas *Capelensis* promiserat se mihi quidpiam scripturum. Posses ipsum, quasi aliud agens, admonere. Mitto tibi hic epistolae huius quavis bovina merda vilioris exemplar, et aliud *Nicolai de Amstdorff* aeque sordidum. Literas tuas mitte *Silvano Othmar* chalcographo. Curabit ille, ut habeam. Ego ut inprimantur faciam. Haec Tecum solus cum solo. *Urbanus* enim, si resciret, plurimum mihi obesse posset. Parum abfuit, quin proprium misissem tabellionem ex aere quorundam fratrum. Offendi a casu hunc. Vale et vive feliciter in C. I. D. N. Is Te confortet, et servet castum corpore et mente adventui suo. Amen. Datum *Augustae* ad diem 14 Sept. 1525.

Ludovicus Hätzer, frater tuus.

Inscriptio: Viro iuxta pio atque docto Huldricho Zuinglio Tigurinae Ecclesiae Episcopo fratri suo candidissimo.

XXV.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO S.

In Domino frater dilecte! Neque nobis adhuc facta est copia libelli

---

[1]) *Stephanus Kastenbor.* [2]) *Matthaeus Lang*, primo episcopus Goriciae, tum Archiepiscopus Salisburgi.

nostri de Eucharistia;[1] at, quum primum allatus fuerit, proximo nuntio exemplaria quaedam vobis afferri curabo. Tuus liber mihi plurimum placet.[2] Adversarii nostri, quod nequeunt scripturis ac rationibus improbare, subsannando reiicient, tam stulti, ut omnes stultos credant, et non agnoscentes suam stultitiam. Ille noster dubiae fidei frater, cui legendum transmiseram, respondit: parum Theologiae, multum Philosophiae inesse nostris libris. Expectat nimirum, quid *Saxonicum* idolum sit responsurum. Verum interea magna pars infirmorum inveterato laborat morbo. *Erasmus* duos libros edidit, unum adversus *Sutorem* quendam *Cartusianum*, qui aegre fert editiones Novi Testamenti alias post Hieronymum; alterum, cui titulus „Lingua,“[3] mea sententia librum, dignum lectione: in neutro nobis adversatur. — Impressit *Frobenius* et Grammaticam *Eliae Levitae*, Hebraei, non contemnendae eruditionis librum.[4] Miseram *Latomi* „helleboron“[5] per *Christophorum*,[6] sed intelligo nondum perlatum. Ut primum venerit Eucharistiae libellus, nisi nuntii desint, participes vos eius faciam. Sacrifici et consortes illorum facile condonarent, quicquid hactenus a nobis doctum; unum hoc dogma de Eucharistia, quod vel *Papa* vel *Lutherus* tradidit, convelli nolunt. Est enim arx et praesidium impietatis eorum, per quam recuperare sperant successu temporum, quod nuper amiserunt. Salvo hoc idolo, nemo eos recte impios condemnarit. Narravit mihi *Christophorus*, quid filii Belial adversus te moliti, et gaudeo, te ereptum e manibus insidiantium.[7] Hisce tirociniis erudit Dominus, ut in maioribus certaminibus de aeterna vita nobis promissa nihil dubitemus. Vale. *Basileae* die XVI Septembr. 1525.

Tuus *Oecolampadius*.

Ea ipsa hora, qua occlusurus eram literas, attulit quidam literas cum uno et altero libello, quos mitto. Sed nulli sunt, si cum tuis conferantur. Mitto autem et apologiam *Lutheri* nostro *Gulielmo*.[8] Iterum vale.

Io. Oecolampadius.

XXVI.

ZUINGLIUS VADIANO.

Gratia et pax a Deo. Omnem tragoediam nostram ex ordine reddet *Christianus*,[9] cui omnia memoravimus, praestantissime *Vadiane*. Res ipsa atrocitatis plurimum habet, sed Iupiter almus sua voce nutuque

---

1) De genuina verborum Domini: „Hoc est corpus meum“ iuxta vetustissimos autores expositione liber. *Bas. 1525.* 8. 2) Subsidium sive coronis de Eucharistia. 3) „Apologia adversus debacchationes *Petri Sutoris*“ — et: „Lingua, sive de linguae usu et abusu.“ Cf. Füssli Epistolae Reff. N. IX. 4) Iudaeus in Germania natus, qui tunc temporis vixit multaque Hebraice scripsit, a *Seb. Munstero* in Latinum versa sermone. Scriptum h. l. laudatum sic est inscriptum: Grammatica Hebraea cum interpretatione latina Seb. Munsteri. Bas. ap. Froben. 5) Helleborum pro *Iac. Latomo Ioh. Oecolampadii.* Bas. 6) *Froschauerus.* 7) Vid. epistolam proximam! 8) a *Cella.* 9) *Friedboldus Sangallensis.*

omnia sic reget, ut in eius gloriam cedant. Quod senatus paulo lenius cum perduelli isto deprehenso egit, nihil Te moveat; stimulus fuit ista cessatio ad rem constantius posthac gerendam. Inciduut nonnunquam in civitates, ceu in humana corpora valetudines, quas cordati masculique cives sic deinde curant et cavent, ut satius videant esse ac utilius, nonnunquam incidere, quam perpetua sanitate frui. Istud enim cautos reddit ac sollicitos, hoc vero supinos ac dissolutos. Medentur nunc omnes boni casui isti, ut nihil sis desideraturus. Sed ecce, cum iam hanc epistolae partem absolvi, cum *Christiano* demum collocutus, didici, non proxime rediturum esse ad vos, unde et huic epistolae non fui ausus, quae cupio, credere; brevi dabitur fidus aliquis tabellio, cui committere liceat chartam, animi consiliorumque nostrorum nunciam. Sunt enim, quae et Te et vos omnes scire interest. Nunc *Binderum* monui ut, quemadmodum petivisti, consceleratorum istorum audaciam describat. State immoti atque alacres, nihil veriti subventaneas istorum minas, qui umbra se terrere putant. Noster Senatus nec unguem latum cèssit a proposito pietatis itinere. Et hi, quorum instigatione creditur *Helvetios* quosdam subornari, vix hiscere sunt ausi, ut equidem audiot in Senatu. Scriba iste spurius [1] congerro soceri tui copiam loquendi cum petivisset, consulque negaret: audax tamen bellua ordiri quiddam fuit ausa, cum iam de respondendo esset manifeste deliberandum. Ibi defunctus Consul *Roestius* hominem accipère; verum antequam quicquam suarum versutiarum profudisset, sic est ceterorum quoque indignatione lapidatus, ut nisi, vehementer infelix sit futurus, discere merito debeat, non maledicere vel blasphemare. Nihil est vobis metuendum, quemadmodum ex literis nostris propediem disces. Furiosas istas tigrides, benigne, si veniant, potestis tractare, ne scil. aliquid dissidii apud vos pariant, nihil alias crudelitatem earum veriti. Salvos iube nostro nomine fratres omnes, uxorem, liberos, *Sertorium* et Ioh. *Gebentingerum*. Valc. Ex *Tiguro* 22 Sept. 1525.

Huldrichus Zuinglius, tuus.

Additamentum Primum.

GEORGIUS BINDERUS VADIANO S.

Non immerito quidem tam adversis rumoribus rerum nostrarum vos perculsos esse scribis *Vadiane* optime. Sunt enim, qui quum crudeliter agere non possint, quod ab aliis crudeliter actum aut dictum est, crudelius atque maiore atrocitate referant, ut Verbum Dei eiusque praecones et assectatores omnibus odiosos faciant. At nos contra decet semper imperterritos esse, ut qui soli Deo confidimus, atque utcunque ille nobiscum agat, semper recte agi. Verum plane noctuas Athenas, ut dicitur, ferre viderer, si Te, qui et verbo et spiritu doctior es, docere velim; hortari tamen licuit. Nunc itaque tragoediam omnem, ut ut actu est, nostris verbis referam.

---

[1]) Sine dubio *Ioachimus a Grüt*, inimicus Zinglii.

Duo sodales, alter textor, lanio alter, inter pocula secum convenerunt (id quod unus in fune confessus est): Zuinglio lapidibus fenestras perfringere, nimium gratificaturi quibusdam, quibus *Zuinglius* semper adversus est. Et post horam nonam in plateam ab Ecclesia dictam ut venerunt, coeperunt Custodem *Henr. Utingerum* excitare his vocibus: Ubinam es? exi, tu longe Haeretice! apostolus es instar ludae; ac deinceps inter maledicta alii sacerdoti picam in cavea fodicare ac discerpere. Tum *Zuinglii* fores pulsare ita inclamantes: Exi rufe Uli! Utinam te Dei terra perdat haereticum, furem, vulturem vitularium, vulturem Glaronensem, mundi corruptorem. O si crux te perdat! Tam crudeliter omnia, ut Erinnyas ac Furias ab inferis excitatas esse credideris etc. Ubi turba tua parva? De te fiet aeque ac de Baptistis. Omnia autem simulata voce, ita ut omnino agnosci non possent etc. Interea surgere Zuinglius ad ensem suum; viseré, an quis escenderit in aedes; quumque neminem offenderet, neminem volebat suscitare, cogitabundus, quantus exoreretur tumultus, si ipse aut alius auxilio clamaturus esset. Sic ipsi fenestrae omnes diffractae sunt. Tum hominibus: Quid, inquit, scelerati! vobis mecum? Si quid habetis mecum conferre: quin acceditis interdiu? Uno regerente: Putabam, te absque timore esse, sic respondit: Nec vero te timerem, si tecum in nemore forem opaco. Iste: Ergo descende! Zuinglius: Si probus esses, venirem. Ita iaciebant usque diris cum verbis et immanibus: „Vae, vae! Nihil integrum restat furi, ut non iam scribere quid possit. Interea nemo vicinorum ullam vocem edidit: nam omnes fere clerici sunt, partim invalidi, ita ut nemo prodire vellet. Ego quidem etiam loricam indutus venabulum arripueram; sed solus non audebam foras, admodum dolens eorum inclamationem: Ubinam tua parva turba? Sic sero tandem discesserunt vasta cum vociferatione, ita ut nemo non cogitaret de subsidiis, quibus freti essent, paratis. Prior quoque Thorbergae, in suo qui erat cubili, quum nihil haberet quod iaceret nisi cervicale: Zuinglius ad eum venit consolatum: ne formidet: his talibus adsuescendum esse. Quid multa? Zuinglius praesens animo fuit atque intrepidus. Postridie deprehensus alter in parvo dolio, quem in turrem latronum coniecerunt; alter per cataractam evasit. Reliqua, quae maioris ponderis erunt, in literis *Zuinglii* reperies. Ego occupatissimus sum in transferendo subsidio *Zuinglii*; volui tamen Tibi gratificari, quantum licuit. Vale in C. I. D. N. cum coniuge et liberis! saluta meo nomine fratrem tuum *Hieronymum*, sororem *Otiliam* etc. Cavete sectas!

Georgius Binderus, tuus.

Additamentum Secundum.

Felix Aberlinus confessus est, se Lunae die post Bartholomaei postremo circa tertiam horam pomeridianam in domum Zimmermanni ivisse ibique botulis farciendis commodasse operam; quumque *Petrus Schmid*, *Iacobus Grimm* et *Georgius Grimm* una adessent, cum iis deinde botulos comedisse. Circa horam nonam abiturientibus iis Iacobum Zimmermannum veterem hastam e plano suarum aedium sumsisse ac dixisse: se scire magnam caveam parorum, in qua pica haereret; an

habitum sit opitulari eam deturbaturo; ipsum addixisse. Posthac simul omnes abiisse atque ad Augustinianos venisse; dolium ibi positum evertisse Zimmermannum modo commemoratum; deinde pone S. Petri compitum processisse ad domum *Petri Schmidii*. Ibique dixisse: Eamus nunc factum, quod addixisti; se tacente iterum quaesisse, num praestare vellet, quod dixisset; ipso annuente ambos ante pontem superiorem circumflexisse; atque in plateam ecclesiae quum venissent: pro aedibus *Kraftii Oelhafen* suum sodalem hasta caveam deorsum raptare; ut vero non successerit, iurare Zimmermannum: Proh Dei vulnera et Dei passiones! Tu ruito! atrociterque impingere quinque certe ictus. Tum mulier foras interloqui admodum stomachabunda; itemque proximus accola. Atque ut *Zimmermannus* rectissima sursum praetercurrit: Nos, inquit, parva egimus; nunc magna moliamur! in lapides incidens, quos hasta eruebat, vel aliter tollebat, atque quam immodice tam dextre in Magistri Huldrici fenestras coniiciebat; seque desuper apud Hochholzeri aedes adstantem stabulo etiam duos iactus in muros fecisse, non amplius; Zimmermannumque turpissime maledixisse voce mutata. Quum autem Zuinglius foras compellaret indignabundus, ipsum dixisse Felicem: Utinam te vulnera Dei violent, rufe *Uli!* Zimmermannum verba horrenda iactasse, Zuinglium convitiando haereticum atque Glaronensem vulturem vitularium; ipsum autem pro sua parte plus tribus vicibus non deierasse, tam temulentum quidem, ut non posset verba reddere, praeterquam, quod dixerit: O si vulnera Dei omnes sacerdotes interimant! Nullum omnino aliud consilium fuisse; quae ipse et Zimmermannus inter sese convenissent, ad caveam solam spectavisse et pertinuisse, nihil amplius. [1]

XXVII.

DUX ULRICUS WIRTEMBERGENSIS [2] ZUINGLIO S.

Vir conspicue, dilecte, aestimatissime! Nostro ab epistolis, *Ioanni Karnmesser*, latori praesentium, in mandatis dedimus, ut nostro nomine

---

[1]) Haec additamenta vernaculo sermone subiungere pretium non est.

[2]) Dux *Ulricus Wirtembergae* inde ab initio imperii sui multos per annos societatem habebat cum Helvetiis confoederatis. Quum propter tyrannicam dominationem ac praecipue propter caedem *Ioannis ab Hutten*, magnatis ipsi ab aula, imperator foedusque Suevicum inferrent bellum: successit Huldrico, ut 10000 Helvetios nulla concessione magistratuum in suam conduceret militiam; sed ii summa cum severitate revocantur. Praesidio destitutus unico expugnatur eius ducatus, et Ulricus Solodurum confugit, ubi propter Montem Belicardum in civitatem erat adscitus. Austria occupavit eius terras, ita ut nil nisi separatam ditionem Montis Belicardi retineret. Pars Confoederatorum quum haberet in animo expeditionem facere ad restituendum ipsi Ducatum: a ceteris Cantonibus impediti sunt. Anno 1521. iterum obtinuit, ut contra interdictum magistratuum exercitum compararet. Dux reformationem amplectendo sibi amicos impetraverat. Etiam Zuinglius, qui Ducem abhorruerat, ei favere coeperat; attamen suppetias acriter dissuadebat. Exercitus Helveticus probe aberat, ut urbe capitali, Stuttgardia, potiretur; sed quum, ut prius per Comitia domum revocarentur: Duci denuo necessitas obtigit,

nonnihil Vobis nuntiet, gratiose petentes, ut ei hac in causa fidem tamquam nobis tribuatis propensosque Vos praestetis. Cui officio gratiose vicem rependemus. Duellii. Die Martis post Michaelis. 1525.

Ulricus, Dux Wirtembergae.

Inscriptio: Viro conspicuo, nostro dilecto, praecipuo Domino Huldrico Zuinglio, Praedicatori Tigurino, Ulricus Dei gratia Dux Wirtembergae.

27.

Herzog Ulrich von Wirtemberg an Zwingli.

Unsern Gruss zuvor, Ehrsamer, lieber, Besonderer. Wir haben unserm Secretari, Hansen Kornmesser, Zeiger dieses Briefs, Befehl gegeben, etwas von unsertwegen Euch anzuzeigen, gnädiglich begehrend, ihm diesmahl gleich uns selbst Glauben zu geben, und euch in solchem gutwillig erzeigen. Das wollen wir gnädiglich gegen euch erkennen. Dat. Twiel Zinst. nach Michaeli. 1525.

Ulrich, Herzog zu Wirtemberg.

Ueberschrift: Dem Ehrsamen, unserm lieben besondern Herrn Ulrich Zwingli, Prädicanten zu Zürich. Ulrich von Gottes Gnaden Herzog zu Wirtemberg.

XXVIII.

F. GEORGIUS PONTANUS [1] ZUINGLIO.

In perpetuum salve, praeco veritatis altissimae! Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, cui iuxta copiosam suam miseriam complacuit per te, dulcis Frater *Huldriche*, quam plurimas animas, quae dudum in tenebris ambulabant, Evangelio eiusdem Filii sui ad lucem veritatis reducere, et ad semitas aequitatis, per asperas vias impiae conversationis prius oberrantes, misericorditer revocare. Inter quas et animulam hanc miseram, quam Satanas alligavit, nedum annis decem et octo, verum plusquam triginta et octo post te, veldti medicum opportunum (quondam alias sibi non vulgariter notum) suspirare et clamare fecit, cuius tamen curam, prout opus haberet, assequi se posse, non sperat. Ita vias sibi undique circumseptas intuetur misera. Quid causae sit, solus idem novit, qui renes probat et corda, cuius iudicia abyssus multa, quique terribilis est in consiliis super filios hominum. Olim, dum medela parabatur, declinabam; modo, cum maxime necessaria

---

cedendi suis finibus. Attamen interea semper cum Helvetiis rationem communicabat reformatis, auxilium eorum affectans Zuingliique praesertim hanc ob causam amicitiam expetebat. Ulricus 1534 demum Philippo Landgravio Hassiae opitulante suos fines recuperavit atque tum continuo reformationem introduxit.

[1] Sine dubio hic *F. Georg. Pontanus* in coenobio Carthusianorum *Basileae* est idem qui scripsit Chronica sui temporis. Lectitabatur hoc in coenobio N. Testamentum cum Lutheri scriptis. Bibliothecam quoque habuit non exiguam. (Kirchhoferi H. E. II. 356.)

esset, tam remota videtur, ut eam adipisci nullatenus concedatur. Verum, etsi verbum salutis prope sit in ore, et in corde meo, quid si tanta sit cordis et oris contritio, ut nec praesentissimo verbi remedio quis eam alligare possit, aut curare praeter eum, qui, cuius vult, miseretur, et quem vult, indurat. Ita sane deploratae sum aegritudinis, ut etiamsi medicus quispiam adesset experientissimus, prius de salute praestanda desperaret, quam consuleret. Verum tamen, quando morbum agnosco, et de tuis consiliis, o peritissime, nihil addubito, ne tibi videar illudere: brevibus summam aegritudinis ceu fido consultori pandam. Scis, mi Pater, quid religiosis huius seculi iam dudum imposuerit, quo se putabant nimirum poenitentes, cum tamen essent supra modum in Deum et legem eius sanctam continue praevaricantes, et peccatores coram Domino nimis. Putabant se suis institutis sanctificandos, cum tamen abominabiles essent coram Deo, ceu pannus immundus. Breviter, putabant se castos et continentes, cum essent, ut scis ipse, quales. Nec enim sane te latet morbus illorum hac parte gravissimus. Intelligis nimirum, quid me torqueat. Quod si nondum plane: roga, quaeso, confratrem quondam ordinis nostri, D. *Nicolaum Feurstein*, qui deserta pastorali cura Domus Portae montis, ad te, ceu suum patronum nuper confugiens ad ea, quae sibi tum potiora videbantur, intrepidus, ac (ut spero) fide plenus, se semel accinxit. Ecce is tibi de me referet, quae sentiat; et quid illi modo scripserim, etiam tui causa. Quapropter, ne te diutius barbariè mea gravem, diligenter oro te per eum, qui te sibi dignatus est eligere in communem orbis utilitatem, ut epistola saltem brevi tuam erga me testeris charitatem, et quid iubeas fieri, certiorem reddas. Tametsi parere forsan non concedatur illico; vias tamen exquiram, quibus tandem hisce gravaminibus tantisper absolvar, iuxta Dei placitum, et tuae sollicitudinis consilium integrum. Tandem utens Divi Paulini verbis ad aeque Divum Augustinum sic oro: Deus misereatur mei per orationes tuas, et illuminet vultum suum super me per lucernam verbi tui, sancte frater, in Domino Christo unanime, Magister meus in fide veritatis et susceptor meus in visceribus charitatis. Amen. Ex *Eremitorio Carthusiano Basileae minoris*, mense Septembr. 1525.

F. *Georg. Pontanus*, Nicodemianus Pharisaeus.

Inscriptio: Eruditissimo scribae legis Dei coeli, M. *Huldricho Zuinglio*, *Tig.* Eccl. concionatori famosissimo, nec minus integerrimo fratri.

XXIX.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Gratia et pax in Deo. Mi frater! Mitto hic arrogantiam *Balthazari* patroni Anabaptistarum, ut pessime illos habeat hoc nomen. Quid sunt enim aliud? Sollicitus eram, ne fortassis aliquandiu a Te absconderetur: nam et alii quidam diu hic habuerunt, antequam mihi oblatus est, librum illum. [1] Tu pro fide ac sollicitudine tua respondebis homini.

---

[1] Hubmeierus „De Baptismo Christiano Fidelium," cui occurrit eo libello, quem inscripsit: „de Dr. Balthasaris libello Baptismali."

Vellem tamen quam brevissime fieri posset. Mihi caritatem negligere videntur, quae interpretatur quid observandum in externis. Insuper et *Pomeranus* [1] echeneide quadam multos morabitur in re Eucharistiae, cui fac, oro, per alium respondeatur, si Tibi non vacat, sed non ampliori libello, quam ille, ut prolixitate lector non avocetur. *Claudius Cantiuncula* longa epistola et summa rhetoricatione persuadere conatus est *Erasmo*, ut adversum nos scribat. Quid facturus sit, ignoro. [2] Urgent eum et alii. Itaque satis nobis erit negotiorum. Dominus adiuvet nos. Si quid me facere volueris, significa. Vale. *Bas.* 2 Oct. 1525. Saluta fratres.

Tuus *Oecolampadius.*

XXX.

DIEBOLDUS A GEROLDSECK ZUINGLIO.

Gratia Iesu Christi perpetua sit Vobiscum, Magister dilecte Huldrice! Oeconomus noster Tiguri Vobis meas litteras, quas ad eum aliosque oeconomos dedimus, Vobiscum communicabit. Velim ea in re agatis pro nostra fiducia, ut apud Vos degere possim sub meis Dominis Turici, atque ibi audire almum verbum Dei. A meis fratribus habeo satis auxilii, iisque suppetit facultas dandi: melius se habent quam unquam, quod opes terrenas et honores attinet. Deus faxit, ut ad eius voluntatem insumant. Ad Commendatarium [3] scripsi hospitii causa. Velitis oro meo Domino Consuli Roeustio et aliquot aliis Dominis meis propositum meum indicetis, ac meo nomine rogetis, ut ne aversemini, sed apud meos probos aedis sacrae famulos me habitare sinant in territorio ipsorum. [4] Sic me geram, Deo volente, ut ipsis placebit. Me certiorem facite, qua sint voluntate, quamvis placida et benigna quaeque ab iis sperem vel potius prospiciam. At meus frater [5] vobis triste fatum auguratur mihique vobiscum apud vos habitanti. Id quod est in Dei manu; pro suo arbitrio fiet. Francisco [6] scripsi quemadmodum oeconomo. Litteras, si lubet, resignetis! De Evangelio quid scribam? Messis multa; operarii pauci etsi sint, non tamen docent ad aedificationem, sed potius destruunt. *Marchio de Baden* et Germanus eius Christum diligenter promovet, et nullum ad docendum admittit, nisi exacte perscrutatus an idoneus sit vel non. Permittit etiam Pastoribus contrahere matrimonium. Bene vale. Salvos dic fratres in Christo et uxorem tuam. Dic me venturum, ut servet mihi promissa, sana conscientia. Datum feria 2da Michaelis 1525.

Dieboltus, Dominus a *Hohengeroldseck et Sulz*,
Conventualis Eremi et tandem scindularius.

Inscriptio: Christ. Viro Ulrico Zuinglio Pastori Tig. fratri suo in Christo dilecto.

---

[1]) Vid. supra Epist. XX. [2]) *Capito* ad Oecol. 27. Oct. scripsit: „sese *Cantiunculae* scripsisse melioraque sperare de eo.“ [3]) *Schmidius* Kussnaci. [4]) Responsum est eius optatis: Aedes oeconomicae Coenobii *Einsidlensis* Tiguri domicilio ipsi concessae sunt alimentoque reditus aliquot coenobii ex agris Tigurinis. [5]) *Gangolfus.* [6]) *Zinkius.*

30.

Diebold von Geroldsek an Zwingli.

Die Gnade Iesu Christi sey allezeit mit Euch, lieber Mstr. Ulrich. Der Ammann zu Zürich wird Euch mein Schreiben, das ich ihm und andern Amtleuten gethan, lassen lesen, da wollet Ihr in (darin) handeln nach meinem Vertrauen, dass ich möge bey Euch seyn unter M. Hrn. von Zürich und da hören das treffliche Gotteswort. Ich habe von meinen Brüdern genug Hülf und sie vermögen auch, mir zu geben. Es steht bas nm sie, dann je, zeitlichen Guts und Ehren halb. Gott gebe, dass sie es nach seinem göttlichen Willen brauchen! Ich hab dem Commenthur geschrieben um Herberg. Ich bitte, Ihr wollet meinem Hrn. Burgermeister Rösten und etlichen andern meinen Hrn. mein Vornehmen anzeigen und sie von meinetwegen bitten, dass sie keinen Unwillen wollen ab mir haben, damit ich möge bey meinen biedern Gottshausleuten seyn in Ihrem Gebiet. Ich will ob Gott will mich halten, dass es Ihnen gefallen wird, und lasst mich wissen, was Willens sie seyen. Ich versehe mich sonst aller Gnaden und Guts zu ihnen; aber mein Bruder vermeint, Ihr werdet ein bös End nehmen und ich mit Euch, so ich um Euch wohne. Das steht nun zu Gott, der wird es machen wie es ihm gefällt. Ich habe Franzen geschrieben, wie den Amtleuten; möget die Briefe aufthun. De Evangelio quid scribam? Messis multa; operarii pauci etsi sint, non tamen docent ad aedificationem, sed potius destruunt. *Marchio de Baden* et Germanus eius Christum diligenter promovet, et nullum ad docendum admittit, nisi exacte perscrutatus an idoneus sit vel non. Permittit etiam Pastoribus contrahere matrimonium. Bene vale. Salvos dic fratres in Christo et uxorem tuam. Dic me venturum, ut servet mihi promissa, sana conscientia. Datum feria 2da Michaelis 1525.

Diepolt, Herr zu Hohengeroldsek und Sulz,
Conventmönch zu Einsiedeln, et tandem Schindlenmacher.

Inscriptio: Christ. Viro Ulrico Zuinglio Pastori Tig. fratri suo in Christo dil.

XXXI.

ZUINGLIUS VADIANO.

Gratia et pax a Deo. Narrabit ex fide, ut arbitror, quae cum illo commentati sumus, *Christianus*[1] noster, quem hercle virum bonum esse arbitror, vel hoc argumento, quod tam probe perfert, quae illi creduntur. Promiseram vero nuperis Literis, ubi tutum latorem nanciscerer, quaedam scripturum, quae non temere possint omnibus committi; ea Tu ex *Christiani* sermone auguraberis, quem cum illo miscui. Ac ne Tibi aliquid desit, si forte memoria eius non sufficeret, mone illum, ut memoret, quae nos de literis et imperialibus civitatibus retulimus; et quae de Principum ac Nobilium rapacitate quo tandem eruptura sit; postremo

[1]) *Friedbold.*

quae de insulis Aegyptiacis h. e. de domibus muro cinctis inundante Nilo etc. Colliges autem syncretismum nos tenere debere, etiam si instrumentis non liceat, tamen fide. Malo enim foedus quod fides servat, quam quod cum membranis putrescit, beatioresque sunt amicitiae, quae fide durant, quam ad quas instrumentis cogimur. Unde nobis apud nos omnia secura et integra esse non potestis ambigere: nos enim una eademque fides coniunxit. [1] Monuimus, ut ubicunque possit, hostis nostri Diaboli arma auferantur, h. e. ut ea aboleantur, quae contra Deum extructa sunt. Scribo nunc responsionem ad epistolam *Bugenhagii Pomerani*, quam ille imprudenter nimis contra nos effudit. Id ubi absolverimus, adv. *Balth. Waldshutanum* accingemur, qui stolide nimis Baptismum Infantium et Ἀναβάπτισμον adultorum tractat, cum multa S. Literarum iniuria ac violentia. Insimulant *Wittembergenses*, superciliosum genus hominum, *Sertorium* nostrum, quasi conditiones sive articulos seditiosorum agricolarum finxerit, quod ego in literis ad *Froschoverum* inde missis vidi. [2] Sed fortasse nihil interierit, revellere istorum falsam opinionem. Medentur nunc omnes intempestivae furiosaeque *Lutheri* invectioni, qua bis infelices homines non modo insectatus est aut proscidit, sed atrocissimis belluis obiecit. [3] Scripsit enim *Melanchthon* lingua germanica adversus eorum articulos *Luthero* nimirum advocatus. *Oecolampadius* proximis literis monuit, ut calamum in procinctu habeam: satis enim eorum futurum esse, qui contra nos de Eucharistia scribant. Ego contra iussi intrepide stare, etiamsi monitore non habet opus. Christiana res apud nos eodem semper in statu est. *Cunhardus Grebelius* cum *Gregorio* isto, [4] motae mentis homine, *Grüningae* captus est, ac in nervum coniectus; quaesivit semper malis avibus bene ingeniatus aliquam tragoediam, nunc nactus est. Faxit Deus O. M. ut nihil eius verbum offendatur: nam quidam soceri tales sunt, ut non modo parum spei, sed etiam parum fidei illis tribuam. Vale. Ex *Tiguro*. XI Oct. 1525.

Huldrichus Zuinglius.

XXXII.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Salve in Christo, mi frater! Etiam nobiscum res eodem in statu manent, nisi quod *οἱ ἄρχοντες καὶ φαραωνες* indies magis ac magis obdurantur. Alunt certe aliquid, sed quid poterunt contra extentam manum Domini? Nos illis contemptibiles, nec cogitant cuius agamus negotium. *Erasmum* certum est scribere *περὶ ἐυχαριστίας*. O miserum, quam infeliciter calamo adversus *τὴν ἀλήθειαν αὐτῷ φανερωθεῖσαν* pugnabit. Videor iam mihi videre, quibus argumentis rem sit aggressurus. Tu cura, ut quam primum habeamus ea, quae *Pomerano* respondisti.

---

[1]) Hic apparet facile semen foederum cum civitatibus Germanicis pro libertate in rebus civilibus et sacris tutanda. [2]) Conf. Epist. IX. [3]) Scripta illa Lutheri sine fine et modo seditiosos rusticos proscindentia. [4]) Verosimiliter *Georgius Blauroccius*.

Victoriam enim certam polliceor nobis. Audio fratres *Suevos* eo libello confirmatos strenue clamare; proinde ora illorum prius obstruenda quam Anabaptistarum, quos rectius iuxta *Nazianzenum* καταβαπτιστὰς dixeris. Hi enim, uti sordidiores in angulis clamant, illi vero super tecta, insignes Sophistae, imo non Sophistae, sed arrogantissimi Thrasones, verbis quam manu pugnaciores, quorum proprius character contemnere ac ridere, quae confutare nequeunt. Vale. Basil. XII Oct. 1525.

Tuus *Oecolampadius.*

XXXIII.

IOH. RHELLICANUS [1] ZUINGLIO.

Salutem et conscientiae pacem a Domino nostro Iesu Christo. Tertium iam ad Te scribo, doctissime *Zuingli*, idque super una duntaxat re, ita ut verendum esset, ne Tibi nauseam parerem, nisi tua insignis humanitas et dexteritas iampridem mihi innotuisset, qua equidem fretus non dubito, quin haud gravatim et hasce literas lecturus sis, praesertim quod non temere, sed summa et tantum non Diomedea necessitate coactus, et hactenus scripserim, et in praesentia scribam. Quod vero nunc tertium scribo, id in causa est, quod ex hesterno colloquio tuo intellexi, fieri vix posse, ut Linguarum docendarum munus mihi obtingat; propterea quod hebr. Linguam tantum degustarim, et tametsi graecam utcunque didicerim, me tamen Prophetiae ministerio, quo Tu nunc in LXX Interpretibus enarrandis fungeris, imparem esse; quae sane vera esse agnosco. Ceterum quod me ad praedicandi munus adsciscere curas, studium quidem tuum erga me pergratum est; verum ea provincia mihi non admodum convenire videtur, dum eam apud animum meum pensiculatius expendo. Gravi enim viro, et in div. Literis exercitato opus habet, qui *ψευδαποστόλων* rabida ora obturare possit: horum enim numerus nunc magis ac magis augescit. Atqui quum ego *νεόφυτος* sim, furiosis istis *λογομαχίαις* par esse nequirem. At dices: quid igitur de Te fieri velles? Bonarum Literarum professorem; idque hoc modo fieri posset, si *Myconius* Tibi succederet in LXX Interpretibus explicandis, praesertim quum tot negotiis districtus sis, ut huic rei, quae proprium laborem requirit, satisfacere nequeas; et ego in *Myconii* locum surrogarer. Tum, inquam, apta provincia utrique demandata esse videretur. *Myconius* namque, cum doctus tum gravis vir, indignus est, qui perpetuo pueros elementa literarum doceat, et scholarum pulveribus obruatur, [2] dignus vero et idoneus, qui huic provinciae praeficiatur, propterea quod cum in profanis, tum in S. Literis ita exercitatus sit,

---

[1]) *Ioannes Müllerus*, a loco natali, *Rellikon* in agro Tigurino, *Rhellicanus* cognominatus 1495. lucem vidit, litteris operam dedit 1517. *Cracoviae*, 1522. *Wittembergae*, ubi plura scripta Lutheri latine reddidit Gallorum gratia. Unus de poëtis sui aevi melioribus fuit ac philologus. Aliquamdiu magister Monachorum Lithopoli, a 1528—38 professor linguae Graecae et Philosophiae Bernae; a 1538—41. inspector alumnorum Tiguri, tandem pastor Biennae, ubi recens ab adventu obiit. (Wirz, Hottinger.) [2]) Myconius tum scholam Monasterii feminarum Tiguri moderabatur.

ut Evangelium non solum in ore habeat, sed etiam vivat. Quo fit, ut et magnam apud omnes autoritatem habiturus esset. E diverso mihi volupe esset, si adolescentulos utriusque literaturae rudimentis, bonisque moribus instituere deberem, donec et ipse ad prophetandi vel praedicandi munus idoneus fierem: si quidem et aetas et indefessum bonarum literarum studium interim eloquentiorem ac eruditiorem me redderent. Atque haec est caussa, cur nunc Tibi scribere instituerim: saepe namque volui, eandem rem coram Tibi referre, sed in hunc usque diem oblitus sum. Tu fac consilium meum, non omnino pessimum, eo animo accipias, quo Te accepturum speramus, nempe ut proverbii istius memineris: Saepe etiam olitor fuit opportuna locutus. Postremo Te per christianam charitatem oro et obtestor, ut mei curam habeas, quantum per publica tua negotia licet. Nam nisi brevi mihi prospectum fuerit de docendi provincia, literas deserere cogar, dura necessitate, et cognatis meis urgentibus. Hi enim nunquam non hoc mihi obiiciunt: Plus quam dimidiam patrimonii tui partem in literis discendis absumpsisti, nec ullus adhuc disciplinandi finis est, etiam si videas, nisi ollas et cucurbitas lippias, nullam tui rationem haberi in eligendis literarum professoribus. Quin igitur Te ad mechanicam artem applicas, unde victum Tibi pares. Ego interim nihil habeo, quod respondeam, quam quod dicam, Dominum mihi hactenus prospexisse, et porro prospecturum esse. Vale. *Tig.* ex Museo nostro XIII die Oct. 1525. ad lucernam.

Tuus, *Ioannes Rhellicanus.*

Inscriptio: Huldr. Zuinglio Tigurinae Ecclesiae Archiepiscopo.

XXXIV.

LUDOVICUS HÄTZER ZUINGLIO.

Gratia et pax a Deo nostro. Audio Te *Pomerani* argumentis respondisse,[1] *Zuingli* carissime. Reliquum est, quod magnopere exspectamus, quid nobis dederis. Expectant nobiscum multi fratres *Augustani*, ut ipsi habeant, quod dicant. Facile enim non credis, quam insaniant, quanta tyrannide doctores illic saeviant in diversum, at cum Christo, ab ipsis sentientes. Quorum clandestina malitia me exulem fecit. Necessarium fore iudico, ut responsio tua a quopiam transferatur ad nostram maternam linguam: nam me ab *Augusta* abeunte editum est et *Pomerani* epistolium vulgare a D. *Steph. Kastenbor* versum. Ego iam adminiculis *Oecolampadii* verto ea, quae „de genuino Verborum Domini sensu" perscripsit. Estque quod timeam quippiam in nomen *Regii* peccatum mea negligentia, quod me certe angit. Ita enim propitio Christo nostro instituam vitam, ut merito me culpare aut deferre nemo possit. Vale et vive cum tota Ecclesia et familia tua. *Bas.* XVII. Oct. 1525.

Si Tibi non grave foret, rescriberes vel saltem duo amica verbula.

Lud. Hätzer, Tuus, ut vis.

Inscriptio: Huldrico Zuinglio, Maiori et Fratri suo. Tigurum.

---

[1]) Conf. Epist. XXIV.

XXXV.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Salve mi frater! *Erasmus* certo scribere dicitur. *Ambrosium* de Sacramentis, ut persuadent *Frobeniani*, commendabit, quem ipse nunquam pro Ambrosii libro habuit. Quid si per opportunitatem et Tu convinceres illum non esse eius autoris, cui dissimillimus est. At quid si etiam aberrarit? Multi se nobis opponent, quantum intelligo; proinde magna fiducia in Dominum alacriter ad ea, quae ante nos sunt, procedamus. Mitto Tibi *Nordlingiacensis* [1] literas, qui aliquanto mitigatior videtur, tametsi nescio quid suboleam. *Tertullianum* vult suarum partium. *Strussius* vult missas faciamus hominum doctrinas, quasi vero illis potius, quam Verbo Dei, credamus. Fac, ut quamprimum habeam ea, quae *Pomerano* respondisti. Nam et nos unum atque alterum excipiamus iratorum istorum, ubi in lucem prodierint. *Lud. Hetzerus* Te salutat. Vertit librum nostrum. [2] Id quod non iussi nec prohibui. Approbabo tamen, si quidem adversariis molestum erit, quod populo fumos suos prodi vident. Fortassis apud vos curabit excudi. Nollem tamen publice divulgatum, quod domi meae transferatur liber. Vale bona spe Domino serviens. Bas. alt. post Galli (16 Oct.) 1525.

Tuus *Oecolampadius*.

XXXVI.

CONRADUS (KUNZ) LUCHSINGER ZUINGLIO. [3]

Gratia, pax et misericordia a iusto parente nostro sit nobiscum. Amen. Quod Vos, Magister Huldrice, vir amicissime, existimare possetis, ultimum discessum a vobis insalutatum, non in malo est: nam veteres fratres Vobis tenebo. Quod contra nullus diabolus valebit. Idem credo Vos facturos. Alterum de Rhellicano cognoscetis ex ipso. Tertio de disputatione Claronae gratias ago Deo. *Rudolfum* quod attinet, scripsi ad ipsum, ratus, hoc satis esse. Et quidquid vobis triste et odiosum, similiter mihi accidit; quod vobis iucundum, id mihi non secus est. Quantumvis optabam, ut duos tresve dies apud me essetis (nam Vos multum boni efficeretis): veruntamen non consultum videtur hoc sustinere. Metuo recidivum conflictum. Haud lubet Vobis multa scribere. Scio nimirum huiusmodi scripta evolare. Meam mentem probe nostis, nihilque in me vos latet. Sed pro vestris litteris non satis prae gaudio gratias agere possum. At vero noster Hilarius aegre in cellam vinariam descendit; quod non pro foribus coenaculi reperit, ulterius id non petit. Gratia Dei Vos non destituat; estote constantes! Praestat

---

1) *Billicani*. 2) De sacramento Eucharistiae. De vero, naturali intellectu verborum Christi: „Hoc est meum corpus," secundum vetustorum Patrum explicationem. Scriptum D. *Io. Oecolampadii*, vernacule redditum a *Lud. Häzero* 1526. Tiguri apud Froschoverum. 3) Haec epistola et XXXVII, latine redditae, tanti non sunt, ut etiam vernaculo sermone, quo scriptae sunt, proponantur.

pugnare quam aegrotare. Nihil amplius praeter hoc: nolite deesse leviro meo *Andreae*, eiusque uxori et familiae, et monitis et consuetudine Vestra. Est fratris probi instar mihi, cuius beneficia Deus remunerari velit. Salutate eum meo nomine, suam coniugem et Vestram, Grimmium, Iostum, Hilarium cum sua uxore etiam supra modum; quae Vobis omnibus curae sunt, mecum communicate! Deus sit cum nobis omnibus! Dabam *ad Lapidem*, die Sabbati post Galli. 1525.

Salutem a me dicite *Henrico Utingero*, Nobili Rudolfo — — — Uxor mea Vos cunctos, ut supra dixi, impertit salute plus sexcentupla. Hoc praesto Vobis.

Vester servus, ut supra scripsi, *Conradus Luchsinger*.

Inscriptio: Pio Magistro Huldrico Zuinglio, Concionatori Verbi Divini Tiguri, amicissimo suo et fideli fratri.

XXXVII.

CONRADUS SCHINDLERUS ZUINGLIO.

Nostram salutem et officiositatem amice praefamur, magister dilecte Huldrice! Sicut Vobis scripsimus de Matthia, sacerdote caremus adhuc, nosque ambit haec femina, praesentium latrix, nomine eius mariti, cui nomen *Urbanus Wyss Eglisoviensis*, civitate *Vitoduranus*, nostram sollicitans praebendam. Quocirca Vestrum expetimus consilium. Si censetis, eum sufficere nostris desideriis: nobis eum conciliate, ac rei nos certiores facite in diem solis post Michaelis proximum. Idoneum nos ei victum praebebimus. Omni tempore nos vobis commendatos habetote.

Scribebam *Conradus Schindlerus* et universa paroecia, quae est in *Mollis*, terrae *Claronensis*.

XXXVIII.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO [1]

Gratia et pax in Domino, mi *Zuingli*. Circumfertur epistola quaedam *Erasmi* nomine, nondum tamen typis excusa, qua expostulat cum amico arcani proditi, oratque sibi Christum parum propitium, si opinio illa de Eucharistia, quam nos asserimus, animo suo insederit; [2] et si qua volatilis cogitatio mentem eius tetigisset, quod potuerit facile discutere, considerata caritate Dei et perpensis div. literis. Obiicit nobis *Lutherum*, qui et ipse Ecclesiam catholicam in hoc reveritus. Stupeas rationes vocat, sublatam carnem, ne esset offendiculo, non adorasse Apostolos. Literas divinas pro se stare, dum dicunt: Hoc est corpus meum etc. Ubi legunt, inquit, isti: Hoc non est corpus meum, sed signum corporis mei? Quum maxime nos torqueamus, aegre doceamus

---

1) Confer. epist. 41. 2) *Erasmus* de *Oecolampadii* scripto censuit in epistola ad *Michael. Budaeum*, Episcopum Ligonensem, in hunc modum: „Exortum est novum dogma, in Eucharistia nihil esse praeter panem et vinum. Id, ut sit difficillimum refellere, fecit *Oecolampadius*, qui tot testimoniis, tot argumentis eam opinionem communiit, ut seduci posse videantur etiam electi."

ex aliis locis rei vocabulum accipi posse pro signo rei; stulte autem arguamus: Sic accipi possunt haec verba; igitur sic accipienda. Frustra citare nos dicit veteres ac orthodoxos, quorum dicta involvamus, fucemus, torqueamus quum nullum locum citemus, qui non palam loquatur, ibi esse corpus domini. Unde infert: Quare deficeret ab Ecclesia catholica? Haec ferme in illius epist. verba sunt, quibus facile poterimus respondere, ubi locus postularit. Volui tamen et Tibi significare. Non ut hominem traducas: expectandum enim, donec sua se voce prodat sorex; et disperguntur haec inter amiculos. Ceterum non dormitant adversarii, sed omnia attentant quae Senatus *Basileae* in nos exasperent, alioqui non adeo propitium. Ego nuper accusatus sum multo vehementius quam unquam. Delecti sunt *Erasmus* et *Berus* e Theologis; *Cantiuncula* et *Amorbachius* ex Iurisconsultis, qui libelli mei censores, et eam ob causam Magistratus illos nuper interpellavit. *Erasmum* ferunt graviter tulisse: vellet enim huic negotio non involvi. Ceteri per se satis animati sunt, et calcare non egent. *Glareanus* maledicendo strenuum Christianum se praestitisse credit. Quidam ex amicis arbitrati sunt: subducam me aliquantisper; [1] mihi nihil minus in animo est. Proscribant oportet, vel officio destituant; alioqui haerebo, quam diu concedet Dominus. Porro et Tu hilari, ut soles, animo sis semper. Numerati sunt pili capitis nostri, et, quid inquam, numeratae erant et setae porcorum, in quos non audebant ingredi daemones, nondum permittente Domino. Arbitrio Christi, qui nos redemit, vivemus et moriemur. Ferme langueo desiderio responsionis tuae in *Pomeranum*. Fac, oro, ut proximo die habeamus. Gloriantur enim eo libello etiam hi, quibus non patrocinatur. Salutat Te *Hetzerus*. Vertit librum nostrum de Coena Domini, quem typographo *Christophoro* concrederet, si illi foret integrum excudere et in vernaculo communi nostro, quemadmodum ille vertit. Affuturus et advigilaturus ipse esset. Vale. *Bas.* 22. Oct. (1525.).

Tuus *Oecolampadius*.

XXXIX.

BLASIUS FARER ZUINGLIO PRAEDICATORI TIGURINO.

Gratiam, misericordiam et pacem largiatur nobis Deus per Iesum Christum, Dominum nostrum. Nuper tibi pollicitus eram, frater dilecte! apographum iuris, quod *Toggio*, comitatui, cum *Suitentibus* et *Glaronensibus* intercedit; quod nunc mittebam per hunc tabellarium, nomine *Cunhartum Clauserum*, scribam publicum *Vallis Thuranae*, qui etiam unam cognatarum tuarum de stirpe *Zuinglina* matrimonio habet. Hunc, frater dilecte! excipe cum omni lenitate: nam sese fideliter gerebat in evangelio Christi. Auxilium quoque et consilium praesta in suis causis, quas tibi certe enarrabit. De negotiis, quae nunc inter nos

[1] *Capito* ei suas aedes perfugio, Tigurini autem professionem Hebraicam obtulerunt. (Hess, Oecol. 116 sq.)

aguntur, non habeo scribere multa praeter quod nuper semel sinistre res cessit, in consessu senatus contra evangelium propter formidinem *Suitensium* et *Glaronensium*, ita ut animos inducerent ad omnia in pristinum usum restituenda. Sed tamen discordia inter eos extitit tanta, ut nonnulli discederent interesse nolentes, ubi quid contra Dei verbum aperetur. Rem itaque retulerunt ad parochias, ut ad quas negotium pertineret in tabellis a Suitia et Clarona missis. Tum parochiae uno consensu statuerunt in verbo Dei manere, atque rogarunt simul Senatum: ipsos scire, ut ante annum omnes pastores convocarint atque iniunxerint verbum Dei praedicandum; quidquid cum V. et N. Testamento approbare possint, in eo ipsos perseverare velle, tueri, viriumque et facultatum impendio propugnare. Quod si senatus hodie aliud et aliud crastino constitueret, sese non toleraturos esse. Videant, quam bene hoc iis conveniat. Haec igitur sententia ad senatum postremo habitum relata est, atque opus rursus promovit Deo iuvante. Quamdiu autem per duos pagos nobis pacatis esse liceat, equidem nescio. Sunt homines in numero nostrorum magistratuum aequo circumspectiores. Si non Deus ecclesias confirmet, vereor, ut non pagis omnia concedantur postulata. Sed tamen nunc nobis quod dixi responsum contigit: omnia secundum verbum Dei modice tractanda esse, sive Missae ritus sive alia. Missa enim in quatuor parochiis abrogata est, idque voluntate parochiarum. In omnibus non licet ob inopiam verbi Dei; si Deo placet, in posterum etiam tempore obtinebitur. Sacri panis quoque non iam cum tintinnabulo et ostentatione ad aegrotos processio est; quapropter a Suitensibus et Claronensibus obiurgamur. Hoc autem omittitur, non quia ministri circumgestare nolunt sed populus per Dei virtutem sic institutus est, ut sciant, in externo nullam constare salutem, non ecclesiam Dei et Coenam Domini contemnentes; verum eam magnifaciunt atque optant nobis perpetuo celebrari. Quocirca etiam etiamque consultum, abs te scriptum, flagitamus, ut res institui debeat. Vestram formulam legi, mihi admodum placitam; veruntamen ne sic quidem introduci potest in omnibus comitatus nostri parochiis ob eam, quam modo audisti, causam; exorsuris autem certamen magnum propositum esset. Nihilominus in spe sum fore, ut ceteri quoque ex tam christiana sanctaque meditatione et gratiarum actione commoveantur ad veritatem recipiendam. Unum restat, quod me sollicitum habet, et tolli vix potest propter carnis imbecillitatem Deique inscientiam; nempe hoc: Deus nos afflixit pestilentia, in qua homines tam male christianas opiniones horroremque habent, ut difficile dictu sit, quam sinistre sentiant de fato divino, haud intelligentes, nostrum esse omnibus horis desiderare, ut carne levemur atque ad Deum demigremus. Quamquam scio, carnem non eo pervenire posse, cui mors est terror; id quod ipse satis sentio. Interea probe perceptum habeo, nihil rerum humanarum accidere praeter fatum Dei quam quidem sententiam pauci tota mente amplectuntur, dum opinantur ab homine homini obvenire, vel adeo a Satana; unde omnipotentia Dei in nobis extenuatur. Nam quod vita impertiit (sine eo nihil quoque vita praeditum est), hoc idem quoque rursus interimet, si placuerit, sive hoc sive alio leto. Ex hac ignoratione Dei nonnunquam

fratres inopia solatii ab hominibus laborant; et qui in Dei ratione et lege fortiter manent, quamvis vehementissime Deus carnem afflictet, ab aliis male vituperantur, iisque crimini nefario ducitur aegrotos visere et consolari. Quod mihi, frater amicissime! maximae curae est, quippe quum sciam, non minimam partem felicitatis aeternae ex eo pendere, si praeceptum fortiter teneamus, etiamsi nos cumulatim occideret. Quare severe Te admonitum velim propter salutem omnium Christianorum; Scribe aliquid mihi de tali horrore ac tergiversatione praecepti divini! Nam tuae litterae multos, ni fallor, corroborarent, quia tanta Tui est fama in Evangelio: nam aliquot sibi admodum sapere videntur, quos non putassem. Bene nos quidem habemus per gratiam Dei; illi autem, nisi identidem confirmantur, per alios redduntur timidi et caro desciscit. Quare graviter Te admonitum velim etc. Neonon, ut Tecum de rixis, quae inter Comitatum ac Suitenses Claronensesque obortae sunt, cum viris rogo deliberes, qui talibus rebus cognoscendis idonei sunt.[1] Nam nobis quidem videtur hoc ius sociale secum ipsum pugnare; nempe omnes articulos duobus primis contrarios esse. Veruntamen explorare rem. Multis popularium gratum facietis. Age in omnibus negotiis, quomodo Christianum custodem et pastorem decet. Haec agens propitium habeas Deum cum omnibus, qui Christi sunt. Saluta meo nomine Leonem Iudae eiusque familiam atque tuam! Amen. Dabam ad Lapidem, die Lunae ante Simonis et Iudae. 1525.

Blasius Farer.

39.

Blasius Farer an Huldr. Zwingli, Prädikanten zu Zürich.

Gnad, Barmherzigkeit und Fried verleih uns Gott der Vater durch Iesum Christum unsern Herrn. Dir hatt ich kürzlich verheissen, lieber Bruder, eine Abschrift zu schicken des Landrechts, so eine Grafschaft gegen denen von Schweiz und Glaris hat. Die schick ich jetzt bey diesem Boten, mit Namen Cunhart Klauser, Landschreiber im Thurthal, welcher auch deine anerborne Freundinn, eine Zwinglin zur Ehe hat. Dieseren, lieber Bruder, empfahe in aller Sanftmüthigkeit! denn er sich auch treulich halt im Evangelium Christi. Sey ihm auch beholfen und berathen in seinen Sachen, wie er Dir denn wol wird erzählen. Der Händel halben, so jetzt unter uns sind, weiss ich nicht viel zu schreiben, denn dass es kürzlich einmal übel gefehlt hat in einem Landrath wider das Evangelium, aus Schreken deren von

[1]) Primi duo articuli constituunt: Omnes cives Toggii iuranto, sese pagorum Suitiae et Claronae utilitatem et honorem aucturos eorumque damnum defensuros esse, factis et consiliis opitulaturos. Si quis cum patria terra aut eius loco, vel regio terrae cum alia in disceptationem veniat et senatus horum pagorum appellet, ius ibi dictum accepturos aut ibi designatum iudicem. Alii articuli volunt, ut ne quis alium in ius externum vocet, sed unus quisque alium, ubi habitat, postulet; mutua auxilia bellica propriis sumtibus; liberum mercatum; incolumitatem omnis libertatis ac iuris pristini, bonarum consuetudinum, fororum etc.

Schweiz und Glaris, also dass sie sich unterstanden hatten alle Dinge wieder in den alten Brauch zu bringen. Doch ward eine solche Zwietracht unter ihnen, dass etliche von Ihnen stunden, und nicht dabey wollten seyn, wo man etwas wider Gottes Wort handeln wollte; und brachten also ihre Sachen vor die Gemeinden, die denn solch Handel antraf in den Briefen von Schweiz und Glarus geschickt. Da wurden die Gemeinden einhellig eins bey dem Wort Gottes zu bleiben, und baten auch dabey einen ehrbaren Landrath: sie wüssten wie sie vor einem Jahr alle Pfarrer beschickt, und Ihnen das Wort Gottes empfohlen hätten zu predigen; und was sie mit Altem und Neuem Testament bewähren möchten, dabey wollten sie ihnen Gestand geben und Leib und Gut zu ihnen setzen. Wo nun ein Landrath heut eins machen wollte und morgen ein anderes, möchten sie nicht erleiden. Sie sollten auflugen wie wohl es ihnen stünde. Also brachte man ihnen auf den nächstvergangenen Landrath diese Antwort. Die hat nun die Sache wieder einmal zu Gang gebracht mit der Hilfe Gottes. Wie lang aber wir von beiden Ländern unangefochten bleiben, mag ich nicht wissen. Wir haben kluge Leute unter unserer Gewalt; wo nicht Gott die Gemeinden stärkt, so besorge ich, den Ländern würde alles vergönnt, das sie begehrten. Doch ist jetzt abermals die vorgemeldte Antwort uns worden: dass wir alle Dinge nach Gottes Wort bescheidenlich handeln sollen; es sey der Messe halben oder anderer Dingen. Denn dieselbe ist in 4 Pfarrkirchen abgestellt, doch mit Willen der Gemeinden. Unter allen Gemeinden mag es nicht geschehen aus Mangel des Wortes Gottes; ob Gott will, so wird es auch mit der Zeit geschehen. Auch mit dem Brot zieht man nicht mehr mit den Schellen und dem Pomp zu den Kranken. Darum sie uns, die von Schweiz und Glaris übel schelten. Diess geschieht aber nicht, dass es die Diener nicht mehr wollen tragen, sondern das Volk ist aus Gottes Kraft dermassen unterwiesen, dass sie wissen in äusserlichem Essen ganz keine Seligkeit stehe; nicht dass sie dabey die Gemeind Gottes und das Nachtmahl Christi verachten, sondern sie haltens gross, und begehren stets solches von uns eingesetzt werden. Hierum wäre meine ernstliche Bitte, du hättest mir einen Bescheid davon geschrieben, wie wir die Sache sollten angreifen. Ich habe euere Ordnung wol gelesen, die mir auch wohl gefällt; noch so mag es in allen Pfarren unserer Grafschaft nicht aufgerichtet werden. Aus Ursache, wie Du vor gehört hast. Die so es aber anfingen, würden Stands genug haben. Ich bin auch in Hofnung, die andern werden aus solcher ernstlichen und christlichen Betrachtung und Danksagung auch bewegt, die Wahrheit anzunehmen. — Noch Eins das mich übel beschwert, auch kümmerlich mag hingenommen werden aus Ursache der Blödigkeit des Fleisches, und Unerkenntniss Gottes. Das ist dieseres: Gott hat uns angegriffen mit der Pestilenz, darin die Menschen so unchristliche Meinungen und Scheuhen haben, davon nicht zu sagen ist, wie sie so böse Meinungen von der Verordnung Gottes haben; wissen auch nicht, dass wir sollten begehren alle Stund vom Fleisch zu entledigt werden, und bey Gott zu wohnen. Wiewol ich weiss, das Fleisch nicht dahin möge kommen, welchem der Tod ein Schrecken

ist, das ich wol weiss. Hiebey weiss ich aber wol, niemand nichts möge geschehen ohne die Verordnung Gottes, welche aber wenige recht annehmen: denn sie meinen, es von einem Menschen dem andern gegne, ja etwa vom Teufel. Aus welchem die Allmächtigkeit Gottes in uns verdunkelt wird: denn das er hat lebendig gemacht (ohne ihn hat auch nichts das Leben), das wird er auch wieder tödten, so es ihm gefällt, es sey mit diesem oder einem andern Tod. Aus solcher Unerkenntniss Gottes leiden etwann die Brüder Mangel Trosts haiben von Menschen. Es werden auch die, so an der Verordnung Gottes tapfer bleiben, wie grausam jach Gott das Fleisch angreift, von den andern übel gescholten, und ihnen für eine Verruchte und Frefel geachtet, so sie die Kranken heimsuchen und trösten, welches mir, allerliebster Bruder, schwer angelegen ist. Denn ich weiss, nicht den mindesten Theil der Seligkeit an dem ligen, so wir der Verordnung tapfer anhangen, und ob er uns schon auf einen Haufen tödete. Darum sey ernstlich ermahnt um des Heils willen aller Christen, schreibe mir etwas von solchem Scheuhen und hinter sich Zupfen an der Verordnung Gottes! Dann dein Schreiben möchte manchen stärken, weil du so weit im Evangelium verschreit bist: denn es wollen etliche gar klug seyn, die ich nicht gemeint hätte. Bey mir steht es aus Gottes Gnaden wohl; wo man sie aber nicht stets stärkt, werden sie durch andere furchtsame und ihr Fleisch abtrünnig. Darum sey ernstlich, darum ermahnt etc. — Auch wie ich mit Dir von der Spänen wegen, so eine Grafschaft und Schweiz und Glaris miteinander haben, ergründe wol mit Leuten, die sich solcher Dinge nietend etc. Denn uns bedünkt, das Landrecht wider sich selbst seyn, nemlich alle Artikel seyen wider die 2 ersten. Doch erfahret die Sache. Ihr werdet vielen im Land einen Dienst daran thun. Thu in allen Dingen als einem christlichen Wächter und Hirten ziemt. Hiemit sey Gott empfohlen, mit allen denen so Christi sind. Grüsse mir *Leonem* und sein Hausgesind, auch dein Hausgesind etc. Amen. Geben auf Stein auf Montag vor Sim. und Jud. 1525.

Blasius Farer.

XL.

W. FABRITIUS CAPITO ZUINGLIO.

Recantavit *Carolstadius* specie declarationis sententiam suam super materia Eucharistiae. Sancte iurat, se invito, quae scripserit, in vulgus exiisse, neque quicquam definiisse; ut cui duntaxat consilium fuerit, cogitationes suas incertas, causa inquirendae veritatis, in medium protulisse. *Lutherus* huic agenti supparasitatur, qui agnoscit inscriptiones opinantis citra assertionem esse. O Viros vere evangelicos! Nam *Carolstadius* ad extremum iudicium Domini provocavit, *Lutherum* illum commeritum publicum supplicium, neque hominem esse, sed prorsus agere Cacodaemonem asseveravit, et tamen remiserunt uterque iuxta illud: Habeto benevolentiam cum adversario cito, dum es in via cum illo. Nam appellatum iudicem antevertunt. Patrono Carolstadius, opinor, usus est ventre sagacissimo, cuius res eiusmodi declaratione gesta est. Bene

cecidit; stolida arrogantia miras eius excitavit turbas, quas turgentes componit pacificus venter. Tu vafro commento perstringeris ab utroque, quod incertum Tibi proposueris, et quod eodem, quo *Carolstadius*, argumento connixus sis. Nos edemus ridiculum istum libellum, quo se quales animo sint illi magnifici ipsi declararunt. Addemus scholia idonea, cum praefatione ad praemonendum lectorem, neque Tui obliviscemur, tametsi nostro non indigeas subsidio.

Ceterum, carissime frater in Deo, visus es *Bucero* et mihi admonendus eius industriae, cuius es alioqui observantissimus, nimirum, ut moderata constantia scribas, quae in posterum scripturus es, nihil aut quam minimum poteris stomacho tuo indulgens. Quo pacto, uti caussa sumus, ita modestia quoque superiores erimus. Videmur obtinuisse, articulum fidei necessarium non esse neque *Luthero* ipsi Deum impanatum; qua libertate facta quid obstabit amplius, quo minus auferamus sententiam. *Pomerano* libere ac diligenter scripsimus. Quas literas, haud dubium, omnes alii viderunt *Witenbergenses*. Quid responsuri sint, auguror. Eius responsionis Te faciemus extemplo certiorem: nam his diebus istinc ad nos iuvenis quidam redibit. *Palatinus* Elector cum tota ditionis suae nobilitate pro Verbo decreverunt, libertatemque dederunt et loquendi et agendi iuxta Scripturam. Talibus praeiudiciis Conventus *Augustanus* occupabitur. Ad *Ferdinandum* hinc magnifici pectoris virum christianum brevi mittent; agetur etiam quiddam de Verbo. Aula multum ad cognitionem veritatis accedit. Tantum oramus, ut Dominus ministrorum verbi dissidium abstineat, qua peste nihil video fore perniciosius. Video tamen cogitationes quorundam ad contentionem spectare, quibus mentem precor meliorem. In *Palatinatu* sunt, qui subscribunt sententiae tuae, qui purissime sentiunt de coena Domini. Vale. *Argent.* die 28 Oct. 1525.

W. Fabritius Capito.

Bucerus et *Hedio* Te plurimum salutant in Domino. Amicissime Te iubet valere *Farellus*, eximii iudicii vir atque observandissimus *Zuinglii*. *Myconium*, *Leonem Iud* ac Ecclesiae toti nos nostramque commendes.

Inscriptio: Huldrico Zuinglio Episcopo Tigurinorum, amico et fratri carissimo.

XLI.

FRANCI CUIUSDAM EPISTOLA AD QUENDAM CIVEM BASILIENSEM.

Diu nihil a nobis accepisti literarum, quod tam turbulenta aetas, quae omnia in suspicionem trahit, ut iuste nocuisse videatur, consultius esse monebat opportune premere, quae non posses ad amicum opportune renunciare, quam invitis avibus et te et amicum prodere. Huc enim ventum est, ut cum amico de veritate et innocentia commentatum esse fraudi vertatur. Sed accidit, quod me ad consuetam epistolam potuit cogere. Circumlata est per urbem nostram epistolae cuiusdam copia, quam *Erasmo* tribuebant, qui a *Luthero* et a *Pont. Romano* stat. Phrasis

non abhorret, sed negat acerbitas, nisi aut *Erasmi* [1] lingua non sit *Erasmi*; aut aliud alat in pectore homo, aliud lingua crepat; id quod parum libenter ex quibusdam audimus. Dissipantur simul rumores, non esse dubium de autore, sed neque de illis: cum quod ad *Conradum Pellicanum* sit ab illo missa; [2] tum quod apud senatum vestratem sit publice, cum de *Oecolampadii* libro consultandum esset, [3] praelecta. Quae omnia me sic dubium et ἄπορον reddiderunt, ut tuam hac in re praestolaturus sim significationem, priusquam quicquam accipere statuerim. Quod enim ista epistola *Erasmi* sit, difficulter persuaderi possum, quod quae hic adducuntur, non modo infirma argumenta, sed ne argumenta quidem esse videntur. Quid enim hoc valere debet: Stupeum est quod adducis; dum non probas quapropter sint stupea? nec tu adamantina profers? cum non rumpis quae stupea sunt? Hoc vero quam ineptum sit, quis non videt, cum sic scribitur: Semel sustulit carnem (Christus scil.) ne esset offendiculo; ubi hoc intenditur, quod semel tantum Christus dixerit carnem nihil prodesse, ideoque ex illo loco non posse defendi, quod quum dixit: Hoc est corpus meum, debeat de corporea carne non locutus esse intelligi. Quasi vero aut hoc ipsum: Hoc est corpus meum! plus semel dixerit; aut quod semel tantum dictum est ei, qui Deus est, susque deque ferri possit. Semel tantum dixit: Inter vos non sic erit; ergo licebit non modo ambire imperium, sed etiam imperando perdere? Semel tantum dixit: Ne furtum facias; ergo licet furari sportula aut principum stipe? Quae de labils Dei procedunt, irrita fieri nequeunt. Coelum enim et terram citius perire oportet, quam voculam aut apicem de verbis eius. Sic ergo est argumentandum: Semel diserte dixit Christus: Caro non prodest quicquam; igitur nusquam praebuit eam. Non enim dat Deus quae nihil prosunt. Quod vero circumstantiam istam non sunt admirati discipuli, sua autoritate vel reiicit vel contemnit. Quid hoc esse dicas? Praesertim cum paulo ante dixerit is qui scripsit: Hactenus cum omnibus Christianis adoravi Christum pro me passum in Eucharistia. Si enim apostoli Christum in Eucharistia, ut iste, adoraverunt, nimirum admirati sunt, cuius tamen vestigium nullum videmus.

---

1) Erasmus epistolis ad amicos, Budaeum exempli causa et Pirkheimerum ete. eloquutus erat: Oecolampadium suam sententiam: in S. Coena nihil esse nisi panem ac vinum, tantis argumentis confirmasse, ut si non credere oporteret ecclesiae, non posset non in hanc discedere sententiam. Litteras deinde per apographa circummisit, quibus Romanum dogma de S. Coena defenderet, suamque fidem eorum, quae haec ecclesia tradat, testificaretur; nec irrito successu Basileae. Oecolampadius retulerat hoc Zuinglio, isque, ut refelleret Erasmum, hanc scripsit anonymam epistolam, cuius Basileae quoque apographa vulganda curavit. (Hess, vita Erasmi et Oecol. et supra epist. XXXVIII.) 2) Sic res tulit. Pellicanus sermonem fecerat de similitudine, quae inter Erasmi sententiam de S. Coena et Zuinglii Oecolampadiique intercederet, locosque ex Erasmi scriptis laudaverat, in quibus de spirituali tantummodo fructu S. Coenae disputaverit, corporalemque tacitum praetermiserit. Iam Erasmus epistolam scribit acerbis cum opprobriis refutaturus. 3) De genuina verborum Domini: „Hoc est corpus meum“ — expositione. Praevia censura (epist. XXXVIII) publicationem senatus permisit.

Si vero admirati non sunt; si non adoraverunt: non de ea statuerunt, quod nos recepimus. Non est ergo leve: Discipuli non sunt admirati; ergo Eucharistiam non sic coluerunt, ut nos. Quis enim nostrum admiratione contentus est? adoramus etiam, id quod nomen ipsum gratiarum actionis notat. Iam hoc: iubemur esse spirituales, quasi caro sic exhibita officiat spiritum, quam lentum sit ac tardum nullo negotio videtur. His enim verbis: caro non prodest quicquam, nemo putat, nisi qui vel errat, vel in viam reduci non vult, in genere carnalem intellectum damnari; sed eam opinionem, quam Iudaei de eius carne conceperant, nempe qua putabant, se ad carnem istam corpoream edendum cogi. — Cum vero hic dicitur: Christum hoc toto sermone hoc agere ut spirituales simus, iam ad argumenti summam spectatur, qua hoc porro intenditur, ut Christo fidamus; sed non sic accipiebant Iudaei, ut per carnem edere intelligerent Christo fidere, sed dentibus iam glaucoma carnis horrebant. Christus ergo hanc erroris occasionem sustulit, cum dixit: caro non prodest quicquam. Hanc ergo vocem quum semel dederit, in perpetuum non est carnem suam corpoream daturus dentibus commoliendam. Et quod hic quaeritur, an caro sic exhibita officiat spiritui? prodit, non esse *Erasmi:* is enim plane videt obstare spirituali intellectui, si te putes carnem hoc convivio edere: Iudaei enim cum in hac essent opinione, non capiebant Evangelii vim qua hic depraedicatur. Non magis ergo ipsam capiunt, qui adhuc in eorum errore tenentur. Discipuli vero Simone advocato dicunt, se credere, h. e. fidere Christo: ipsum enim esse filium Dei vivi. Adde quod haec caro, quam isti sic se carnaliter, sed invisibiliter edere adserunt, vel hac una ratione spirituali intellectui obstat, quod nec fides nec sensus huic opinioni unquam accedunt, etiamsi oris audacia aliud iactet, suadente nimirum hypocrisi; quae ut fideli peritoque iudicio possit imponere ipsa viderit. *Modo*, inquit, *ineffabili.* Id istis verbum Telamonii scutum est, huc omnes confugiunt; cum Scriptura vincuntur, cum fide, cum sensu, iam in haec adyta se recipiunt: *Modo quodam ineffabili.* At Christus lux est, haecque potissimarum incarnationis eius caussarum una est, ut umbras hypocrisinque proderet ac aboleret. Qui ergo tam impenetrabiles denuo tenebras produxisset? Qui fieret ut hypocrisin firmius quam unquam fulciret? Quae enim maior est hypocrisis, quam cum se omnes opinari quiddam simulant, quod vere nullus opinatur? Omnes volumus videri credere Christi carnem hic edi; at nemo credidit. Prosequitur Epistola: Caro est, sed nullis obnoxia sensibus. Quomodo ergo caro est? Dicis: quomodo ista, qua amictus Christus coelos adiit? Sed in ea adsidet dextrae Dei. Commentum nostrum haec sunt; sic citra scripturam, fidem, sensum responsamus, cum contendere quidem volumus, sed citra veritatem. Iterum sequitur: Pignus est divinae erga nos caritatis, solatium expectationis. Ego pignus semper existimavi esse arrhabonem spiritus, qui in pectora nostra demisso Christo Dei filio fidimus. Haec de nostro dicimus: Commemorationem appellavit Christus non pignus; ipse pignus est quatenus mortem subiit, non quatenus dentibus in paterno solio per figmentum manditur. Rursus cum dicit: Solatium est exspectationis: quaeram, cuius solatium, oculorum an animi? Non oculorum: invisibiliter

enim adserunt vorari: modo scil. ineffabili. Animi ergo solatium esse reliquum sit; at quomodo potest animam caro, quacunque ratione, voces, consolari? Spiritum esse oportet, quod animae possit insidere. Dicunt: haec Philosophica sunt non Theologica; quasi vero ista a Delphis sint, vel de propitiatorio e medio Cherubim allata: Pignus est divinae erga nos caritatis, solatium expectationis. Quid autem attinet, novum quendam commoliendae carnis modum fingere, quo dicamus, carnem spiritualiter edi, cum carne anima haud plus vesci possit, quam ovis. Atque ad hunc modum loqui nihil nos pudet: carnem spiritualiter nos edimus, non quod edere pro fidere iam accipiamus, sed carnem ipsam carneam, corpoream, sensibilem, spiritualiter et insensibiliter nos edere adserimus, cum tamen Rom. Pont. Berengarium aliud confiteri coëgerit. Post ista sequitur: Literae divinae pro nobis faciunt. Habemus: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur etc. Si hic tropum non admittimus, eadem opera Christum lapidem facimus: ipse enim lapis est; nec habemus quo contentioso alicui satis facere possimus, quod non sit lapis Christus, si hic tropum non recipimus. Tam enim a sensu ac fide abhorret Christi carnem edi, quam Christum esse lapidem. Si dicas: Christus sic locutus est: dicam ipse: Christus quoque sic locutus est: ego sum vitis. Ioannes dixit esse agnum. Ipse Christus iterum dixit Iohannem Evangelistam filium matris suae. Neque hoc aegre evincunt, qui tropum admittunt, quod rei vocabulum accipi possit pro signo rei: manifeste enim ab eis stat Scriptum. Circumcisio adpellatur pactum quae modo signum est pacti. Agnus vocatur *Paesa*, qui modo signum fuit Paesa etc. quemadmodum *Oecolampadius* vester et *Zuinglius* publicis monumentis probarunt. Sed et istud non est praetereundum, quod nemo sic arguit: verba ista sic possunt accipi, ergo sic accipiuntur; sed sic prodeunt isti, quatenus ego video. Caro corporea non prodest quicquam, ergo tropum esse oportet in his verbis: Hoc est corpus meum, sicut et aliis multis locis plana et aperta veritas aliquo in loco cogit eadem verba tropice intelligere. Probe enim colligitur: Christus apud Matth. interdixit a virga, ergo apud Marc. tropus est, cum ille prodit indulsisse virgam; imo uterque locus fieri tropus citius potest, quam quod in altero loco nolimus recipere. Quid ergo portenti est, quae recte dicuntur et colliguntur, sic invertere, idque deinde clam amiculis compertiri? Praeterea quod negat apud veteres inveniri, quod quisque dicat ibi non esse corpus Domini, audacter facit. Legat enim de Consecratione, dist. prima, et ibi: ut quid; et videbit, quid *Augustinus* loquatur. Veruntamen iis praeteritis, quid refert hoc argumento niti? cum quanto minus tales sermones apud veteres invenimus, tanto magis pateat, tam stultam opinionem ea aetate non esse vulgo receptam. Dicunt et alii: *Utamur iis vocibus, quibus Christus est usus.* Bene sane, dummodo apud eos loquaris, apud quos loquebatur Christus, et eo sermone quo usus est Christus. Sic enim fiet, ut tam aurium quam sermonis idioma nihil aliud mentibus quam tropum ingerat. Nunc vero, quum tropico sermone uteris apud eos, qui tropum ignorant, vide quam impudens et perfidus sis, si pravum sensum haurire permittas, qui ad tropum non penetrant? Haec inquam omnia, quae iste aliquis inepte nimis effutit, inducunt, ut nulla ratione credam *Erasmi* esse

hanc epistolam. Nunquam enim adeo acerbe in *Pellicanum* suum invehet. Adparet alterius cuiusdam esse, qui se sub aliena pelle latiturum esse speret. Quod autem huius epistolae lectio tantum valuisse fertur apud senatum, ut confestim *Erasmus*, *Berus*, *Cantiuncula*, *Amorbachius* censores libri *Oecolampadii* sint constituti, artis suspicione non caret. *Erasmum* enim excipio, cui Hebr. literarum vix mediocris cognitio contigit. Quid alii quaeso in hoc campo facient? Alius non modo Sophista est, sed etiam sacrarum et humanarum literarum ferme rudis. Quomodo enim Ursa literas disceret? Alii duo iuris consulti sunt fortasse non aspernandi, verum quid illis cum schematismis hebr. literarum? Quam quisque norit, artem hanc exerceat. Promisit *Fabius*, tum artes in summum evehi posse, quum de ea periti eius iudicent. Cogita mihi quaeso e diverso, si *Cantiuncula* quiddam de feudis, aquaeductibus, mancipio accipiendo aliquid scripsisset, et *Oecolampadium* Senatus constituisset eius libri censorem: an non omnes in cachinnos haud aliter erumperetis, quam si cothurnis induta sus prodiret? Gratia Deo si vere habetis tot viros, qui de *Oecolampadii* scriptis censere possint, sed vereor nimis, quod in hoc argumento requiritur, *Oecolampadium* rectius non solum urbis vestrae sed orbis doctos iudicaturum, quam ullius iudicium subiturum esse. Cur quaeso ad ista nos arma convertimus? An excidit, quantum omnes, qui et eruditioni et pietati sudamus, laboraverimus, ne ullius scriptis vis fieret? ne in paucorum iudicio maneat, quod sacrosanctum est? ut scripturis res gereretur, non auctoritate? Orbis autem et conciliorum cur praetendimus consensum? An enim consensus dici debet, ubi non solum nemo consentit; sed ne sentit quidem? Quantum autem huius epistolae autor Ecclesiae iudicio, orbis conciliorumque consensui tribuat, inter prima videre licet. — Cur enim sic, tum de *Pellicani*, tum de sua sententia scribit: „Censebas enim, profitendum in Synaxi esse corpus Domini; caeterum quomodo sit illic, Deo qui novit omnia committendum esse. Ego vero hoc tuae sententiae adiiciebam, mihi isthuc videri simplicius, quod ita vitarentur varii difficultatum labyrinthi, si fas esset homini christiano ab eo dissentire, quod conciliorum autoritas, quod omnium ecclesiarum ac gentium consensus tot iam seculis comprobasset." Hactenus ille. Vides mi N. quid autor huius epistolae domi sentiat; quid foris loquatur? Vellet sic sentire, quod in Synaxi esset corpus, sed quomodo isthic esset Deo committi? Cecidit ergo apud eum ista de transsubstantiatione opinio; cecidit et ista de sensibili carnis esu, quae *Berengario* est obtrusa. Quantum ergo putas apud hunc valere iudicium Ecclesiae, quem audis palam aliter sentire, sed celare quod per tyrannidem periculosum est profiteri. Cur igitur isti licet pro sua opinione sentire citra iudicium aut testimonium S. Literarum quod Ecclesia Rom. non sentit; et *Oecolampadio* non licet tot scripturis freto sentire quod verum est? Unde enim tam ille fictus (ut arbitror) *Pelecanus* quam fictus *Erasmus* sic audent pronunciare. Hoc nobis simplicissimum videtur, si profiteamur hic edi corpus, sed non ad hunc modum, quem tradunt Pontifex et Ecclesiae orbis consensus: an hoc sentimentum scriptura fretum est? At dicerent: sed propter autoritatem Ecclesiarum non edicimus quod

sentimus. Discite ergo, hunc esse consensum orbis, qualis ejus vester consensus, propter Ecclesiam et Pontificem. Hi si non obstarent aliud sentiretis; ergo animus vester non est istic ubi est ecclesiae sententia. Sic et omnium mortalium sensus dicere vobis videri debet: Si liceret per autoritatem pontificis, ecclesiae, conciliorum, per metum, nunquam crederem isthic edi carnem. Hic est iste vester consensus orbis, conciliorum etc. Quin aliud addam: ut ille iurat per Christum, se nunquam fuisse in hac opinione, ut non putaret hic esse corpus Domini, ego quoque iurabo: nempe Christum mihi irasci debere, si non hi qui hanc de carne corporea spiritualiter edenda perpetuo opinionem fingunt, id hac sola caussa faciant, quia non credunt isthic edi corpus, sed propter metum Iudaeorum confiteri non audent. Quid multa? Spiritualis omnia diiudicat. Tu ergo, amice mi, omnia diligenter excute, et quid hac in comoedia verum sit primo quoque tempore renuncia. Nos enim hic tenemur veri desiderio, non quod aliquid de sententia nostra simus immutaturi; si *Erasmus* cum *Oecolampadio* dissentiat hac in re, si senatum ad vim excitet, si eloquentiae flumen universum in eum derivet; sed ne perpetuo adsuescamus omnium commenta pro veris habere. Consentit in *Oecolampadii Zuingliique* sententiam orbis etiam eorum, qui reclamant, sed profiteri piget. Hoc vobis persuasum sit, qui *Basileae* Christum colitis, solos *Zuinglium* et *Oecolampadium* huius disputationis onus sustinere posse si modo scripturis res agatur, sique doctis, qui apud vos sunt, ullus est nasus. Iam vale et da operam ne Senatus scripturae imperet, sed pareat ex Chr. 28 Oct. 1525. [1]

XLII.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Gratia a Christo mi frater. Post ablatos a bibliopolis per Senatum libellos meos nihil novi auditum. Mussatur et secreti quippiam alitur. Rumorculus est, me eiiciendum. At ille perpetuus. Gregem tenet trepidatio. Ego spem in Dominum habens, indignum arbitror a stiva respicere. Unde et in die omnium Sanctorum, ut diem festum agerem cum sanctis viventibus, Coenam dominicam aliquanto simplicius celebrare coepi. Fieri potest, adversarii iterum exulcerati. Unde autem non exasperantur, nisi forte infortuniis nostris? Fama est, occasionem τῇ βουλῇ ab *Erasmi* literis et *Carlstadii* levicula revocatione praebitam: nimirum vel inspecta fistula saltabunt Fauni. Placuit ultra modum, quod responsum *Erasmo*. [2] Remitto ἀντόγραφον. Sic oportet spiritus illos mendaces diiudicare. *Hezerum* Tibi commendo, ab *Augustanis* amicis non parum ob fidem dilectum, tametsi inde cedere coactum, potentia et autoritate impanatum quam crucifixum Christum diligentius praedicantium, spirituique eius resistere non valentium; et iidem nunc scribunt, ideo proscriptum, quod Tibi ac *Leoni* fecerit negotium, et

---

1) Nota *Simleri*: „Copiam hanc contuli et correxi ex Autographo *Autoris Zuinglii* inter Msc. Hott. in Bibl. Carolina." 2) Verosimiliter epistola proxime data.

ex Catabaptistarum numero sit, quum plane cognoscam illum pridem resipuisse, vobisque addictissimum. Fortassis ubi coram vobis se purgarit, licebit ei et *Augustam* facilius reverti. Nihil adhuc ex consuetudine eius displicuit. Librum de Eucharistia versum secum afferet. Tuo consilio in ea re utetur, num edendus vel supprimendus sit. *Seb. Meyer* hodie sistitur Senatui, ignoraturque caussa. [1] Praesagit animus meus nescio quid sinistri. Omnem enim lapidem movent ἐχθροι, et quacunque possunt nocent. Tu hilari animo vive ac triumpha de baptistis novis. Vale. *Bas.* IV Nov. 1525.

Tuus *Oecolampadius.*

Inscriptio: Huldrico Zuinglio, pientissimo in verbo et opere Ministro Christi, Tigurinorum Antistiti, fratri suo.

XLIII.

AMBROSIUS BLAURERUS ZUINGLIO.

Gratia et pax Christi. Alias me Tibi multis purgavero, ornatissime Zuingli! nam audio, de quibus me apud Te accusent blaterones quidam, quos omnino melius et candidius de me sentire conveniebat. Nunc unum hoc Te etiam atque etiam oro ut *Henricum* hunc *Turitrium* mea caussa commendatum habeas. Vir est sincerus et bonus, primus pueritiae meae formator, non omnino pessimus, ut tum ferebant tempora, cuique hoc nomine plurimum debeo. Et cum abunde sibi magnam gratiam relatam putet, si per me Tibi adcuratius commendetur, ingratus mihi videbar, si hominis desiderio non facerem satis. Te igitur iterum atque iterum quantum possum maxime obsecro et obtestor, ut intelligat meam commendationem apud Te nonnihil valnisse, et vel tenuis conditio ei tuo beneficio obtingat. Hactenus satis feliciter laboravit in Verbo. Id quod apud Vos aut Vestros hoc faciet felicius, quo audebit liberius. Vicissim ipse nunquam deero officio, si quem Tu mihi posthac in hunc modum commendaveris. Vale mihi carissime frater. Salutat Te germanus frater meus *Thomas.* Saluta *Leonem* tuum nostris verbis et *Hezerum* si istic est. Cui cum hic visus sim nescio quas Scripturae sententias parum dextre appositeque tractasse: miror cur prius me traducere quam erroris admonere voluerit. Sed de hoc alias. Plura non possum — et Tu nunc scio congressum adornas cum Baptistis tuis, qui utinam tam nihil officerent evangelicis studiis garrulitate et pertinacia, quam nihil possunt Scripturis et veritate. Christus per Te etiam hac vice, ut hactenus, vincat. De rebus nostris certiorem Te faciet *Gregorius* noster *Mangoldus.* [2] Ora pro nobis et nostra Ecclesia, ut liberemur ab incredulis et perversis hominibus. Ex *Constantia* IV. Nov. 1525.

Tuus *Ambrosius Blaurerus.*

---

[1]) Sebast. Meyerus supremo anno Berna pulsus Basileae versabatur, unde nunc eum Catholici extrudere moliebantur. [2]) *Gregor. Mangoltus* Tigurinus Chronica Constantiae scripsit notitiamque piscium in lacubus et fluviis.

XLIV.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Gratia et pax a Christo, mi frater. Nihil hac hebdomada innovatum est. *Sebastiano Maier* quoque nihil accidit in iudicio, tametsi Satanas tentarit quippiam, ut hinc eiiceretur, quemadmodum *Farellus;* adeo hospitum habemus rationem, veri Sodomitae! Mittò revocationem *Carlstadii*; sed ita palinodiam canere, non fuerit revocare. Quin et tenuia argumenta, quibus nunc opportune utendum censet *Martinus*, contra ipsum veritati patrocinantur. *Landgravium Hessiae* ferunt scripsisse *Marchioni Badensi:* constanti sit animo in re Evangelica et se Evangelizantes tutaturum. Idem ferunt de *Palatino*. At nos non ponemus carnem brachium nostrum. *Hezerum* quidam ex Augustanis amicis fideliter mihi commendarunt. Dabo igitur operam, si quid illi fortasse ex pristinis moribus consuetudine nostra decedat. Bene enim quotidie exerceor, et res cum literis est, quo vivendi instituto vanitati facile renunciatur. Narravit mihi ineptias et insaniam Catabaptistarum. Gratiae Deo sunt, qui Tibi astitit, et pro sua misericordia non derelinquet. Vale. *Bas.* XI. Nov. 1525.

Tuus *Oecolampadius.*

XLV.

ALEX. SYTZ

DOCTOR IN ARGENTINA [1] ZUINGLIO.

Gratia Tibi et pax a Deo Patre et Domino nostro Iesu Christo etc. dilecte frater, mi *Udalrice*. Cum prompto ex *Rutlingen* ad Te scripsi meam et mentem et statum; qua autem et occasione non possum non sperare ad manus tuas devenisse. Postea vero paucis diebus Plebanus ex villagio *Oberhusen*, semimilliari a *Rutlingen*, vir quidem bonae vitae, optimus ecclesiastes, qui propter pericula praesertim veris Christophoris nunc rure viventibus timenda, ad Rutlingen ad veros sui stipendii collatores sese dederat, nihilominus tamen frequentissime suam visitabat ecclesiam et fideliter pascebat gregem suam. Uno autem dierum et completo sermone dum in templo existens, proh dolor! capiebatur a regulo in *Urach* atque post multa tormenta passus, nullius autem professionis reus, ductus est ad *Stutgartum*, et ad veram, ut aiunt, latronum speluncam, suam exspiravit vitam, nunc in arbore pendens, secundus cum quodam presbytero altero eodem die similiter. Quorum memor esse velit, cuius super omnia ineffabilis est misericordia. Hinc vero rumor increpuit, ne in *Rutlingen* ex Confoederatorum faucibus tutus suam vitam ducere possit nec ego, nec quisque alter Evangelisantium. Quid multis? Civitas erat moerore et angustia obsessa, nec id infortunii ducebam expectare, acquiescens consilio nostri Salvatoris

---

[1] Tractatus scripsit de thermis Badensibus; de hominum vi et natura; de somniis 1515, in quo scripto praesertim etiam generosa et ingeniosa cogitata politici generis insunt.

Math. — Ideo eripui me ad *Argentinam*, ubi ecclesiastica vita mihi persumme placet. Sunt mihi *Wolfg. Capito* ceterique confratres amicissimi, quod mihi omnium esset iucundissimum cohabitare eis, qui adeo strenue in nostro Christo militant. Sed medicorum multitudo me plurimum molestat, qui et ipsi penuriam clamitant; quare minimum victum et amictum acquirere possum. Qua autem inopia prius verser, ipse perspicue considerare possis ex ea velitatione et iniuria, quam prius ex istis sacrilegis sum perpessus. Quare, dilecte mi frater et consolator optime pauperum, per tuam veritatem, pietatem et fidem Te obsecro, etiam atque etiam exoro, memor esse mei velis, curam tuis fratribus et primatibus promovendo, si congruo salario assumi possem in eorum Physicum, aut in *Bern*, aut *Salodori*, quos audio medicos affectare, quibus nunc carent. Et si quid de me boni polliceris, profecto non falleris: fidem optime conservabo. Nam in Cura diligentissimus ero omnium, idque pro certo de me ipsa fama praedicat, non minus pauperrimis propter Christum quam nummosis propter nummos. Sed ceterum, quod et omnium diligentissime Te exoro, ut praesentem gerulum nomine meo commendatum habere velis, si eum ad quandam famulaturam promovere possis, sicuti ab eo accepturus sies. Nam ad unguem eum probavi, qualis integerrimae sit fidei omnium diligentissimus servus; nulla negligentia in eo. Insit paupertas eius cordi tuo. Quicquid in eum beneficii collaturus sies, haud aliter quam in me ipsum collatum putes velim. Sed petitioni meae acquiesces, sicubi optime possis, et spero indubitato, eum alterum tuum fore credas velim, quem peculiari iure Tibi ascribere possis, cum omnium mihi optatissimum esset Tibi et gratificari et benefacere haud aliter quam alteri parti animae meae; et si quid impetravero, certiorem me reddere velis ad *Argentinam*, diligentissime Te rogo. Vale! die Martis post Martini 1525.

Alexander Sytz, Doctor in *Argentina*. [1]

XLVI.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Gratia a Christo, mi frater. Ut nihil rerum nostrarum Te fugiat: arcessiti sunt heri a Consule et Tribuno Plebani Albanensis et Leonardinus, [2] petitumque est ab eis, ut iuxta veterem consuetudinem sacrificent, ut ipsi vocant missent, vel etiam a ministerio verbi desistant. Albanensi nihil erat in promptu, quod causaretur, paratus igitur cedere, quam impietatem admittere, ni plebs intercedat. At illius quantula fides? Leonardinus munitus literis conventionis suae indicavit, se nihil intermittere, quod sui officii, et iam olim excepisse id molestiae. Quid futurum sit, nescio. Miror, quare non et me vocarint. Fortassis in libello meo offensuros se existimant, quo me commodius aggrediantur.

---

[1]) Nota *Simleri*: Num hic ille Medicotheologus est, ad quem *Zuinglius* d. 4. Febr. 1527. gravem dedit Epistolam? Epp. Oec. et Zu. fol. 196. — Vero similius videtur esse Christoph. Grill, aut etiam alius. [2]) Ad S. Leonhardi fuit *Marcus Bersius* Pastor.

Certe videmus, Satanam omnem movere lapidem. Eo die iterum coenam adornavi Dominicam, ut videns populus nostram simplicitatem et innocentiam, nihil suspicaretur grave. Quandoquidem semper clamant Papistae, nos tollere omnia Sacramenta, cogit necessitas, ut re ipsa indicemus, quod docentibus minus credunt. *Urbano (Regio)* ut monuisti, scribam diligenter de Unctione, neque ille aegre feret, etiamsi non obtemperaturus fortassis. Retulit *Ludovicus (Hezer)* quaedam de Testamento luculentius et copiosiore spiritu in disputatione proposita. Fac, oro, per otium, ut studiosis communicentur. Nequeunt enim singula referre auditores, prout dignitas rei postulat. Salvos opto fratres omnes, *Leonem*, *Myconium*, *Ceporinum*. Et Tu cum uxore laetus esto, nec Te moveant nostratium conatus! nihil contra Christum poterunt. Is si plebem hic sibi delegit, eam suis pastoribus reget. *Bas.* XIII. Nov. 1525. *Oecolampadius.*

XLVII.

CAPITO ZUINGLIO.

Gratia Tecum. Tuas accepi. De Myropola videbo. *Witembergenses* nos misere traducunt tanquam blasphemos, haereticos, seditiosos, osores omnis humanitatis. Belli homines huc profecerunt, ut errantes fratres, qui id impendio efflagitant, non dignentur admonere, sed passim literis odiosissimis proscindant. Rumor huc allatus est, *Moguntinum* duxisse uxorem, quem esse vanum auguror. Verum gaudeo, Papistis esse quod ringantur. Responsio ad *Pomeranum* mirifice placet, sed in altero ternione mediam cartulam non misisti. Cura, ut bibliopola huc libros tuos in tempore mittat ad *Wolfgangum Cephaleum*. Ego fide iubebo: nam praestaret, ut in tempore hic etiam legerentur. Saluta *Myconium* et reliquos fratres. XIV. Nov. 1525.

Proxime scribam; modo occupatissimo nihil vacat.

Capito.

XLVIII.

DIEBOLDUS A GEROLDSECK ZUINGLIO.

Pax a Deo Patre et Domino nostro Iesu Christo, Magister Huldrice dilecte! Vestrae litterae eximia me laetitia perfuderunt, per quas vestram mentem aperuistis et quam gratioso animo Domini mei *Tigurini* erga me affecti sint, ita ut me pro cive suo habere velint, ut Conventualem sacrae *Eremi*. Laudibus quoque celebro Deum, quod verbum Dei tam ingenue tenent, sperans Deum eos corroboraturum esse in tam divino instituto. Magistro *Franzio* scripsi, velit aliquis precibus meis obsequens Sulzam venire, ubi fratrem meum *Gangolfum* reperire detur die solis post Andreae, eaque hebdomade; postea eum loco se moturum esse. Quare vide, ut quis veniat, si commodum sit; tum ego veniam Deo volente. Doctor *Stürzel*[1] dicit, Confoederatos

[1]) D. *Stürzel*, Consiliarius Austriacus atque in actionibus de seditione rusticorum ad Rhenum legatus ad Helvetios confoederatos.

cum meis Dominis Tigurinis in posterum nolle conventus agere ullis de rebus; quod contradicebam non credens. Certiores me reddatis, quaeso. Nam si hoc ita esset, Domini multum mali ex hoc augurantur, ut vobis Deo volente referam. Germanum meum *Gangolfum*, quem dicunt saevire in Evangelium, iudicare libere non possum, cum sit frater; spero tamen plus pietatis in eo reperiri, quam de eo dicitur. Fac ut possim venire, et ego ero paratus. Resignate Magistri *Franzii* epistolam! Sic Deus Vos velit sibi commendatos habere. Salutate omnes nostros probos amicos et gratias agite meo nomine Domino *Rocustio* Consuli. Datum *Sulzae*, die Mercurii ante Catharinae.

Dieboltus, Dominus a Hochgeroldseck et Sulz,
Conventualis S. Eremi.

XLIX.

W. FABRITIUS CAPITO ZUINGLIO.

Gratia et pax a Deo. De Filio *Praepositi*[1] curavimus, necdum tamen quicquam certi responsum est per myropolas: nam primo cum duobus potioribus egimus. Uterque ministros modo habent. Nunc expecto responsum ab alio quodam minoris quidem nominis, sed pii admodum, et hic noster *Thomas* de subito abitionem suam nunciavit, ut prorsus excluderer ab agendo. Quod si res familiares *Praeposito* satis suppetunt, paciscendum videretur pretium liberalius pro convictu videlicet, ut simul adesset medicis nostris qui propediem ex stipendio Reipublicae profitebuntur, modo Dominus faveat nobis. Nam ad purum reparare collapsa nondum potuimus. Rustici rationes omnes perturbarunt, et Comitum vicinorum tyrannis truculenta desaevit, ut minus possint nostri, quam alioqui possent, atque omnis occasio obsistendi adversariis favet, qui modo omnia impediunt, praeter Verbum.

Cupio scire eventum disputationis,[2] tametsi victorem esse veritatem nihil dubito. Nobis praesidio fuit adversus istam pestem externa persecutio, qua deterriti homines in pace negotium, et in bello otium sectantes, mussitant et latebras circumspectant, nisi Dominus per Verbi usum assiduum aditum ipsis praesepiret, sicut abunde praeseptum existimo. Nam advigilavimus diligentissime, et iam novit ecclesia tota inconvulsam veritatem. Non alligant vim salutis elemento aquae, quemadmodum Anabaptistae illi assolent, sed eo inaugurari hominem, atque in coetum recipi christianum qui pro tempore sint victuri vitam poenitentium et referentium acceptam Deo per Christum sanctificationem suam. Pari esse iure baptismum, qua priscis circumcisio, quo signo tamen octavo die pueri Hebraeorum in populum accensebantur. Praeterea munus Apostolis praecipuum esse usum ac functionem Verbi, eoque provectiori aetati observierunt, unde Dominus illis praecipue praedicationem demandarit, postea baptismum. Qui enim fieret aliter apud rudes? Modo autem inchoata in multis fide, cur nos pueros nostros non dignaremur consortio

---

1) Verosimiliter Praepositi *Frigii* Tigurini. 2) Cum Catabaptistis 6—8 Nov.

nostro, quos speramus Domini esse, quia pueri, inquit, vestri sancti sunt; quia sancti sunt pueri christianis parentibus nati, ergo signo sancti populi cupide donamus. Haec est nostrae Ecclesiae fides, neque est, qui a me vel tenuissimam suspicionem, ut ad crassum illum errorem aliquatenus alluderem, audierit, utut quidam aut aliis temere de me tradunt, aut sibi ipsi perperam persuadent. Intentis enim scopo Christianismi, qui vacaret de externis tantopere cogitare. Nos iustum scimus fide sua victurum; illi argutuli, ut vim spiritus sibi occultam declarent, aquis pauculis ac tempori destinato alligant.

Witenbergenses, audio, nos haereticos, schismaticos, seditiosos, bonarum literarum osores pronunciant, et talibus elogiis literis suis passim dignantur, quorum effoeminatum conatum rideo. Nam otiosis hominibus assentatorum turba, quibus stipati sunt, amentiam tantam conciliat. Sunt enim imbecilliores, quam ut impressiones adulatorum ferre possint, qui vix a longe minas hostium acceperint. Leve ducunt periculum fortunarum atque capitis nostri, quo nos cavendo per Christum occupatissimi sumus. Exoriatur aliquis futilis, qui nos deferat nomine impietatis! huic continuo creditur. Accedant multi boni, qui innocentiam, fidem et afflictiones nostras testentur, praeterea si quid ad rem, amorem quoque bonarum, ut vocant, literarum! ii exibilantur magno cachinno, quasi, inquiunt, ab *Argentina* aliquid boni esse possit. O neglectam caritatem! toties per Christum obtestati nec dum meruimus, ut errantes monerent, et audent insimulare literis suis imperiosis haereseos crimine omnium maximo. Quoties oravi, per literas expostularent, obiurgarent, verberarent? nobis ab amicis vulnera fore gratiora, quam oleum adversariorum. Ubi hoc Evangelii: Si peccaverit frater! inter Te et ipsum illum corrige? agnoscis reliqua. Huc scripsit quidam iuvenis innocentissimus, qui modo *Witenbergae* agit, ad *Iacobum*[1] *Pludentinum*, dolere se, quod is hic agat inter haereticos corruptissimos, qui sint autores seditionum, quamlibet dissimulent, osores bonarum literarum, cupientes Terentium explosum, et nescio quae Hebraea in locum substituta etc. Hoscine fratres agnoscamus, qui avent nostro pudore, quam gloria Domini, se oblectare? Certe homines se produnt, si nihil aliud. His diebus *Nurnbergenses* huc scripserunt ad potiores, dolere ipsis civitatem tantam a Concionatoribus in haeresin de Eucharistia illam infandam detrusum. Id quod cursui nostro moram aliquam nectit ex integro impediri non poterit. Nos de Eucharistia necdum pronunciavimus, et tamen Ecclesiae fere intelligunt veritatem. Sic fert nostra ratio, ut occupati meditanda Christi morte pro nobis obita obliviscamur interim, quid sit sub pane; deinde non esse articulum fidei, ut impanatum corpus credamus. Hoc recepto, per se modo sic colligunt: Ergo non adest, si nihil hic prodest, neque ad rem est, ut adesse credamus. Sub *Palatinatu* pii alioqui definierunt contra nos, quos velut medii amicis literis tentavimus placare. Quibus devictis, ut modo sumus illis contestati, nos aut vivos aut mortuos fore victores, magna nostris partibus accessio facta est. Provocavimus ad Colloquium, quod nobilitas sub

[1]) *Bedrotum*, Prof. classicarum linguarum *Argentorati*.

Palatinatu ambit. Nam hodie literas de ea re suscepimus. Incumbemus summo studio, nactique colloquendi facultatem, non video, cur non vinceremus in tam aperta ac bona caussa. Noster *Caselius*,[1] quem ad γραφοτυράννους τοιούτους abmandavimus, caussa referendae pacis, adhuc est in itinere. In horas expectatur. Totam ex nobis fabulam rescies. Responsionem tuam probamus; verum praestaret, ut impressor per *Basilienses* recentes tuos libros huc in tempore mitteret. Sero enim veniunt, et postquam novitatis gratiam exuerint. Nosti huius seculi fastidium et alioqui turbam ac taedia libellorum inutilium, qui praeoccupant. Mi *Zuingli*, toto pectore ad studia pacis propendamus, quia nec dum victus ac triumphatus est Antichristus et miseris quolibet tempore tormentum est conscientiarum dissidium Episcoporum. Fac, ut modestiam tandem caussae optimae adiungamus! nam ardentes carbones in illorum capita congeremus, ipsorum illos pudebit tandem, nisi prorsus cum pietate et caritate etiam frontem exuerint. Libere scripturus sum ad istos, sed praeter talionem, utut me literis suis acerbissimis proscindunt. Vale XX Nov. 1525. *Farellus*, *Bucerus*, *Iac. Stapulensis*, *Iuh. Rufus*, *Vadastus* et quidem *Symon*, omnes *Galli* et contubernales ac hospites mei Te salutant. Deinde *Bucero* nescio an vacet scribere, qui cras praelecturus est: nam alternis diebus ille novum, equidem ego vetus Instrumentum praelegimus. *Myconium* et *Leonem* iubemus salvere plurimum. Accurate ut scribam, neque ingenium neque tempus fert. Tot diripimur occupationibus.

V. Fabritius Capito.

Iacobus Stapulensis se nominat *Antonium Peregrinum* et *Rufus Solninum:* nam latere cupiunt, et tamen pueris noti sunt. Eiecit eos e *Gallia* tyrannis Theologorum.

Inscriptio: Huldrico Zuinglio Episcopo Tigurinorum, ro ac fratri in Christo carissimo.

L.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Gratia et pax a Christo. Quae hic agantur, mi frater, narret *Hetzerus*. Unum Te latere nolim, quod συμπαραιτῶται mei libellum meum exceperunt parum amice; quandoquidem iam antea tuam sententiam profligatam sperarunt, et mea astipulatione qualicunque vident repullulare. Civiliter tamen, pro veteri consuetudine agentes, prius miserunt librum, quo nostra reiiciunt, ne inauditum condemnarent. Itaque respondi illis parce, amice et intrepide, etiam secus quam merentur. Curabo exemplar describi, ut et Tibi communicem. Videbis, hostem nihil praetermittere

---

[1]) *Georgius Chaselius*, Prof. linguae Hebraicae Argentorati, Vitebergam missus erat, qui ad pacem et concordiam cum Helvetiis cohortaretur. *Lutherus* respondit: „hic nullum dari auxilium; defensores vel unius vel alterius sententiae diaboli sint, necesse esse. Quomodo possit Christo commune quid esse cum Beliale? Existimari quidem, convitiis abstinendum esse; sed quo pacto respondere aut contra dicere, si non liceat damnare? idque *convitiari* habetur." (Lutheri epistolae, editae a De Wette. III. Epist. 753).

ad stabiliendum regnum suum. Nostri hic omnia suo more agunt. Et nisi Dominus plebeculae suae benefaceret, olim de ea actum foret. Non poterunt diu tegere latens ulcus. Repente aliquando et intempestive dolorem suum levabunt. Fieri potest, ut in foveam incidant, quam aliis parant. *Hetzerus* cetera. Vale cum domo tua et fratribus. *Bas.* 24. Nov. 1525.

Tuus *Oecolampadius.*

LI.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Gratia et pax a Deo! mi frater. Quid Tibi in nostra ad fratres *Suevos* responsione [1] displiceat significes. Mihi sane illi crassissimi videntur, dum non solum signis, sed et verbis, divinam tribuunt maiestatem. Fortassis Tibi non tantum erit otii, ut legas, quid utrinque scriptum. Suffurari tamen poteris quacunque occasione. Praestat enim scire, quid obiiciant adversarii, qui non sunt contemnendi etiam minimi. In hoc certe ipsi impingunt non mediocriter, quod nos supra modum contemnunt. Ceterum hic nihil novi. Suffraganeum Magistratus non iuvabit, ut ministret Verbo. [2] Proinde reliquos vigilantiores esse oportebit. Literae adiectae *Christophoro* reddantur! ex *Argentorato* venerunt et ante octo dies in alterius literis, ad me tamen redierunt. Vale cum uxore et fratribus. *Ludovicum Hetzerum* admone, ut oportet, libere. Quod si Te neglexerit, fac sciam. Vale optime. 26 Nov. 1525.

Gulielmum quoque *a Zell* carissimum, si adhuc Tecum est, multum meo nomine saluta.

Tuus *Oecolampadius.*

LII.

V. FABRITIUS CAPITO ZUINGLIO.

Gratia Tecum, mi *Zuingli*. Sub *Palatinatu* iuvenes aliquot satis alioqui pii per impanatum irritantur. Conspirant modo et libros abunde satis fortes scribunt, sicut ex *Oecolampadio* fortassis accepisti. In *Bucerum* illorum *Κορυφαῖος* amarulenter scripsit. Equidem respondi civiliter, sed maioribus nervis, quam nuper ad *Pomeranum*, quod illius invectiva magis quam alterius calere videbatur. Non reservavi exemplum: nam intra unam noctem celerrime confeceram. Invitavi eos ad Colloquium, quod fortassis annuent. Interea tamen causam nostram miris degravant odiis. Neque est locus aliquis idoneus conventui, quam S. *Marchia Badensis*, quem omnes illi praeoccupant, non aliter atque solent infesti hostes, dum incursione munitam arcem obruunt potius, quam statis machinis. Nobis acriter erit invigilandum, et nos quoque, retenta caritate, nostris consulamus copiis. Ad bellum ingens natum incendium assurgit, quod Dominus pulchre, dum volet, vel quiescentibus

---

[1]) Epistola ad fratres per Sueviam Christum annunciantes. 1525. 8.
[2]) *Telamonius Limperger.*

nobis, restinguet. *Friburgum Brisgaudiae* hostem me sibi delegit. Cum alma Universitate caussam agam, iudice Vulgo, qui nunc illis sapientibus doctius atque certius pronunciat. Nam ineptum quendam libellum meum nuper combusserunt, si vera ad nos referuntur. Proximis occupatissimus de Baptismo fidem nostram delineavi, quae tuae per omnia convenit. Elementa enim esse elementa permittimus, et illi vim Domini Servatoris stultissime alligant aquulis. Caussam Baptismi atque Eucharistiae satis tranquille adhuc agimus, nisi quod peregre impugnamur. Si quae olfecerimus de satrapis atque orbis praedonibus, quam terram sint futura aestate perdituri, ad Te diligenter scribemus. Vicissim Tu admoneas, etiamsi parum ad nos attineant. Autumant vulgo nostrae inprimis reipublicae impendere periculum, et divisis modo *Helvetiis*. Verum cor regis in manu Domini. Vale. 26. Nov. 1525. *Myconium* et *Leonem Iud* cum Ecclesiae tuae fidelibus ministris aliis iubeo in Domino valere ac pergere gnaviter.

V. Fabritius Capito.

LIII.

BERCHTOLDUS HALLERUS ZUINGLIO.

Gratia et pax a Deo. Opportunissime misisti, frater et praeceptor candidissime, libellum tuum contra Pseudobaptistas, nimirum non minus pro nostra quam tua sollicitus Ecclesia. Nam ad diem dominicum proximum Act. cap. 18 et 19. cum prae manibus habeam: quid mihi tua interpretatione, quae plane tua non est, sed eius, qui per Te omnia agit, charius accidere potuit? Utcunque et *Thomas* et ego delati simus apud Te, eo tamen insaniae nunquam devenimus, ut puerorum baptismum negaremus. Collocuti sumus saepe de hac re, sed illius animi nunquam fuimus, ut Catabaptismum affirmaremus. Seducit multos Scripturarum plana allegatio *Baltazari*. At ubi ex Te imposturam et praeter eam Testamenti rationem viderint, procul dubio aliter sentient. Sed ut Te quietiorem reddam: Senatus nostri decretum est, ut, quotquot rebaptisentur, aut quippiam sua temeritate attentent, iamiam sententia lata est, ut proscribantur.

Laurentius Hochreutiner, *Gallensis*, e Pseudobaptistis mire dicaculus filium habet apud nos, qui aliquando, ut imprudenter, ita et importune, absque omni iudicio, apud complices et convivas de Baptismo effutit, quem *Thomas Wyttenbachius* sic compescuit, ut ne os aperiret. Patrem illius exspectamus, et ubi primum *Bernam* venerit, exterminabitur. Paucissimi, imo nulli ferme sunt, quibus Catabaptismus placeat. Confabulantur multi, obiiciunt ex Actis exempla, quibus non Baptismi institutio sed fructus verbi per Apostolos praedicati indicatur; sed quod sint, quibus ex corde placeat, nullos scio. *Fabiano* loquere, ut e scrupulo liberetur. *Trempium* tuum admone, apud quem omnia potes, libello tuo. Praeterea ubi *Seb. Hofmeister* apud vos fuerit, fac ut et ille fratri suo apud nos ad ravim scribat! nam et is *Gallensis* illius consortio gaudet. Id Tibi tandem, ut uno verbo animum meum habeas integrum, persuasum sit de me: quandiu Domino placuerit gregi *Bernatum*

me praeesse, nihil temere attentabo, neque adseram, sed doctorum exercitata dexteritate in Scripturis utar. *Oecolampadius* me secundo admonuit, item et *Bucerus*, qui et Tibi consentiunt, ne hanc contagionem proserpere sinam. Quod si *Thomae* satisfactum nondum fuerit, ut tamen non credo, id efficiam, ut omnia ad Te scribat. Ceterum quid de Episcopo *Hönstettensi* actum sit, ex ore omnium audies. *Myconium* saluta atque illi gratias age de fraterna admonitione. Filius suus optime se habet, sed interim caveat Pater, ne *Marcolfo* illi quippiam commendet: nam literae interceptae sunt in quodam pago nobis vicino, et ad Senatum nostrum delatae. De tunica et pileo num receperit, nondum constat. Mihi filius est et frater *Felix* ille *Myconius;* nihil de eo turbetur pater. Sat est. Tu me commendato utere, atque omnia mecum age, quae Domini verbum et Ecclesias promovere possunt. Vale, ocyssime ea hora, qua *Claudius a Madiis* et literas et libellum obtulit. 29. Nov. anni 1525.

Bertoldus Hallerus, ex animo tuus, et discipulus et frater.

Libellum tuum nondum legi cum iam primum in manus meas venerit. Sed mentem meam nunc habes de tota Catabaptismi caussa, ut potius emoriar, quam vel rebaptisem, vel rebaptismo consentiam. Et nunc audio, *Trempium* quoque libellum recepisse. Sed si per otium liceat, scribas illi. Scribat et *Sebastianus* fratri suo. Interim salutabis nomine nostro *Leonem, Casparem, Myconium, Nicolaum Fürstein,*[1] *Hallerum*, et omnes, et si quae digna scitu fuerint aut necessaria, cum *Hallero* nostro communica. Postremo, ubi consultum *Tigurinis* tuis videbitur, oratores ad nos mittere, fac ut mittatur vel unus eloquens, et mirum in modum conducet. Omnia boni consule.

LIV.

IOH. RHELLICANUS ZUINGLIO.

Salutem et conscientiae pacem a Domino nostro Iesu Christo. Quum discederem abs Te, carissime Zuingli, in mandatis mihi dedisti, ut si quando Tibi scripturus essem, brevitati studerem, quod equidem facile in praesentia a me impetrabis: *πάνυ γὰρ λακωνικῶς γράψομαι.* Primum Te scire velim, me non admodum invitum *Lithopoli* agere, eo quod hic aptiorem locum privatis meis studiis habeam, quam Tiguri aliquando habuerim in vitrici mei aedibus. Porro, etiamsi vix unus aut alter ex Monachis, quos erudio,[2] fructum sementi dignum faciat, complures tamen alios discipulos habeo, de quibus spem concepi, fructum aliqua ex parte labori responsurum esse, inter quos puer quidam est, qui se monasticae vitae mancipaturus erat, nisi Dominus verbo suo nos denuo illustrasset; siquidem is bonae indolis et spei est, si, ut coepit, perseveraverit. Ceterum si maior mei usus *Tiguri* esse poterit, tui officii est curare, ut illuc remeem. Postremo, est hic sacerdos nomine

---

[1]) *Iohannem.* [2]) *Rhellicanus* monachis *Lithopoli* magister Theologiae datus, sicut *Wolfgangus Chroeil* monachis in *Rüti.*

Pelagius ex Hegovia una cum uxore et 4 liberis pulsus, qui Te nuper Tiguri convenit, quum literas a *Luchsingero* Senatui *Tigurino* reddidit. Is tametsi continue manibus laboret, nihilominus magna inopia premitur. Quapropter Te summopere rogatum velim, ut ei de praedicandi officio, quantumvis vili, prospicias, ita ut et praedicando, et manuum labore, eo facilius sibi victum parare possit. Quod beneficii si in ipsum contuleris, non minus gratum mihi fuerit, quam si in me ipsum contulisses. Quod si de reliquis *Stainensium* rebus certior fieri cupis, ex *Luchsingero* [1] interrogare licebit. Vale, ac *Ceporinum* mea causa plurimum salvere iube. Salutant Te vicissim *Leonh.* et *Adrianus.* [2] *Stainiae Tigurinorum* die Lunae post Andreae festum 1525.

Tuus *Ioannes Rhellicanus.*

LV.

IOANNI OECOLAMPADIO, BASIL. EVANGELISTAE, FRATRI SUO CARISSIMO.

Gratia et pax a Domino. Legi doctissime *Oecolampadi* librum *Brentii*, [3] tali iudicio mihi crede, ut nisi *Ludovicus* [4] me refecisset *Capitonis* tuisque verbis, quod videlicet epistolam ad te dederit tum amicam tum christianam, magno impetu fuerim hominem ducturus. Causa est, quod esse eloquens videtur, linguas mediocriter doctus; sic tamen pessime colligit, sic impudenter tumultuatur, nec in loco: sic vim facit sacris literis, sic eam pertricta fronte cladem nobis obtrudit, ut, nisi, ut diximus, tua nos verba retinuissent, omnem de

---

[1]) *Conradus Luchsinger*, oeconomus coenobii *Lithopoli*. [2]) *Wirthii*. [3]) *Ioannes Brenz*, ex urbe imperiali, *Wila*, *Sueviae*, oriundus, bonis litteris Heidelbergae studuit, ubi *Oecolampadium* unum suorum magistrorum, *Melanchthonem*, *Bucerum*, *Schnepfium*, *Fechtum* condiscipulos habebat. Quum Lutherus ibi 1517 disputaret, eum Brenzius studiosissime assectari coepit, commentationes in libros N. T. et scripto elaborare, et ore proferre. Annos 23 nato praedicatura Halis Suevorum obtigit. Inter certamina, cum adversariis obeunda, cum mansuetudine et prudentia reformationi et suî oppidi et Sueviae omnis opitulabatur; sed importunam vehementiam imitans Lutheri adversarium sese doctrinae Zuinglii et Oecolampadii de S. C. obtulit. Oecolampadii scriptum: „De genuina verborum Domini: Hoc est corpus meum", iuxta vetustissimos auctores expositione, cuius subtilitatem et tranquillitatem hostes quoque laudabant, Theologis Suevis, suis pristinis discipulis ab ipso, ut expenderent, commendatam, Brenzius nomine 14 praedicatorum Suevorum scripto invasit acerbo, *Syngramma de Coena Domini contra I. Oecolampadium* inscripto, quem libellum Zuinglius his litteris tantopere indignatur. Oecolampadii epistolae, et quem contra edidit libellus: Antisyngramma ad Ecclesiastas Suevos, contestabantur denuo suam mentem vere christianam. Brenzius idem colloquio *Marburgico* interfuit, unus omnino Lutheranorum Theologorum maxime industriorum et conspicuorum in certaminibus cum Catholicis et Reformatis. Per multa discrimina defugit 1547 vires imperiales. Ad introducendam et stabiliendam reformationem in finibus Wirtembergae plurimam operam contulit. Obiit 1570 annos 71 natus. Eius scripta numerosa sunt, tum exegetici generis, tum dogmatici et polemici. [4]) *Hezerus.*

eo spem abiecissemus. Tua super dimidiam partem legimus: confestim enim *Ludovicus* repetiit, ut ad te remitteret. Solida sunt tua, sed quae ille, nisi alius sit, quam oratio prodit, naso suspendet. Dispeream si unquam quicquam mihi visum est fastuosius aut stultius. Bonus vir est *Brentius*, qui praeceptorem minus quam canis sacra veretur? qui nobis hypocrisin, seditionem, et quid non intentat? qui iuvenili audaciae ubi parum eloquentiae iunxit, sic inconsulte prosilit, et bona nomina calumniatur? *Lutheranus* doctor est, qui hoc unum norunt, quamvis scripturam ad quodvis torquere, ac inciviliter tumultuari, tribunitiis clamoribus non moderata eloquentia negocium agere. Liber si exeat a chalcographo aliquo, dabis operam, ut et tuus simul prodeat. Ibi ego et alius apud nos respondebimus ut dignum erit, nec tamen ita, ut tibi aliquid sit propter modestiam desiderandum, sed leviter atque ridicule perstringemus tironem istum audacem, ut post cautius pugnare discat; lusum faciemus potius quam triumphum ex eo. Tu, ut adsoles, constans esto! nostri enim quoque constantes sunt. *Bernatibus* enim petentibus, ut vel in una aliqua aedicula missam patiamur, nulla parte cesserunt. Mittetur legatio a nostris ad *Bernenses* eodem modo, quo ipsi ad nos venerunt; qui cuncta, quibus hactenus presserunt quidam *Helvetiorum* urbem nostram, exponent, ut arbitror, petentque ut publicae tum paci, tum doctrinae caelesti consulere ordiamur. *Christophorus*[1] ad 4 diem Decembris, Germanis librum tuum ut det, primum conatum molietur. Dabit ver proximum turbas immodicas, sed principibus non urbibus, si modo cautae sint. Brachia ne remittas! nemo pro iustiore causa pugnavit unquam atque nos. Quid vero quod adversarii sunt multi? Vincet, vincet omnes veritas, et adperientur cogitationes cordium, prodetur hypocrisis, ubi ubi tandem fuerit hactenus abstrusa; surget invicta invictis omnibus veritas. Accedit opinioni nostrae mundus ferme, non malignus iste, sed is qui in coelis quoque scriptus est. Vale et perge! nihil est, quod non possimus per Christum. Hoc exciderat: Istud unice specta, ut a tam fusa contentione *Brentium* avoces, et intra cancellos pugnare compellas: Caro non prodest quicquam etc. *Hetzero* idem commendavimus ut ad te scribat. Ex *Tiguro* Kalendis Decembribus MDXXV tumultuarie.

Huldricus Zuinglius tuus.

LVI.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Gratia Christi semper Tecum, mi frater. Tuum de *Brentio* illo meo iudicium, heu! nimis verum mihi videtur. Fuit ille ante annos paucos omnium, quos vidi, mansuetissimus. Sed quae illum extimulet Erinnys, ignoro. Vereor Absoloni, ne capillos rhetoricationis suae in damnum suum maximum nutriat. Deus, precor, meliora det. Satis illum admonui, siquidem monita non spernit. Admonitus autem est et per fratres *Argentinenses*, maxime per *Capitonem*. At circumfertur,

---

[1]) *Froschoverus.*

ut audio, interim in *Marchionatu Brentii* ad *Bucerum* arrogantior epistola in nostrum librum, quam tamen nondum vidi. Solliciti sunt fratres *Argentinenses* si in colloquium res deduci posset, et ego optarem. Valde enim obsistunt absentes, minus praesentes. Porro, si omnino deploratus fuerit amicus, et librum edi curaverit, sequens consilium tuum faxo, ut videat, quid sit iuveniliter in rebus tantis ludere. Mire animum meum recreavit civium tuorum constantia, qui tanta cum fide divina colunt, neque prudentius agere possent. Quis enim contra, si pro nobis Deus? Qui si non esset pro his, qui in ipsum fidunt, pro quibus futurus tandem? Utinam *Basilienses* aliquando imitentur. Sed admodum teneri sunt, ne quid aliud dicam. Suffraganeus noster [1] alium successorem recepit pro suggestu, (in quo nihil periculi) suffraganeum *Frisingensem*, ni fallor, *λίχνον*. Succedet fortassis et in initiandi officio. Ferunt autem et *Tregerium Augustinensem* provincialem functurum hic concionandi munere. Ut video, timet sibi Satan. Expectamus quid novi a Comitiis nostri legati allaturi sint. Minantur enim adversarii, qui tamen absque voluntate Domini nihil poterunt. In quo nostra spes esto. Vale cum omnibus Tibi in Christo dilectis. Bas. 6. Dec. 1525.

Fasciculus literarum ab *Argentorato* non potuit antea transmitti.

Ioannes Oecolampadius.

LVII.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Gratia et pax a Christo, carissime frater. Accipe et alterum fasciculum, magis forte desideratum, quam iucundum, certe non contemnendum, ne scilicet ignoremus, quid et quantum valeant adversarii, egregii illi Spirituum pensiculatores. *Bugenhagius* in me scribit, redarguturus conscientiam meam, quod perperam veterum protulerim sententias. Strenue agunt, et, ut leges, non permittunt extorqueri, non esse articulum necessarium. De originali peccato non faciunt Tecum, et hinc potissimum Te aggredi molientur. Negotium vereor maius inde suborietur; proinde amice pro mea simplicitate monuerim, ne quid temere, vel subito. Neque ego satis intelligo, quid natalitii peccati nomine non admittas. Num omnes pueros ita puros velis, ut etiam regni introitui per gratiam Christi sint idonei, an puros quosdam asseras per subsequuturum Dei donum. Proclivitatem sane peccandi, opinor, fateberis in omnibus propensiorem, quam antequam prior Adam peccarat. A *Pelagianorum* sententia libens, quantum per scripturam possum, recedo. Doleo, quod super eo argumento non uberius superiore anno coram Tecum egerim. Nam in itinere quaedam in mentem venerant; at nihil ambigo, quin ubique per Christum dexterrimum sis acturus

---

[1]) *Telamonius Limpergerus*, episcopus *Basileae* suffraganeus, quum ad partes Evangelii accessisset, loco motus est; successit D. *Augustinus Marius*, Suffraganeus *Frisingensis*, cui Oecolampadius Evangelium confestim commendavit. Marius autem adversarium acrem Evangelii semper se gessit et in victoria reformationis 1529 Basilea profugit in Bavariam. (Hott. H. E.)

militem, ubi ubi Te organo usurus est. Sacerdotes *Argentinenses* in *Capitonem* et civitatem *Argentinensem* valvis templorum quaedam inscripserunt, ut involvant bello. Sed quae sint, ignoro. Quid non facit insaniens Satan? Vale. Bas. 7. Dec. 1525.

Io. Oecolampadius.

LVIII.

IOH. VANNIUS ZUINGLIO.

Gratia et pax a Deo. Nunquam audivi, carissime *Hulderiche*, quod iis defuisses, qui ob Christi nomen persecutiones passi sunt; nec defueris *Heinricho* nostro, ubi rescieris, quae et ipse passus est propter Evangelium. Non semel de uno loco in alium est persecutus, carceres expertus est, et bonorum temporalium iacturam non parvam etc. Eam ob rem ipsum ob Christi nostrum amorem suscipito, nec apud ingratum beneficia locabis etc. Si aliquis apud Te *Blaureris* [1] fuisset obloquutus, quod temere tuam de Eucharistia sententiam impugnarint, noli credere. Satis modeste de hac re locuti sunt, et si non probarunt, non tamen omnino inficiati sunt. Pendent adhuc. Nunquam male de Te senserunt, ut ex literis *Ambrosii* melius intelliges. Gratia Dei Tecum. [2]

Tuus, *Ioannes Vannius.*

LIX.

ZUINGLIUS, AMBROSIO BLAURERO.

Gratia ex pax a Domino. Extorsit summa iniustitia hanc epistolam *Gregorius Mangoldus*, doctissime *Ambrosi*, subinde opprobrans, Te nihil unquam literarum a nobis accepisse, ad quem tamen bis iam scripseris. Equidem non sum immemor, ante annos aliquot gratissimam abs Te accepisse, cum quadam copia Fabrilis epistolae. [3] At quod nunquam ad Te dederim literas, incertus sum: manet enim etiamnunc in mente nostra spectrum epistolae cuiusdam ad Te missae. Fieri tamen potest, ut invenerim, quae ad Te daturus essem, materiamque contraxerim, nec tamen calamo exceperim. Sicque spectrum ad haec haereat, quod in effectum, aut in opus nunquam exiit. Utcunque res habeat, mi *Ambrosi*, si quando tenacius epistolas promo, vitio non vertendum, ipse, haud dubie, pronunciabis, ubi tot occupationes ac turbas expenderis, quibus continuo adobruimur. Sed et hoc, quod stilum nostrum perpetua quaedam verecundia tenet, ut haud temere adeat magna nomina. Sunt enim, qui ambiri aliquid apud se arbitrentur, si ab indignis, epistolis interpellentur. Deinde amicos soleo non temere facere. Quod si videam aliquos eadem esse fide praeditos, quam nos praedicamus,

---

1) *Blaureri* claudicabant in sua sententia de Eucharistia; Bucerus, amicus, multum in eos valebat. Hoc autem nihil offecit amicitiae Zuinglii cum his fratribus. 2) Sine consule et die, sed ante Dec. 1525. Conf. Ep. sequ. 3) Conf. Ep. XLI. A. 1523.

iam non laboramus in eorum amicitiam recipi. Certi enim sumus, nos istis esse gratos, quum videant nos citra fucum veritatis provinciam obire; satis est nobis superque arrhabo Spiritus: eum ubi teneri videmus, iam obsignata sunt nobis omnia amicitiae munimenta. Sic, cum Te videam ex fide Christi negotium agere, non dubito, me in amicorum Tuorum albo aeque esse, atque ipse in meo es. *Vannius*, communis noster amicus, tametsi aliquandiu nihil inter nos literarum dilatum est, locuples tamen testis erit, quoties Tui memoriam apud se fecerim per epistolas. Subvisus es proxima epistola quiddam agnoscere, quod satisfactione opus habeat. Desine, mi *Ambrosi*, quicquam apud nos vereri. Non is sum, apud quem tu purgari debeas, etiamsi liberrime quaedam in nos eiaculasses. Neque rursus tam tenero sum animo (τῷ θεῷ χάρις) ut facile plagam accipiat. Quod utinam quaedam magna nomina sic servavissent, quam nobis unice custodita sunt, haberet profecto Christi populus longe melius, et Antichristi turbae deterius, quam habeant. Tu, mi *Ambrosi* (avocat enim nunc me secunda concio, isto die habenda) sic de *Zuinglio* persuasum habeas, ut nihil antiquius ducat bonorum amicorum thesauro, sicque abesse, ut amicitiam Tuam aversetur, aut declinet, ut se beatum audeat ducere, si creberrimis ab Te obruatur scriptis. Agamus strenue negotium Dei, et videbimus, simul amicitiam crescere et firmari; si deinde in aliqua re dissentimus, civiliter atque intra amicitiam contendamus, non *Wittenbergice*, ubi fastuosa sunt omnia, minacia, tyrannica. Commode ipsi inter nos infantium more, tenuibus remulcis, praelia committamus. Adplaudant alii factis suis magnis flatibus, nos ista flocci faciamus. Omnia boni consule, et me Tuum ex animo firmiter fide. Servet Te Christus Ecclesiae suae incolumem. Ex *Tiguro* X. Dec. 1525. Salvos iube nostro nomine *Thomam* communem fratrem, *Vannium*, *Mculishoferum*, omnes.

Huldricus Zuinglius, tuus.

LX.

AEGIDIUS A PORTA,[1] ZUINGLIO.

Diu est, Pater pientissime, quod in votis erat ad Te scribere. Nempe non alia de causa, quam ea, de qua et in praesentiarum. Sed, ut verum fatear, veritus sum tamen viri haud vulgaris ponderis vultum. At hanc ipsam pusillanimitatem in memetipso modo reprehendo, quandoquidem recolo Christum ipsum, Dei filium, absque personarum delectu humillimos quosque suscipere ac fovere. Quod si ille facit omnium Dominus, ut Psaltes docet, inquiens: illuminare, et non confundi facies accedentium ad eum: qui fiet ut ad eius ministrum accedere non audeam? Persequebatur et olim Paulus Dei Ecclesiam, et tamen inter eundum a Domino percussus ac prostratus, audit Dominicum praeceptum de conveniendo Anania, deque suscipiendo eius consilio, quibus ille auditis mox surgens explevit omnia. Esto, non sim ego per omnia futurus Paulus, quod nihilominus in manu Dei est; sis tu mihi Ananias,

[1]) Monachus Augustinianus in Como.

ac verbo dirige errantem in via salutis. Annus nunc agitur quartus supra decimum, quo, zelo quidem, mea sententia, pio, sed non secundum scientiam, subduxi memet a parentum patrocinio, cucullumque nigrum, quem Augustinianum ferunt, ex animo suscepi, ratus cum Pelagianis salutem operibus meis mihi posse parare. Dedique operam, ut si non fierem vel doctus, vel pius, certe pro docto ac pio haberer, in tantumque egi, ut iam septennio fungar evangelizandi verbi Dei munere, proh pudor! in quanta bonarum litterarum ignorantia. Ego nihil quod Christum saperet sapiebam; nihilque fidei, omnia operibus tribuebam. In his confidere audacter ac strenue docebam; et quis recenseat venena, quae et ego in agro Dominico seminavi? adeo ut citra omne mendacium fateri possim, Ecclesiam Dei me esse persequutum. Sed noluit bonus Deus servum suum perire in perpetuum; prostravitque me penitus. Neque amplius lumen oculorum meorum mecum est, neque muta reliquit labia; quin potius ad ravim usque clamavi: Domine quid me vis facere? Tandem audivit cor meum egregiam illam vocem: Ingredere ad *Huldricum Zuinglium*, et ipse te instruet, quid oporteat te facere. O praeclaram vocem! Sensit in hac voce anima mea pacem ineffabilem. Quaeso, ne me putes ludere. Tu enim, imo non tu, sed per te eruet me Deus de laqueo venantium. At quid dico ego, me? quando vel quia spero fratres aliquot mecum adducere. Haec eo dixerim, quo pares interea et loca et gentes, a quibus valeamus sanam doctrinam imbibere. Nobis et Graeca et Hebraica lingua sunt omnino abstrusissimae, atque admodum parum de Latina habemus. Volumus tamen et illas, si fieri poterit, primo tamen omnium Christum addiscere. — Hunc nihilominus adventum nostrum ultra festum dominicae Resurrectionis protrahemus, siquidem hac proxima quadragesima futura iuxta salutarem obedientiam Verbum Dei praedicabimus. Tu interim nostram huiuscemodi causam, utpote tuam, imo Christi, fideliter tracta. Cuius, o si merear laetum aliquod, priusquam hinc abeam, nuntium accipere, (abibo autem intra mensis unius terminum) quam magnificas gratias Deo deberem! Tu si quid scripseris, operimento dirige ad *Andream Montinum* compatriotam. Nec plura. Bene vale in Domino. *Comi* XI Dec. 1525.

Tuus *Egidius a Porta, Comensis.*

LXI.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Gratia et pax a Patre Deo per Christum. Bene se habet res, mi frater. Aliena culpa morbus commodum natos divexat, quos tamen sola Spiritus Sancti novitas curabit; curantur autem omnes ab illo afflati. Arcana, quae perscrutari non est fas, Deo relinquemus. *Saxonum* autoritas neutiquam terrebit. Praebuerunt enim specimen et gustum sui spiritus. *Argentinensibus* fratribus, quae iubes, solito diligentius scribam. *Eccii* epistolam, [1] quam remitto, nondum legeram, tametsi

[1]) *Eccii* litterae ad Helvetiorum Commune contra *Oecolampadium* et *Zuinglium*.

copia eius facta fuerit fere omnibus Canonicis et validioribus inimicis, qua se oblectarent. Itaque hodie obvio Consuli de ea re mentionem feci, et obtuli me ad respondendum Domino. Nihil enim novum, nihil seditiosum, nihil bonis moribus adversarium docuimus. Facillimum haereseos quempiam arguere. Me non detrectare dixi colloquium vel Disputationem *Eccii*, imo neque eorum, quorum calces *Eccius* ut solvat indignus est. Verum nollem temere, contra monita Christi periclitari. Mirabatur de Te ille, quod superiore anno non disputaris cum *Eccio*, cupitque audire, quem nunc exhibiturus sis. Respondi, mihi bonam spem esse, Te minus timere, quam ego timeam. Certiora enim nostra esse. Ceterum non ignoret, quid olim *Constantiae* actum et quid *Wormatiae* attentatum. [1] Dominus, qui nos vult esse simplices, idem iubet et prudentes. Haec cum illo. Quod si ad senatum vocatus fuero, eadem dicam. Sed non facile me vocabunt. Et quis est miser ille *Eccius*, ut castra Dei Israel blasphemet? Quem timeamus? Annon susceptor noster Immanuel est? Quid faciet Papista insanus? Si negaverit cum *Lutheranis* transsubstantiationem, iam ecclesiam suam negavit. Quod si illam sequetur, minimo certamine confundi poterit. Sed iungat se *Lutheranis*! si verbo parere voluerint, confundentur non minus. Si noluerint, non poterimus cum tam immundis loqui. Bono igitur animo simus. Vivit Dominus, qui loquutus est per Prophetas, nobisque os et sapientiam promisit; esto, nunc simus piscatoribus brutiores. Utinam cras adesset dies! Sed significabis quam primum, quid tui in hac causa decernent. Oportebit semel in faciem resistere Pseudoprophetis. Vale et de fidei meae constantia bene spera. *Bas.* 19. Dec. 1525.

Tuus *Oecolampadius.*

LXII.

IOH. RHELLICANUS ZUINGLIO.

Salutem et conscientiae pacem a Domino nostro Iesu Christo. Percepi a *Leonh. Hospiniano*, qui recens Tiguri fuit, *Ceporinum* nostrum e vivis excessisse, *Zuingli* carissime, quod quidem mihi non potest non dolere, quum apud animum meum verso, quantam literarum iacturam fecerimus, qui tam docto homine privati sumus. Neque vero *Ceporini* manibus suam felicitatem invideo, quod ii iam eo bono fruantur, ad quod assequendum nos aspiramus. Imo *Ceporini* mors ob hoc mihi tantopere dolet, quod videam bonas literas ruinam minari, quum docti viri praematura morte passim decedant, et nemo sit, qui vel literas amet aut colat, sed scelerata principum tyrannide opprimantur, et furiosis vulgi tumultibus exsibilentur. Quae res nihil aliud portendere mihi videtur, quam Deum sceleribus nostris et ingratitudine iratum esse, propterea quod in tanta Evangelii claritate, tenebras magis amemus quam lucem, et quod partim linguarum dono abutamur, partim vero capitaliter odio habeamus. Hactenus de *Ceporini* obitu. Paucula nunc

1) Nempe cum *Husso* et *Luthero*.

addam, quae a Te mihi fieri cupiam. Retulit mihi idem *Leonhardus*, se in *Regii* cuiusdam aedibus Te convenisse, ibique inter cetera Te ex literatis convivis, qui tum simul aderant, interrogasse quemnam in *Ceporini* locum substituere vellent; tum illos respondisse, *Rhellicanum*; idque Tibi non admodum displicuisse, modo alius etiam, qui Hebraice doceat, substituatur. Quod sane haud invitus percepi. Nam praeterquam, quod parum vel nihil fructus apud monachos *Steinenses* sperandum est, effrenis eorundem Abbas omnem, ut dicitur, lapidem movet, quo in monasterium suum restituatur,[1] sive per fas, sive per nefas, eamque ob causam nil nisi νυχθήμερος hic futurus essem. Quapropter etiamsi tuae humanitati non diffiderem, quin mei rationem habitura esset, volui tamen hac scheda Tibi significare, Te mihi quam gratissimum facturum esse, si operam dederis, ut provinciae graece docendi praeficiar. Ubi enim hoc factum fuerit, latiorem exercendi ingenii campum, et ansam quoque discendi Hebraice nanciscerer. Siquidem non solum graece docendi mihi animus est, verum etiam rhetorica et dialectica praecepta, et eorundem exempla in bonis scriptoribus latinis enarrandis docturus essem, ita ut iuventus non tam linguas et bonas artes disceret, quam quo ordine quaeque tractanda essent. Vale. *Leonem* et *Megandrum* meo nomine multum salvere iube. *Stainae Tigur.* postridie D. Thomae 1525. Raptim ad lucernam.

Tuus *Ioh. Rhellicanus.*

LXIII.

ZUINGLIUS VADIANO.

Gratia et pax a Deo. Non ambigo, clarissime *Vadiane*, quin tua civilitate iamdudum feceris, quod ipse tam per occupationes, quam tabellionum penuriam, ut faceres, non oravi, nempe ut Senatui vestrati gratias uxoris nostrae nomine agas pro munere et splendido et commodo. *Balthazarem* apud nos in nervum esse coniectum, iam olim haud dubito Te audivisse, de quo *Binderus* commodum scripsisse reliqua admonuit, praeter hoc quod ipsum adhuc latuit. Hesterno crepusculo, quod fuit 22 Dec. hora quarta, per Praeconem accersor in Praetorium. Ibi convenerant; qui ad hoc per Senatum constituti fuerunt; prodit *Balthazar* et apertis clarisque verbis recantat errorem de Catabaptismo, de non habendo Christianis Magistratu; excusat se, nunquam in eodem fuisse errore plane testans. Eodem modo de communitate et sanctitate, qua isti se iactant incontaminatos esse. Res ad magnum Senatum Diacosiorum est reiecta, qui nunc ista hora habetur 23 Dec. ante meridiem. Scripsit quidam apud *Budam* (habet enim *furnum* (Ofen) in frontispicio libellus) pro nobis adversus *Pomeranum*; qui mihi libellus

---

[1]) Abbas *Lithopoli*, *David a Winkelsheim*, Abbatiam pro annuaria persione magistratui Turicensi cesserat; mox autem noctu cum thesauro et documentis defugit ac *Ratolfcellam* se contulit. Quum restitutio in Abbatiam impetrari non potuerit, praedia in Germanico solo sita Monasterii Austriae tradidit itaque diuturnam litem incendit.

hoc articulo redditus est ex *Augusta* per *Hetzerum*, qui nunc apud nos est. *Urb. Rhegius* fluctuat, quae res mihi satis magno testimonio est, veritatem de Eucharistia *Augustanis* quoque probari: ut enim nobis videtur viro ingenium esse, Chamaeleonta nonnihil refert. Obstant *Lutherani* et *Lutherus* ipse nobis comminatur haud civilius, quam agricolis rusticis fecit. Habemus *Argent. Basil.* et nos eius fundamenta. Dii boni, quantum frigus, quanta in sua autoritate spes? Sed bene habet: sic debent mutari ac se in omnia vertere, qui veritatem aut explodunt, aut declinant. Victoria in manibus est, utut saeviant *Pontifex*, *Eccii*, *Fabri*, *Lutheri*, *Bugenhagii*. Comitia *Augustana* mire eluduntur *Caesaris Ferdinandique* artibus; nulli ferme Principum principatiorum aderunt, etiam Episcopi *Colon. Trevir. Mogunt.* non aderunt. Ego arbitror, vix tandem his redditam esse rem, ut monarchiam *Caesaris* olfacere incipiant. *Bernam* missa est Senatus Ducentorum Legatio. Quid responsi auferatur, expectamus. Videmus nostra tempestate quantum possint studia, quae iam *Helvetiorum* omnem occasionem impediunt. Da enim eorum concordiam! et non modo per discessionem, aut si mavis desertionem, *Caesaris* vis imminuetur, sed et *Gallus* e vinculis educetur: tantum est in *Germania Caesaris* fastidium. Veruntamen sic est in fatis. Consilio cuiusdam, quem Tibi paulo post nominabo, factum est, ut *Bernam* sit legatum, efflagitantibus nonnullis, qui isthic Deum timent. Res magni momenti erit, si recte volent consulere. Haec ultima Tecum. Tu interea bene spera etc. Sabbato ut supra. (23 Dec. 1525.)

Huldricus Zuinglius.

In margine: Commendo tibi hanc *Hermanni* filiam, ut eam patri commendes. Honeste sane apud nos lana telaque victum parat, duriter victum quaeritans; sed sunt, scio, omnium hac tempestate copiae in angustum contractae. Quantum licet ac fieri potest ne desis oro.

LXIV.

CLAUDIUS MAGIUS [1] ZUINGLIO.

Mea sit Vobis officiositas promta semper addicta. Scitote, Domine carissime et probe amice, Vestras litteras ad me semel et iterum missas bene habeo perceptas. Quod meum fratrem attinet, is nostri quondam scribae publici, *Nicolai Schalleri*, viduam duxit, Vobisque maximas gratias ago pro impensa opera. Sicubi hoc poterimus remunerari, nos cunctos habebitis paratos. De altero negotio, spero omnia pulchre conciliatum iri. Auspicia bona. Certum habeo, Vestros dominos, qui hic fuerunt, nostros ingenuos socios esse, et candide quoque dimissos;

---

1) Familia *Magia* praesidium praecipuum reformationis Bernae fuit. Bartholomaeus iam 1522 patrocinatus erat *Brunnero*, Pastori Hoechstettensi. *Claudius* fuit familiaris Zuinglii; eius filia, *Clara*, monialis ordinis Dominicani, in insula Bernae suburbana, quae hoc ipso anno e coenobio excesserat et cum Bullingero litteras communicabat, 1526. Praeposito, qui munus abdicaverat, *Nicolao a Wattenweil* nupsit. *Iacobus*, Claudii frater, Praepositi a Wattenweil sororem e coenobio *Koenigsfelden* sub idem tempus nuptam deduxit. De alio fratre hic sermo est.

id quod Vobis referent. Viderunt voluntatem, qua in civitatem honestam Tigurinam affecti sumus cum spe, amicitiam inter nos in dies auctum iri. Vestri legati facile cognitum habent, qua mente maior pars apud nos adhuc sit. Mei Patres Conscripti proximo die Veneris Domino Berchtoldo Hallero munus denuo prorogarunt. Multae machinationes tentantur ad eum depellendum; non autem, ut fretus Deo spero, succedet. Illum — et propraetorem sua merces manet; id quod Vobis meus hospes nuntiabit, cui coram dixi. Si quid mihi porro scribere lubeat, hoc facite per certum nuntium, ut epistola mihi non aberret. Hactenus! Deus Dominus Vestram valetudinem prosperet, ut peragere sancta placita eius possitis. Bernae, die Iovis ante festum natale.

Vester omni tempore promtissimus *Claudius Magius.*

Inscriptio: Magistro Huldrico Zuinglio, meo dilecto amico Tiguri.

64.

Claudius May an Zwingli.

Mein allzeit willig Dienst etc. Wisst lieber Herr und guter Freund, Eure Briefe so Ihr mir nun zweimal geschrieben habt, habe ich verstanden. Meines Bruders halben, der hat unsers Stadtschreibers Niklaus Schallers sel. Frau genommen, und Dank Euch auf das höchst der Mühe und Arbeit, so Ihr gehabt habet. Wo wir das alle könnten verdienen, sollt Ihr uns willig finden. Des andern Handels halben hoffe ich, werde sich alles wohl schicken. Der Anfang ist gut. So versieh mich, Euere Herren, so hie gewesen, sind unsere lieben Eidgenossen; seyen auch wohl abgefertigt, als sie auch sagen werden, und haben gesehen den Willen, so man zu einer ehrlichen Stadt von Zürich trägt, in Hoffnung die Freundschaft werde sich mehren zwischen uns von Tag zu Tag. Euere Boten haben wohl gesehen, was Willens der Mehrtheil noch hie bey uns sind. Meine Hrn. Räth und Burger haben unsern Hrn. Berchtold auf Freitag vergangen auf ein Neues bestätet zu predigen. Man sucht viele Ränke, ihn zu vertreiben; aber ich hoffe zu Gott, es werde nicht geschehen. Den — und Landvogt ist ihr Ding gemacht, als auch mein Wirth sagen wird: dem hab ichs von Mund gesagt. Wo Ihr mir weiter schreiben wollt, so thut das bey gewisser Botschaft und dass mir der Brief gewiss werde. Damit verleihe Euch Gott der Herr Gesundheit, dass Ihr seinen göttlichen Willen möget verbringen. Dat. Bern Donst. vor Weihnacht 1525.

Euer allzeit williger Claude May.

Ueberschrift: Meister Ulrich Zwingli seinem lieben und guten Freund zu Zürich.

LXV.

W. FABRITIUS CAPITO ZUINGLIO.

Gratia Christi Tecum, fortissime heros. Plurimum solatii literae tuae attulere nobis de tua Ecclesia sollicitis, qui timebamus, nescio quid humanius casurum in pectora infirmiora ob lapsum *Waltzhutanorum.*

Viciniae enim malum nos vehementius attingere solet. Verum tantum abest, ut aliquid nobis discesserit, ut et nostram pariter ignaviem istinc subfulcias. O carissime Zuingli! quam semper trepidavi de *Balthasare*? [1] quoties arctissimis amicis de homine dubitanter locutus sum, quoties dubitavi de animo gloriosuli? siquidem notus est ab annis multis magis, quam ulli bono probatus. Nunc primum, quia concutitur adversis, in spem venio, hominem vere Dei esse, qui per praesentes afflictiones apparatur, expolitur, absolvitur; modo furiosam rebaptisandi pervicaciam, et impotentem, qua vehementer laborat, philautiam deponat. Det Dominus, ut in gloriam suam omnia. De *Waltzhutanis* in spe sum, in locum eiectum verbum Dominus restituet, quia cohaerescere quorundam pectoribus nihil dubito auditum Christum, qui otiose non latitabit; erumpet olim cum cautiore fiducia. Illa modo via dissidium excluditur, quod ex tuis literis agnosco peius extitisse praesenti clade. Gratia Deo! nostram Ecclesiam eius generis tragoedia necdum tangit. Verum aliquid monstri quidam alunt, quod nuper effudissent, ni metus externae persecutionis prohiberet. Eos facere nostros quotidianis officiis conamur. Quod ad constantiam nos hortaris, habeo gratiam. Cohortatione tali opus est; non omnibus fateor, infirmis tamen, maxime conducit, imo et firmi gaudent audire alibi similia dedisse pectora Dominum. Vanissimos hic terrores spargunt, quasi nostra fides formidabilis esset eximie Satanae. Scimus nasci domi nostrae omnes hos rumores; et sunt tamen qui nostrae Reipublicae male volunt, sed incutere mala hoc tempore an satis commode possint, necdum scio. Adeo habent, quo per hanc aestatem exercendi videntur. Novi et plebis mobilitatem, sed anchora nobis Christus est, eoque intrepide pergimus. *Waltzhutana* defectio ne pilum quidem nos turbat, imo sentio grandescere fidem in multis. *Ensheimenses* pergunt pios trucidare, et *Elvetii* nostri tantis pestibus favent. Dominus eos dissipet ac perdat!

Cum pharmacopola conveni, qui plane probus ac integer est. XVI aureos pro victu poposcit. Neque alibi uspiam minus dari solitum asseverabat. Hominem verum putamus, et ei ministro non esse opus scimus. Eoque suscepi ad Te scribendum; Tuum erit respondere, an bono viro haec conditio probetur, nec ne. Nam quod Pharmocopola de fideiussione petierit, per me agetur. Fidem dabo pro iuvene commendato per Te perquam libenter. Fere exciderat: ad biennium locandus erit: nam ait, minore tempore nihil commode fieri posse.

Qualis vir sit *Ioh. Burkardus*, ex iniecta schedula facile cognosces, tametsi *ἀπόῤῥητα* monasticae vitae nihil attigerunt illi, qui haec suggesserunt. Praecipuum, quod per *Mart. Herlin* probari potest, furtum est frumenti et aurei cruciati. Nam civi, qui adhuc vivit, mira fraude imposuerat, et in aliqua summa frumenti defraudaverat totum; quod abstulerat, reddidit coactus manu illius. Neque ei tutum esset hic agere, nisi permutata veste. Raperent eum sui adversarii in ius.

Bucerus anno superiore, caussa parandi victus *Pomeranum* vertendum receperat. Taedia multa devoravit. Vertit. Excusus est

---

1) Vide explanationes ad Zuinglii scriptum de *Baltasaris* libello baptismali.

liber *Basileae*. Quam studium hominis *Wittenberga* probatura sit, experiemur brevi. Certe quaedam meliora reddidit, et nunc in hoc est idem ut exquisitiora colligat. Verum, mi Zuingii, oro plurimum, quam fieri potest, frigidissime agas, si quid agendum adversus γραφοτυράννους τοιούτους. Modestia et causa nitamur, sicut ipsi autoritate et opinione eruditionis. De *Baltasare*, quem Tecum captum aiunt a Magistratu liberali detineri custodia, speramus felicem exitum. Iustitia et charitas in talibus iudicibus locum habent, neque deserent indefensam caussam veritatis. Et omnino consultum arbitror, ut nihil, quod severitatis etiam iustae suspicionem habeat, cum eo tentetur. Gloriosuli illi norint clementiam christianissimi Magistratus. Gravatus haec multis scribo tamen. Tu boni consule. *Argent.* VI Kal. Ian. 1526.

V. Fabritius Capito.

LXVI.

CONRADUS PELLICANUS [1] ZUINGLIO.

Sapientiam ac fortitudinem in Christo Domino. Aperuit mihi *Oecolampadius* noster, amicissime mi *Zuingli*, mysterium instituti tui de me subornando loco pie defuncti *Ceporini* optimi et eruditissimi viri. [2] Cuius functionis si parem me iudicas, tuo id periculo feceris. Ego certe, ut nescio quid exigendum sit a me, ita non integrum habeo, quid praestare possum. Sum enim homo impeditioris tam linguae quam ingenii, ut nihil magni ausim de me cuiquam polliceri. Verum oro, ut de ea re scribas latius, ut sciam quid petatur a me, et si id, certo. Quanquam autem iam dudum viderim, subsistere me in hoc vivendi genere diutius non posse: imminuitur enim indies numerus fratrum christianorum in coenobio meo, et multi ferventer instigant quibus obsistere nequeo, ut vestem mutem. Expectavi tamen Domini vocationem, qua in opus suum exposcar alicubi; nulla habita ratione emolumenti, sed tantum utiliter collaborandi in propugnando Evangelio et proximis serviendi pro gratia conferenda vel collata. Fuit mihi hactenus satis quieta conditio et opportunitas magni et utilis laboris praeter praelectionem publicam. Sed subsunt causae non sperandae diuturnitatis in opere meo. Sed et suspicor etiam Senatum nostrum non gravatim dimissurum, si renunciem ei professionem meam, [3] Iustant armato consilio ut non spernam conditionem, de qua subindicas, etiam amicissimi mei. Et ego *Tigurinorum* fidem et probitatem magnificam maximi facio, quibus servire pium sit et commodum. Denique Dei voluntate rem agi non dubito. Cuius dispensationi et gratiae me totum tradidi, nulla alia ratione vitam instituere cupiens, quam ut illi probandam sperem. Iuxta carnem quidem ac sanguinem difficile abstrahor a genere vivendi, cui per 33 annos assuevi, nunc agens 47mum annum aetatis. Sed si per Dei voluntatem Ecclesia *Tigurina* me vocabit, ad opus Domini, cui cum eiusdem gratia quoquomodo sufficere potero, non

---

[1]) Cfr. Epist. VI. anni 1522. [2]) Ut professor linguae Hebraicae. [3]) Professor fuit Theologiae.

videō, qua ratione tergiversari possim. Itaque mi *Zuingli* oro de hac re scribas mihi, et scito, me votis tuis cupide obsequuturum, si in gloriam Dei putaveris me posse quippiam. *Basileam* quidem satis adamavi et amo. Sed domini vocationi obsistere non debeo, cum id per conscientiam libere queam. Quantum attinet ad status mei desertionem, quem iamdudum Papae renunciavi et Christo vivere concupivi, nunc primum spiritu quodam certiore afflatus diutius non differam, huiusmodi vocatione permotus; multis etiam aliis exemplum ut fratribus detur. Nescio tamen si quid tentari possit ante angariam praesentem finiendam, — — tamen Domini Senatores obsequium meum exigere volent, quibus hactenus non invitus servivi. Salutat te impendio concionator noster,[1] quem nosti, tui amantissimus, qui et ipse mallet servire alicubi Dominis *Tigurinis*, quam hoc vivendi genere inter tam cunctabundos frustra clamare et vivere. Vale vir optime et eruditissime in Christo. Ex *Basilea* die Innocentum 1525.

Tuus ex animo semper *Conr. Pellicanus.*

Inscriptio: Fideli servo Dei et Ecclesiae Tigurinae *Huldrico Zuinglio* amico carissimo. (Responsalis ad vocationem.)

LXVII.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Gratia et pax a Christo, mi frater. *Escheri* nostri[2] colloquium mihi non contigit. Abierat enim, antequam illum advenisse cognoscerem. Cum *Pellicano* egi diligenter ut cognosces ex eius literis; mallem eum hic manere, sed excucullatum. Impudentia Diaconi foetere fecit castra nostra. Innocentem adhuc arbitror, quamvis coniectus sit in vincula. Valde autem oculati sunt adversarii nostri, suas interim trabes nescientes. Ceterum in caussa *Ecciana* probatur mihi consilium tuum. Ego nondum annui, me alio loco, quam hic, reddituram rationem. Hic paratus sum. Senatus me nondum vocare dignatus, et amicis videtur inconsultum, si ipse audiri petam. Respondebo autem, si vocarint, ut scripsisti. Si epistolam tuam censes publicandam, sat fuerit meo nomine monuisse opportune lectorem, me officio in tempore non defuturum. Expecto quid *Wittenbergenses* parturiant, quos certum aiunt contra nos scribere; et tunc opportune etiam a me perstringetur *Eccius*, qui non serio, sed dolo, congredi cupit. Precabimur Dominum, ut suo negotio adsit. Vale et *Hetzerum* saluta cum ceteris fratribus. *Basil.* 29. Dec. 1525.

Ioannes Oecolampadius.

LXVIII.

LUDOVICUS HÄTZERUS ZUINGLIO.

Gratia et pax a Deo per Christum. Tuo nomine, observandissime *Zuingli*, loquutus hodie sum *Chunrado Pellicano*, quam potui

---

[1]) Ioannes Luthard Lucernas. [2]) Verosimiliter *Conradus Escher*, senator, unus eorum, qui Vulsuram vulturis conscripserant. Obeundis saepe legationibus adhibebatur.

officiosissime. Narravi commoditates acdium, item desiderium omnium bonorum virorum, qui apud vos multi sunt, interim etiam aptam occasionem, qua a superstitioso cucullo liberetur. Videbatur plane risu suo adsentire, et mire ei hanc ipsam vocationem arridere, licet etiam semel aut iterum (ut decet) ingemuit, timens, ne non sufficere possit. Quum vero doctior non praevideri possit, se id lubens operis subire spopondit, si modo certum sit, aiebat. Ego tuo nomine promisi, Tibique a Senatu collocatam esse potestatem doctum quempiam eligendi, quem certo, ut meum iudicium fert, doctissimum habes. Ego feliciter *Basileam* veni, nisi quod ter imbellis ille equulus mecum sese humi prostrarit. Oh quam levavit optimus maximus Deus, ne fregerim crus aut aliud membrum. Certe non mirum, etiamsi corpusculum meum infirmum alias prorsus interüsset. *Iohanni Oecolampadio* fideliter omnia commissa retuli. Fert magnam Senatus infidelitatem. Solus laborat, solus est. Quid multis? Dignus ut in pistrino pro multis molat. Deus vero semel vultum suum ostendet. *Vilhelmo a Cella* dic, me adhuc mandatorum suorum recentem habere memoriam; faciam quam diligentissime. Vale! penultimo Dec. 1525.

Ludovicus Hätzerus.

LXIX.

SIMON STUMPHIUS ZUINGLIO.

Pax Dei et gratia Domini nostri Iesu Christi Tecum. Amen. Confortare et esto robustus in Domino Deo nostro. Vide obsecro, mi *Zuingli*, quid tragoediarum pepererit nobis *Mart. Lutherus* cum suis libris editis. Ecce nunc tibi tribulatio, dolor, afflictio et angustia undique. Quam gravia et intolerabilia fere patiuntur plurimi ubique terrarum propter Lutheranam factionem, propter Christum vero redemptorem nostrum vel nihil etiam. O Domine Coeli et Terrae, et Pater Iesu Christi, Tu nosti, quod non mentior. O Domine Iesu Christe, bonum semen coepisti seminare, nos servi tui dormivimus; ecce nunc damus poenam nostrae ignaviae, quos semper vigilare et orare docuisti. Culpa haec nostra est. Ignosce Domine, ignosce quaeso, et subveni nobis servis tuis, in medio mari periclitante navi, ne pereamus. Supra quam par erat de homine triumphavimus, gloriam, quae soli Deo immortali et Filio eius unigenito unice debetur, illi attribuentes, supra Mosem, supra Apostolos, supra Christum ipsum exaltantes hominem adhuc monachum, qui nunquam etiam suae doctrinae respondit; cum tamen Christus, unicus praeceptor noster, coeperat facere et docere. Totum mundum concitavit, nedum seduxit, nunc ipse dormit secure. Hoc profecit, quod nusquam nunc licet pure annuntiare Verbum Dei. Multos quidem scripta sua fecerunt Lutheranos, Christianos autem nullos. Ex discipulis iudicatur praeceptor. Non enim docuit ipse regnum Dei et Christi, sed mundi. Sic etiam Discipuli eius omnes ex *Luthero* docti, non autem *θεοδίδακτοι*, primum quidem sedulo quaerunt regnum mundi et ventris, deinde Dei et iustitiae eius quaesituri ad Kal. Graecas. Quare ego nunc, putas, incertis vagor sedibus (Deo autem

gratia, qui sic me erudit) qui bene currere coeperam fere ante septennium, Domino dirigente gressus meos, sed fascinatus illius scriptis et aliorum. Gratias autem ago Deo meo, per Christum Iesum, qui me reduxit ad filium suum, unicum praeceptorem nostrum, qui est via, veritas et vita. *Hoenchiacenses*, Lutherani facti magis quam Christiani, autore Luthero sua quaesierunt, non quae Iesu Christi. Ideo Deus me abegit, ne cum illis perirem. [1] Deus aperiat illis oculos, ut resipiscant. Et Tu, mi *Zuingli*, et frater carissime, bene cucurristi ante quinquennium, quando etiam me, uti Paulus Timotheum suum, germanum filium agnoscebas. Postquam autem uterque Lutheranus esse coepit, resarcita est vere Christiana charitas, non ex parte mea. Desii enim ex gratia Dei illuminantis corda nostra adhaerere eius factioni ante annum, et tum etiam Te admonere coepi et dehortari, cum Tu prior me adhortatus esses. Plura alias. Pugna pro nobis, Clementissime Pater. Is Te confirmet. Confide Frater in Domino! bene confide! Simon Stumphius, nunquam Tui immemor per omne exilium meum. [2])

Datum expunctum in Originali.

LXX.

SIMON STUMPHIUS ZUINGLIO.

Pax Dei Tecum. Amen. Salvus adveni *Basileam*, at valetudinarius; sed melius habere incipio. Hoc unum scias, Senatum interim in absentia mea omnes concionatores convocasse, atque illis praelegisse mandatum illud vetus superiore anno editum, ut purum Verbum pure praedicent, semotis omnibus Doctoribus. Quod faciendum est, si a Deo doceri velimus et eius agnoscere voluntatem, non hominum opiniones. Christus unicus Magister omnium nostrum, qui timemus nomen Domini magnum et terribile. Satis aperte, apertissime, ipse enim lux est, Scripturam aperuit nobis credentibus in eum, dicens: Omnia quaecunque volueritis ut faciant vobis homines, hoc et vos facite illis. Haec enim est lex et prophetae. Hanc unicam regulam si prae oculis et in manibus habuerimus, omnis divina Scriptura et V. et N. Testamenti nobis clara erit, qua contempta omnes nostrae commentationes eam obscurant. Ideo summe precandum, quod praesens admonui mille verbis, ut Deus ipse praestet, quod pollicitus per Hierem. XXXI, ut det ipse legem suam in viscera nostra et in corda nostra scribat. Fidelis est Deus et iustus ut praestet, exaudictque orantes cum fide.

Simon Stumphus, servus Christi.

Citius forte opinione omnium adero apud Vos. Tu, mi *Zuingli*, sis oculatus, neve credas falsis accusatoribus, vel de me, vel de aliis; sed memento, quod Te admonuerim per Deum. Si peccaverit frater, argue eum inter Te et ipsum solum etc. Tuum est, ferre infirmos,

---

[1]) Pastor *Hoengae*, cui propter conciones fanatico spiritu turbulentas abrogatum erat munus. Vid. Opp. Zu. I. p. 529. [2]) Haec epistola et proxima quando datae sint, indicium deficit; sed in hunc annum probabiliter incidunt.

quemadmodum et Christus tulit discipulos suos. Nec habes potestatem, ut solus aliquem excludas, aut excludi patiaris quidvis etiam peccantem a Senatu, quod attinet ad vitam et doctrinam de Christo. Tota Ecclesia id faciat cum tuo spiritu in potestate Christi. 1 Cor. V. Nemo me laesit. Sed Deus humiliat, ut exaltet. Recordare, quod Paulus novissimus apostolorum restitit Petro, qui caput esse videbatur, in faciem. Nusquam tamen videmus, Petrum indigne id tulisse. Deus vult, nos invicem esse membra, solum autem Christum suorum esse caput. Gratia Dei vobiscum.

Inscriptio: *Ulrico Zuinglio* et *Nicolao Bavaro*, mihi carissimis.

LXXI.

ZUINGLII TESTIMONIUM
PRO DOMINA GENERE SCULTETA, QUONDAM MONIALI AD TRAIECTUM.

Haec est summa eorum, quae dicere habeo: „Dominus Administrator a Geroldseck [1] me semel cum Magistro *Franzio* [2] beatae memoriae, iterum cum Mag. Io. Oechslino et Mag. Erasmo [3] ad Traiectum misit, atque in praesentia hoc mandati dedit, ut monialibus ibi cantum coenobialem et antelucanam remittamus, eiusque loco S. Scripturam vernaculo sermone lectitandam imperemus, iisque etiam permittamus sacrum matrimonium, si quae continentiam aegre tolerent, ac si recte memini, dotem importatam recipiant, cum aliis pollicitis benevolis. Plura sciet Dominus a Geroldseck et Mag. Erasmus. [4]

Vestrae Sapientiae promtus et obsequiosus
Huldricus Zuinglius.

71.

Zwinglis Kundschaft
für Frau Schuldheissinn, etwann Klosterfrau zu Fahr.

Diess ist die Summa, die ich sagen kann: dass Herr Pfleger von Geroldsegg einist mit Mstr. Frantz selig, anderst mit Mstr. Iohannes Oechslin und Mstr. Erasmus mich gen Fahr geschickt und auf dermalen eins uns empfohlen, den Klosterfrauen daselbst das Kloster und Mettegesang nachzulassen und an dessen Statt die Heilige Schrift zu lesen in teutscher Sprache, auch ihnen zu erlauben, die heiligen Ehe, welche nicht möchte minklich (reinklich?) leben; und, bin ich recht eingedenk, Ihnen auch ihr eingebracht Gut heraus zu lassen, mit anderm freundlichen Erbieten. Weisst Herr von Geroldsegg und Mstr. Erasmus weiter zu sagen.

Euer Weisheit williger und gehorsamer
Huldrych Zwingli.

---

[1]) Circa 1518. [2]) *Zinkius.* [3]) *Schmidius.* [4]) Hoc testimonium Simmlerus in hunc annum inseruit, non indicata causa.

MDXXVI.

I.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Gratia et pax a Deo, carissime frater. Nudius tertius scripsi, quis sit *Pellicani* animus, et quod meum in re *Ecciana* consilium. [1] Sed quia fortasse tabellio ille diutius in itinere moratur, volui et per hunc breviter significare. Persuasus est *Pellicanus* et tuis literis accersitus propediem ad vos advolabit. Scribe igitur ei vel paucis. Quod si hanc conditionem detractabit non video, quomodo unquam a superstitiosa illa secta liberetur. [2] Hodie illi et *Hetzerus* tuo nomine loquitur. Ignoro autem, quid illi responderit. Sed habebitis hominem eumque non poenitendum ac tractabilem, quem invitus hic amitto. Sed malo eum agere bona conscientia isthic, quam hic superstitionis patronum. Ceterum *Eccianas* literas nisi a Te habuissem, nondum per Senatum fuissent communicatae. Neque amicis consultum videtur, ut scribam non vocatus a Senatu. Ingratum enim quibusdam quicquid scripsero, tametsi nec hoc ignoro, si tacuero, quod imputaturi sint pusillanimitati meae, quae tamen, Deo laus, nulla est. Hoc unum me premit, quod fidis hic destituor consiliariis, et molem negotii fere solus porto. Prospiciendum mihi in exasperantissima illa domo. Verum Dominus rem moderabitur. Tu perge, et nugacissimi *Eccii* dolos sapienter detege. Non habet enim Antichristus impudentius aliud mancipium. — *Simon* [3] ille, qui literas reddit, permisit hic puerum suum sacro lavacro tingi, tametsi principio Catabaptistis multum tribuerit. At quae Dominus pridem ignovit, nos neutiquam refricabimus, ut et Dominus nobis nostra debita condonet. Vale cum uxore tua felicissime. 1. die Ian. 1526.

Tuus, *Ioannes Oecolampadius.*

Saluta et *Wilh. Zellium.*

Inscriptio: *Huldrico Zuinglio*, omni virtutum genere claro, maximeque Christiana literatura praestanti, fratri suo carissimo.

II.

AMBROSIUS BLAURERUS ZUINGLIO.

Non tam iniquus sum publicis studiis, ornatissime *Zuingli*, ut ea velim privatis meis commodis quicquam remorari. Scio, Te totum hoc, quod vivis, fratribus vivere, ac proinde etiam mihi, qui, quicquid alli usquam fratri Christiano, mihi factum lubenter puto. Gratum tamen fuit *Mangoldi* nostri officium, quo candidam illam et vere amicam epistolam Tuam ad me impetravit. Sciebat nimirum, se nullo alio nomine magis me posse demereri (si tamen hoc quicquam sua refert) quam si eiusmodi mihi argumenta Tui erga me animi afferret, qui qualis aliquandiu iam fuisset, non satis coniiciebam, praesertim in tam pertinaci

---

[1]) Hoc spectat disputationem ab *Eccio* paratam. [2]) De ordine Discalceatorum. [3]) Probabiliter Stumpfius. Conf. Epist. LXXI. anni 1525.

silentio. Non quod diffiderem sinceritati Tuae, sed mendaciorum licentia me movebat, simul et improbissimi quidam calumniatores, qui etiam optime facta pessime interpretantur. Sunt, qui immodicam in me modestiam, sunt qui caelibatum, sunt denique, qui, cum nihil aliud possunt, cucullum tenacius adhaerentem reprehendunt, atque in hunc me pietatis nonnihil collocare putant. Quod ultimum Te quoque, istorum calumniis adductum, suspicari audiebam; tametsi aegre crederem, adeo Te praepostere agere, ut conscientiam meam ex veste, non vestem ex conscientia, cuius non una solum ratione testata libertas esset, metiri velles. Nunc vero, post acceptam epistolam Tuam, omnia vana fuisse, non obscure video, ut iam nulla mea apud Te opus sit purgatione, quam propterea nuper meditabar, non propter quicquam liberius in Te dictum. Nam isthoc hactenus nemo ex me audivit, nec audiet unquam, nisi forte (quod absit) secus quam huc usque docueris Christum. Dissentimus a Te, ingenue fateor, in Eucharistiae dogmate. Quid tum? cum interim de usu modis omnibus inter nos conveniat. Nihil hic durius pronunciamus, quod quidam impie faciunt; praesertim cum nihil sit aut minimum periculi, agnoscas hic tropum, aut non agnoscas. Etsi labefactando regno Papistico vestra sententia longe sit efficacior; in quam ipsi etiam ultro discedemus, ubi Spiritu suo certiores nos fecerit Christus, sine cuius *ἀποκαλύψει* nunquam hic fuero securus. Ut enim multa me movent ad admittendum hic tropum, alioqui toties obvium in Scripturis: ita nihil permovet, cogitque, ne non audeam dissentire. Proinde Eucharistia recordandae mortis obitae pro nobis argumentum est, in quem solum usum nos utimur utrinque, nihil solliciti, quid pani includatur, quandoquidem verba nobis, non pani, dicta novimus, sicque tranquillam reddimus Ecclesiam nostram. Quod si etiam facerent isti quidam, qui vincendi studio magis, quam veritatis amore hic tantopere depugnant, minus iam turbarum, plus pacis haberemus. Mira et acerbissima parturiunt nonnulli, quae magno nuper animi dolore vidimus. Digladiationes sunt *καθ' ὑπερβολὴν τραγικαὶ*, ut risura sit posteritas, si qua futura sit, nostri seculi rixandi amorem, quod ob concordiae signum tantas discordias concitamus. Exceditur nunc *Augustae* nescio quae determinatio declamatorum *Sueviae* et *Rheni* [1] adversus *Oecolampadium*, meum virum; semel et vere dicam, optimum et eruditissimum, qui titulos multos, etiam vobis consentientes, multos nihil repugnantes una involvet, ut demirer temerarium hominem. Faxit Christus, ut in ipso tandem pacem habeamus. *Vannius*, permittente nostro Senatu, *Memmingam* profectus est, evangelizaturus illis tantisper, dum proprius contingat Apostolus: nec enim patiemur hunc prorsus a nobis divelli. *Zuiccius* nunc locum illius implet, quanquam vix potuit adduci. Tu ora pro nobis et nostra Ecclesia, quae satis pergit graviter commota ab Anabaptistis turbatoribus, nec ad ulla mundi elementa salutem alligat, sic vero valet caritate, ut omnes agnoscat fratres, qui de Christo christianice sentiunt, nec ob leves caussas dissentit, aut inique loquitur, de Vobis inprimis, apud quos manifestus Evangelii successus, quem Christus

---

[1]) Syngramma — auctore *Brentio*.

indies magis magisque fortunet. Vale mi carissime frater, quem sic amo ut ne — Salutat Te germanus frater meus *Thomas*. Saluta *Leonem*, *Ceporinum*, praeterea reliquos Verbi commystas. 5 Ian. 1526. Plura nunc per occupat — — — Epistolam, quam hic vides, redde obsecro nobili pioque viro *Wilh. a Zell* cui abs Te plurimum cupio commendari.

Ambrosius Blaurerus tuus.

Constans apud nos fama est, te nuper manibus ac pedibus obstetisse, cum Senatus ad Helvetiorum petitionem nebulonem istum absolvendum duceret, qui aestate tua caussa in vincula coniectus erat; id quod etiam non pridem unus quidam primae apud nos autoritatis valde pertinaciter affirmabat. Fac sciam negotii veritatem.

III.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Gratia et pax a Christo, mi Zuingli. Si vales, bene; nos valemus et solitis favoribus excipimur. Nonnihil sane tuo nomine solliciti sumus, ut valeas. Fama enim fert, Te languere adeo, ut et a concionibus abstinere cogaris. Quod si ita est, consolationem et Tibi et nobis a Domino precamur. Fac igitur, ut quamprimum nos hac sollicitudine liberes, si bene habes. Scribes praeterea et *Pellicano*, si illum *Ceporino* subrogatum vis. Nihil enim moratur, quam ut literis tuis vocetur. Hodie obtuli libellum supplicem Senatui. Exemplar misissem, si descriptum foret. Grato animo si hic disputetur, vernaculoque sermone, iudice verbo Dei, convocatis et aliunde viris doctis, in arenam me descensurum recepi. [1] *Eccianos* dolos aliqua ex parte patefeci. Fortassis perferetur *Lucernam*. Nondum Senatus a me responsum petiit; proinde etiam non vocatus per epistolam compareo.

Missus est huc libellus *Billicani* cum epistola *Urbani Regii*. [2] Verum in eo nihil tractant solidi. Libellus meus non est; alioqui advolasset *Tigurum*. Uno argumento contra *Tertullianum* et nos gloriantur, nempe: si dicamus, corpus esse figuram corporis, cogemur etiam dicere, figuram sanguinis pro nobis traditam, idque multis verbis frustra contendit. Nam si de imagine *Maximiliani* dicam: Hic est *Maximilianus* qui genuit *Philippum*, quid urgebit intelligi, quod figura genuerit *Philippum*. Vellem tamen apparari similes tropos e Scriptura. Nam illum ex Exodo: Hi sunt dii, qui eduxerunt te ex Aegypto, vellicant. Frustra quoque exercent se in diluendo, quod agnus sit victima transitus. Ferunt praeterea, Suevos meos suas nugas cum magno plausu extrudere *Augustae*, quibus necesse fuerit respondere. Ignoro nunc, an aliquid libro dempserint, vel adiecerint; alioqui praeveniri illos curaremus. Misi literas *Augustam*, ut certior reddar. Fortassis amici ad Te primum mittent. Agemus communibus consiliis, quandoquidem ita nos Deus iunxit. Multis diebus ab *Argentinensibus*

---

1) Berna pro Lithopoli Basileam locum disputationi suaserat; sed recusavit senatus Basileae. 2) De verbis coenae Dominicae et opinionum varietate *Theob. Billicani* ad *Urb. Regium* epistola. Responsio *Urbani* ad eundem.

nihil literarum accepi. Insuper quis *Curiensis* disputationis exitus,[1] fac sciamus: nam tardius alioqui resciemus. *Hezerus* se Tibi commendat. Et hunc, qui literas reddit, consolare, et consilio adiuva. Vale et brevi ad nos scribe. *Basil.* 12 Ian. 1526.

Tuus *Oecolampadius.*

Suevi mei post responsionem iterum apud nobilem quendam convenere, et, ut amicus quidam indicavit, insigniter contempserunt; id quod Tu nimium verax vates praedicebas. Age nunc, triumphent adversario nec viso nec victo. Certum est, praecocia gaudia in moerorem desinere, ni Deus veritatem homines propter peccata sua ignorare velit. Fertur et *Melanchthon* quaedam concepisse in materia *εὐχαριστίας*. Si vacabit legere, uberem *μαστίγων* proventum futurae dabunt nundinae. Pari facilitate veritas multos et paucos vincet. Scimus, cui credimus. Vale. Salvus sit et *Wilh.* noster *a Zell* cum domo tua et fratribus.

IV.

ZUINGLIUS[2] AD PELLICANUM.

Carissime *Pellicane!* Dici non potest, quantum hilaritatis hauserim ex tuis literis, quibus sentio te ad nostram petitionem non nihil propendere. Satis est, te tantum temporis in carcere humanarum tenebrarum delituisse. Tametsi non ignorem, ubi ubi sis, ibi lux sit. Scis enim, cui credidisti: alacriter aliquando lux est contuenda tibi. Quamdiu enim pectus sibi quidem probe constat, hypocriseos autem vestitus aliud mentitur, ipsi nobis nimirum sumus conscii, quo animo conscientiam audiamus accusantem et defendentem. Tu igitur, optatissime homo, nequeo enim calamo et per epistolam prosequi, quam tu nobis omnibus unus in votis sis, quandoquidem urbs ista, quae te deperit, tibi sit moribusque tuis commodatura, velis ac remis ad nos propera. Quid enim tibi multa pollicear, qui te experiri omnia, non tuo sed meo periculo cupio? Per Dominum loquor, cuius et caussa loquor, nihil aetati tuae, nihil studiis, nihil humanitati evenire accommodatius posse quam *Tigurum.* Conditio vero haec est: Leges quotidie hebraice certum aliquem librum: Exodum nunc ordimur; nec praeterea quicquam tibi oneris imminebit. Annuus proventus meo aequalis est, 60 aut 70 florenorum, aut fortasse 80, domus elegans atque opportunissima.[3] *Occolampadius* et *Hezerus* viderunt eam. Per totam vitam nemo te expugnet, nisi tanta utaris petulantia, ut ferre nemo debeat. Iocor. Nulla enim aegritudo, morbus nullus, nihil penitus malorum tibi poterit accidere, quod hanc conditionem infirmet. Vacationes tres sunt, quae plus quam mensem singulae longae sunt: feriae, Dominica dies et aliquot alii, ut putem quartam anni partem vacationi patere. Rem domesticam si ipse curare statueris, praesto est domus, ut diximus.

---

1) Disputatio, quam Oecolampadius dicit, *Ilantiae*, non *Curiae* est habita. 2) Hanc Epistolam Zuinglii servavit nobis Pellicanus in Chronico suo, ubi et contenta prioris eiusdem Epist. ad eum, sed perditae, exponit. 3) *Pellicanus* scripsit ad civitatem: „Promissa et servata copiose."

Sin minus, apud alios eris, donec tibi res tuae commodent. Atque ego ipse tibi meas aedes patefacio. Ingredere, exi, ut lubet. Omnia in tua erunt potestate. Cucullae ridentur apud nos, sed si perpetuo utare; prorsus autem nihil, si adferas ut ponas. Cucullato autem tibi veniendum est ad nos propter instantem tumultum, tyrannorumque improbitatem, non apud nos, sed apud alios saevientem. Scio tibi non magna esse promittenda, qui mediocribus pro maximis uti didicisti, sed me totum tibi promitto cum bonis et doctis omnibus. Senatus vester, si quid abitione gravabitur, indica, qua ratione Senatus noster debeat epistolam ad vestrum temperare, atque operam dabimus, ut per eius petitionem tibi permittatur, quod alioqui negaretur. Orant Te, *Leo*, *Myconius*, *Io. Iacobus Ammanus*, *Rud. Collinus*, *Megander*, omnes. [1] Nec te ulla ratione retineri patiaris. Non ignoramus, quid chalcographi tentaturi sint. Verum tu lucrones istos nihil moraberis. Vale. *Tig.* 12 Ian. 1526. i. e. quo te Dominus vocat.

V.

CAPITO ZUINGLIO.

Gratia tecum carissime in Domino frater ac praeceptor. Literae tuae varie me affecerunt. Gaudeo impostorem ac mancipium gloriae captum, sed inconstantem hominis mentem vehementer abominor. [2] Expendit argutulus Christianum Senatum nihil temere, nihil pro merito, sed placidissime acturum omnia, qua modestia christiana abutitur. Coniicere nequeo, quorsum sit evasura caussa eius. Dimissus calumniabitur, ac de illata vi magnos triumphos excantabit, et oneri erit retentus. [3] Verum solatur nos prudentia integerrimi Senatus, et spiritus Domini, quo es praeditus, mi *Zuingli*. Exitum tragoediae tantae ad nos commode perscribas. Senatus noster hodie firmior est, quam hactenus. Scholas nondum habemus. Speramus brevi aliquam mediocritatem. Ne Missae redirent, loco primissarum, ut dicunt, christianum agimus conventum in quartum modo mensem, idque in singulis parochiis quotidie. Adest frequentia populi: primo verbum auditur; postea spatium fit orandi in silentio, ut quisque iuxta suum spiritum Dominum precetur. Experimur voluntatem Domini hoc fuisse: nam cedit perquam feliciter. Formatur Ecclesia christianis affectibus quae pridem nescio quid impietatis spirabat. Cum apothecario transegi, ut per biennium iuvenis, quem commendas, apud ipsum ageret: minori enim tempore nemo facile instituendum admittit, et in victum unius anni 16 numeraremus aureos. Me obtuli fideiussorem: nam hoc poscebat. Vir est christianus, et rei medicae non vulgariter peritus, si amicis credendum. Nam mihi cum eo nihil intercessit consuetudinis, at bonum esse virum nihil prorsus dubito, quare iuvenem quantocius mittas. *Farellus* te plurimum salutat, qui est fortissimo pectore, et hostis Dei impanati, a quo summam papisticae abominationis pendere putat. Conventum

---

[1]) Addidit Pellicanus: „Amici constantes ad mortem usque.“ [2]) *Balthasar Hubmeierus* a Waldshut. [3]) Id quod evenit.

norum Principes indixerunt *Spiris* agendum ad Kal. Maias. Interim spero otium. Inanes minae futuri belli circumferuntur, quas Magistratus noster non contemnit, sed nec timet magnopere. Domini voluntas fiat. *Hartmudius de Kronberg* hic est, exul ob Christum, amplissimis exclusus possessionibus,[1] cui Domino constantiam ac longanimitatem donet, qua ei inprimis opus esse videtur. Is Te salutat per nos. Ecclesiam nostram Domino commendetis. Vale in Domino. 15 Ian. 1526.

V. Capito.

VI.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Gratia a Christo. Si Disputatio omnino habenda est, mi *Zuingli*, nam hoc fama fert, cui ego nondum habeo fidem, conducibilius fortasse esset, aliquandiu premere epistolas edendas, ut impudentiam adversariorum nervosius confutemus. Imo displicet hoc consilium, quandoquidem foret nostris viribus confidere, et multa inter rem ac spem. *Cratander* curabit mea *Argentorati* excudi, si exemplaria illi dedero; addictus autem illi sum ob aes alienum, ut non temere alteri typographo servire, eo invito, possim. Maluissem cum *Christophoro*[2] convenisset. Respondebo *Billicano* pro mea tenuitate copiose et diligenter. *Urbanum* publice negligam, privatim acrius admonebo. Et quoniam *Suevorum* meorum meminit, habebunt et illi locum.[3] Addam et sermones duos apologeticos, quibus multum odii detergemus, siquidem aures essent auditoribus. Non multum referet, etiamsi exemplaria non communicabimus alter alteri, quandoquidem utrique fidei et caritatis primaria cura est, quae non sinet periclitari, tametsi mallem, Te semper iudicium meis adhibuisse. Sed necessitati parendum. Vereor, ne hic tandem eveniat, quod eventurum timui, ne frustra laborarim, et gloria Dei non aliter enitescat, quam quod inexcusabiles futuri simus in die illo. Ora igitur Dominum, ut nos clementer respiciat. Is et Te cum domo tua ac fratribus diu nobis servet incolumes. *Basil.* 25 Ian. 1526.

Ioannes Oecolampadius.

VII.

CAPITO ZUINGLIO.

Gratia Tecum, carissime frater. *Lutheri* libellus, quem „de servo arbitrio“ inscripsit, iam hic excuditur, perquam argutus ac pius: nam aliquot folia legi. *Erasmi* nomini vehementer officiet, plurimum autem conducet pietati. Nam quis usus spiritus et gratiae, si quiddam nostris viribus per se tribuatur, sicut *Erasmus* modiculum istud suum tribuit. Quam mihi dolet, virum tantum non habere reliquas dotes. Maxime autem acerbum est, quod ad elementum panis ac vini nos revocet, etiamsi talis videri nolit. Pura sententia passim recipitur. Obstant episcopi *Sueviae* quidam, pars aliqua bene sentit. In certamen arduum

---

1) Post fatum *Sickingensis*. 2) *Froschoverus*. 3) Brentius et ecclesiastae *Suevi* propter syngramma. Confer. epistola III.

deducemur, vereor, et tamen propterea simulare fidem, cuius rei nullam habemus, non possumus. Verum, si quid in me situm, cautione uterer magna, ne quid ultra praescriptum verae dilectionis. Omnia donarem, omnia dissimularem uni caussae intentus, quae opinor, declarando subinde, repetitis vicibus, potius quam lacessendo adversarios, subsistet. Nam formido me tenet perniciosissimi dissidii, adeoque putarem, nostra potius confirmanda in posterum, quam illorum praesidia infirmanda. Sinas, mi frater, priores in nos incurrant illi. Umbone veritatis protecti gravissimum impetum secure feremus. Qua moderatione concordiae locum relinques, quae prorsus dissipabitur, animis utrinque odiosius intentis. Video fore, ut occultis anfractibus ad veritatis confessionem deflectant, quam rimam apertam illis cupio. Iam nesciunt subsistere, qui nos, dum ipsi elementis cohaerent, ob nostram libertatem damnant; nos contra, qui potius Papistas, quam fratres tales initio respeximus, invicti hactenus obstitimus, ut qui christiano affectu, gustum veteris salivae referentes, pertulimus. *Pomerani* liber in *Oecolampadium* ad nundinas veniet. Is erit aut caduceator aut fecialis. Tum integri utramlibet conditionem accipiemus, et orbis nostrae parti malorum sementem non tribuet, sed illis, qui ultro pacifice ac pie conantibus φιλονικῶς obturbant. Hic agimus more nostro, lente et frigide, sacerdotibus cursum nostrum remorantibus, qui ex concordia *Galli* et *Hispani* spem conceperunt amplissimam. Adeo norunt sibi solatia fingere vanissimi isti. Dum haec scriberem, literae perferuntur, quibus amicus significat, rem apud plerosque ad indicendum Concilium spectare, cuius potissimum rei gratia huc *Spiras* sit Imperator venturus ante Kal. Iulias. Id quod aeque subventaneum ac stultum est. Quid ad nos enim istorum consultatio? Verbo Domini connitimur, quod et invictum et aeternum. Vale, et *Leonem Iud*, *Myconium* et reliquos fratres ex me plurima salute impertias. Iubeo tuam uxorem ac piam prolem valere in Domino.

De Apothecario scripsi non semel; cum quodam pio et industrio conveni. Annis 46 pendendi aurei, sed ut biennio in suum ille convictum se daret. Citius enim absolvi omnia non posse affirmabat. Praeterea eo pacto ad talem usum explorandum etiam alibi in biennium astringuntur. Quae *Praeposito* dicas, cui cupio bene ex animo. Fideiussoribus opus est, quos ego curabo: nam me illi obtuli.

Ceterum respublica nostra multis auditis minis tranquilla etiam nunc est, neque serium bellum expectat. Erunt forte, qui praedonum more fugitivo pugna et privatis damnis cives afflictabunt. Et tamen nihil contemnitur. Quae ad urbem tuendam praesidio esse possunt, apparantur fortiter. Nullum militem conduximus. Adsunt parati in hoc, ni fallor, Duces, quos in stipendio senatus habet. Concordia est hic inter Cives, qualis aliquot annis vix fuit. Senatus omnium optimus, superiorum Senatorum admodum exiguum quiddam superest, quod sit propensum Papisticae factioni.

Stephanus[1] *Liechtstallanus*, vir pius et integer, innocentia prae-

1) *Stephanus Stoer a Diessenhofen*, Pastor *Liestalli* reus postulatus erat, quod nomine rusticanae plebis epistolam seditiosam ad tribus civitatis Basileae

sertim morum et scientia pietatis magnus, in vinculis modo detinetur, deferente illum ac procurante Senatu *Basiliensi.* Optimum virum Satan in argumentum dissidii parandi inter illas coniunctas respublicas obiecit. Nam illi ad vim, nostri ad cuiuslibet ius, et alteri alteris in hoc aegerrime convenient. Ora Dominum cum Ecclesia, quae Tecum est, pro hoc fortissimo milite Christi, ne oppressus rebus adversis deficiat. Iterum vale 28 Ian. 1526.

Wilh. Farellus, *Iac. Stapulensis* et reliqui fratres Te plurimum salutant, bene mea familia Te optat agere quam felicissime. *Bucerus* idem quod ego de respondendo *Wirtembergensibus* orat. Sed pro voluntate Domini et iuxta consilium spiritus, qui in Te est, agas, nobis permittentibus. Nostram libuit indicare rationem.

V. Fabritius Capito, tuus.

VIII.

BUCERUS ZUINGLIO.

Gratiam et Pacem. Agit apud nos pia quaedam mulier, *Barbara ex Salgans*, quae ex primo isthic coenobio nupsit pridem *Martino Hag*, homini Tibi quam nobis notiori, quamquam tandem, non sine Ecclesiae nostrae incommodo, nobis plus quam satis innotuerit. Is nuper diem suum obiit, filiolo et aere alieno huic relicto. Haec ipsa innocentia innocentior, et ove minus sibi potens prospicere, debet nobis tanto esse commendatior, quanto ipsam agnoscimus Christo magis deditam, suique curam ipsi commisisse. Est autem Domino deditissima, et se ipsa penitus exuta. Ratio vero, qua iuvari possit et iure debeat, est, ut Senatus vester acciperet alendam, postquam proventus Coenobii, in quo agebat, sibi, ut audimus, usurparint. Neque enim obesse illi debet, quod maturius ex solitaria illa vita in matrimonium concessit. Hic sane nullum discrimen habetur eorum, qui mature vel sero monasteria deseruerunt: singulis aequa portione, habita tamen ratione aetatis, prospicitur annuis reditibus. Si vere viduam, et solide piam mulierem, quaeque aliena ope egeat, ut quae maxime, volueris iuvare, hanc iuva, et cave a marito qui erat ipsam aestimes. Cuius causa erat ut Tibi irasceremur, si ulla tibi ratione possemus irasci, quod non initio nobis illum suis coloribus pinxeris, et foenum in cornu monstraris. Idem nobis usu venit *περὶ τὸν φραν· τὸν λαμπερ·* [1] quem nobis citra commendationem miserunt *οἱ βιττενβέργιοι*, quam nihili tam sui amantem, qui si posset, nobis multum adeo negotii exhiberet. Assertores carnis Tibi commendo sic tractandos, ut memineris, primores iam non tam carnem asserere, quam a vulgata nostra verborum expositione videri

---

consignaverit. Argentoratum defugit. Senatus Basileensis sollicitabat eius prehensionem adeoque posthac supplicium capitale ab senatu Argentoratensi. Stoer suam innocentiam usque asseverabat. Eventus causae est ignotus. (*Ochs*, Historia Basileae V. et *Hottinger.*) Crimen non poterat probari, Zuingliique deprecatio multum valebat. Confer. Epist. XXI.

[1]) *Franciscus Lambertus.*

velle vindicasse verba Christi. Etiam habebis rationem infirmorum, quos non reiicies a caulis Christi, si fucus eis fiat a summis, praesertim praetextu verborum Christi. Denique ita scribes, ut Christi gloriam solam, quae tum illustrissima est, quum ipsius imaginem, summa cum caritate, prae nobis ubique ferimus, quaesisse videare. Hic iam ludos parturiunt nostri literarios. Obsecro, mittas nobis rationem, qua vestrum ludum instituistis, et quo pacto decreveritis vestram pubem instituendam. Male hic audimus apud *Wittenbergenses* quod studium linguarum maturius adhibendum censeamus, neque declamandi latine tantum tempus tantumque studium insumendum nobis videatur, h. e. quod latinam non graecae atque hebraicae linguae praeferamus. Optamus vero magnopere tuam hic agnoscere sententiam, quam nobis proximo nuntio scribes: nam spero brevi ludos nostros instituendos. Optime vale. Salutant Te fratres. Saluta nobis *Leonem* tuum, ac alios. *Argent.* 29. Ian. 1526. M. *Bucerus*, Tuus ex animo.

IX.

CAPITO ZUINGLIO S.

Debemus miseris commodo esse, mi *Zuingli*, praesertim apud fratres et maiores nostros. Quod me impellit ut scribam pro misera vidua *Martini Hag*, qui olim apud vos agebat, et hoc biennio nobiscum, non quidem optima fide atque integritate, quod bene sero rescivimus. Is obiit diem. Uxorem reliquit pauperem, quae ex monasterio ditionis urbis vestrae. Simplex mulier est, et claris natalibus, cui modis omnibus subventum oportuit. Et liberalitas Senatus vestri talibus, ut hic fama est, pensione annua providit. Haec autem nostra eiusdem Monasterii, sed pridem egressa, antequam per Magistratum licuit. Quae res ei non erit fraudi apud aequissimos vestros Senatores. Simili conditione nobis commendasti aliquando *Marcum Ioannitam*, quem iuvimus fideliter, cui, sicut aliis, nihil denegabitur, imo dabitur certissime, et hoc brevi. Rescribe, an Senatus nostri literae ad vestrum illum amplissimum sint aliquid ponderis habiturae; et curabuntur. Pro modo illius scriptoris apothecarius inventus est, cum quo pactus sum pretium pro unius anni convictu; sunt aurei 16. Tempus constitutum in biennium. Vir est probus, et exercitus, ut ferunt. Scribit *Oecolampadius* disputationem futuram. O diem felicem! quanto triumpho decorabitur veritas! Utinam ad Senatum nostrum vestri scriberent, quo ex nobis aliquot mitterent. Sin minus, equidem per me curabo, ut adsimus auditores, qui in optatissima scena nullas simus partes habituri. Vanum est, quod nugigeruli de concordia inter Imperatorem et Gallum circumferunt. Vale in Domino. 29. Ian. 1526. *V. Fabritius Capito.*

X.

CAPITO ZUINGLIO.

Gratia Tecum, carissime frater. Colligi, credo, tribus articulis *τὴν ἀρτοσάρκωσιν* et Deum impanatum repugnare labor est utilis, sed vereor,

ne pro conditionibus pacis vehementius agas. Quod si mihi omnino esset animus eiusmodi conandi, testarer non esse articulum fidei alterutrum credere; alterum verum tamen esse, ac repugnare oppositum necessariis articulis, ut fratribus via ad nos redeundi non praecludatur. Homines sumus. Offensionem accipimus facillime. Et videntur modo quidam ex grege adversariorum ad nos reclinare. Sentio *Galliam* omnium maxime illum unicum articulum detestari. Disputatio *Eckiana* repandet multa, quam superbus *Suevus* non omittet. Spero nos etiam affore ceu spectatores iucundissimae comoediae. Fama est, *Balthasarum* traditum *Enshemensibus*. Dominus viro turbulento — — is in horis deinde adversis firmum det animum! *Enshemenses* negant, se ullum Evangelii caussa trucidasse, quod persuadent nemini. Sed ea vox indicat fore quiddam lucis in posterum et otii. Fracti sunt truculentissimi hostes, ut olim apud veterem Ecclesiam. Utinam et nos grati essemus Deo, et omnes ad publicam utilitatem, quatenus gloriae Christi coniuncta est, respiceremus.

Vobis consistorium est, et usus in dubiis variis matrimoniorum. Diversificamur in coniugio leprosorum, quibusdam asserentibus vinculum insolubile iuxta illud: „Quod Deus coniunxit etc. Nos a Domino solutum aestimamus, qui per Magistratum separat, quos coniunxerat. Item omnino in morbis perpetuis, quibus nulla spes est usus maritalis. Deinde an lex magistratus civilis prohibeat, quo minus consobrini legitime cohaerere possint, qui quidem lege Mosaica non astringuntur, et quod Moysis olim nunc idem ius est; tametsi vicinius videretur caritati, ut suas leges ad divinas corrigeret. Sed quid interea, antequam id factum, an privatus affectus impune esse possit offendiculo, repugnando receptis legibus. Quae tu sentias et serves, paucis nobis indica.
3. Febr. 1526. *V. Fabritius Capito.*

XI.

CAPITO ZUINGLIO.

Gratia Domini tecum, carissime frater. Per *Oecolampadium* arbitror literas meas resignatas. Id enim fore ex tuis prioribus ad me intellexeram. Nam ei copiam tuarum legendarum aiebas fecisse. Favor Ducis *W.*[1] hic magnus est. Qui hinc ad regimentum Imperiale deputabitur, haud dubium, in commodum eius incumbet. Nobilis iuvenis *Iac. Sturmius* designatus est pro assessore, ut vocant, pius iuxta ac eruditus.[2]

---

1) *Wirtembergensis.* 2) *Iacobus Sturm*, nobili genere *Argentoratensis*, natus 1490, *Geilero* et *Wimphelingio* praeceptoribus usus erat, unus de principibus civitatis, et facile primus doctrina, eloquentia, prudentia et constantia, qua rempublicam patriam per multa discrimina feliciter gubernabat. Gerebat potissimum caussam Germanorum superiorum Evangelicae partis apud Imperatorem et in Comitiis. Cùm Tiguro et cum Zuinglio praesertim a 1529 ad 1531 arctior ei necessitudo intercedebat. Conditor inprimis rerum scholasticarum Argentorati fuit perpetuusque moderator. Obiit 1553. Quum Granvellus, Minister imperialis, per occasionem, quam illud *Interim* dederat, dixisset, defectores a vetere fide igni posse cogi, ut haeresin abdicarent: sic respondit: Vita possunt privari, non autem cogi ad fidem. (Adami. Sleidanus.)

Est modo illi tuo Principi tempus maximum. Adversarius puer et iniustus, praeditus indole, fateor, sed non optimis stipatus consiliariis. *Caesaris* et *Galli* diuturnum bellum, Pontificis Romani perfidia, qui nunc *Gallis* consentit, nuper summus amicus Caesaris, praeterea bona ista existimatio, cum publice ferant, exilio et miseria modo edoctum esse in lege Domini Principem, qui sub rebus prosperis tyrannum olim egerat: non enim defendimus, quae iuvenis animo quam iudicio plenior designarit. Civitates Imperii ferme verbum receperunt, praesertim foederis *Suevici*, quare ab impugnando detinebuntur. Tantum studio sibi ducat praebere specimen Principis christiani, ne fastu, ne insolentia fortunae, ne satellitum ebriosorum inutili caterva plebem et se gravet. Nam postquam semel receptus fuerit, erit tutior praesidio vestratium quam suis viribus. Ditissima monasteria levabunt penuriam et rerum difficultatem, ubi potitus fuerit iterum imperio.

Lutheri epistolam excusam *Witenbergae* nostri imitati sunt. Contingunt utrinque parum decora. Maiorem animi moderationem charitas christiana requirit, quam illi mutuo exhibent. *Carolstadius* gloriae est sitientissimus, *Lutherus* ingenii dexteritate et usu antecedit. Miras anno abhinc quarto tragoedias *Carolstadius* excitavit, qui statuit, manu quam verbo potius pugnare. Tu demolitus es statuas, sed post praedicationem, sed Ecclesia bene instructa. Christum optime docuisti, et quae Christo obstarent, antiquasti, dum ille alterum tantum agere videtur, et pro rebus nihili tantopere desudare, quasi in istis prora et puppis rei sita esset. *Carolstadius* fortissime contendit, pueros, antequam voce instructi fidem possint profiteri, non esse baptisandos. Conquirit undique multa. Nobis consuetudo et ratio est ut baptizemus; qua autem fide ex libello per *Bucerum* edito cognosces. Fuerunt, imo etiampunc sunt, qui infantes nolunt baptisari; sunt qui nolunt amplius esse susceptores ex baptismo. Nos contra verbo pugnamus, quo minus aliqua necessitas libertati irrepat; contendimus tamen esse utilissimum, ut baptisentur: ea enim occasio erit in reliquum vitae addiscendae religionis. *Balth. Walthusanus* infirmis rationibus nititur, quasi abuteremur divinis vocabulis baptisando infantes, et grandiusculos tingendo, qui pariter impii esse possint, non abuteremur.

Legimus obiter pridie libellum *Lutheri* de statuis abolendis et de Eucharistia. Quid dicam? Multa obolent, multa fastidio, quae imbecillitatem rixandi indicant; tametsi talis adversarius aliquid mereatur. *Carolstadius* alienissimus esse videtur ab animo christiano: tantopere ad gloriam perrumpere studet. Scio quid ipsis *Witenbergae* ineptientibus ego tum confessor utcunque occultus pertulerim. Quae tamen de colendis imaginibus asseverat *Lutherus*, magis ad hominem adversarium perdendum, quam ad rei veritatem dixit. Nam usu et experientia didicimus, in templis imagines aliquot seculis adoratas. Nec tamen repugnarim, domos privatas pingendas impune historiis sanctis, caussa memoriae excitandae. At ubi caussa audiendi verbi convenimus, h. e. in templis, specimen certe impietatis praebent. Liberius dicam: Illecebrae sunt ad ipsam impietatem. Nos templa aliquousque repurgavimus. Senatus noster heri sacerdotiolum in usus pauperum convertit; hac via facta

invademus cuneos hostium infestissimos cum maiori spe victoriae. O te felicem sub tanto Senatu, et tam alieno a grege Papistico, quo dissipando aetatem prope insumimus.

Luthero scribam intra biduum, quocum ne committaris, mi frater. Parcas, obsecro, infirmis et otium dulcissimum ne tibi invideas, quod nunc impendis rebus optimis. Posteritas, si nomen spectaremus, exactioris censurae erit, quae illi plurimum tribuet, qui minimum omnium ambierit, praesertim quorum monumenta extiterint, ut tua sunt extatura. Nam genium spirant posteritate longe dignum. Nos prophanis prope laboribus nati videmur, nisi non prophanum est, quod exteris rebus peragendis, etiamsi fratrum caussa, perit.

Carolstadius me veterem hospitem alloquio non dignatus est, dum hic quatriduo delitesceret. Quae ista libertas, qui spiritus, quae charitas! Nosse fratrum errorem, et praesentibus non indicare, sed scribere in absentes, siquidem in nos scripsisse videtur, quae in duplices Papistas scripsit: ita enim amici eius ferunt. Commovit et nostram Ecclesiam, quam parvo iterum libello compacavimus. In Eucharistia quae sentiamus ex *Buceri* libello vide! Nam avocamus Ecclesiam a contentionibus: id enim est, quod res est, oblique asserere. Apud Imperii Civitates (*Norlingae* et *Norimbergae*) quidam concionatores [1] agunt inconsultius, quos puto caussam dedisse, ut nunc pleraque ferveant studiis acerrimis. *Norimbergae* ludimagister apud *Theobaldi* templum, negavit Spiritum Sanctum et filium esse aequales Patri, qui ob id pulsus et eiectus est. Sunt, qui Sabbatum asseverent servandum. Sunt, qui legis onus universum nostrae conentur libertati obtrudere; et similes tamen habent labra lactucas. Nos pergimus simpliciter in Christo asserendo. In facie Christi gloriam Dei cognoscendam docebimus, a contentionibus alienissimi. Obsecro te, *Huldrice* carissime! qua hactenus via instetisti, eadem perseveres. Nihil enim tuorum legi, quod improbem, tametsi leviuscula interim ego fortassis aliter putarem dicenda. Verum si dicere conarer, satis scio, me tantum consequi non posse. Quod sis formidabilis *Luthero*, non vero dissimile videtur: nam tibi mirus est usus lectionis, ardens animus et spiritus in Dominum confirmatus. Id tamen auguramur magis admirationi, quam invidiae tribuendum, qui te sentiat praemio magis quam odio dignum. Accusamur haereseos *Carolstadianae* apud Imperii Senatum per sacerdotes profugos, qui modo negotium Reipublicae nostrae machinantur. Scio nos non citandos, nisi persuaserint sibi, nos non esse venturos propter itineris pericula, ut absentia nostra vincant. *Comes de Hanow* liberrime edixit, ne pro animabus amplius sacrificent sui sacerdotes, qui me evocaverat, sed Senatus obstitit, qui nescio quas insidias mihi metuebat. Propediem tamen in Agrum *Argentinensem* et viciniam expatiabimur disseminaturi verbum. De coena Domini singulis conventibus repraesentanda consilium cepimus, et per aliquos, non per totam Ecclesiam; tametsi absit paulum ab instituto Christi et apostolorum consuetudine, quod ille cum paucis coenam, hi cum multis, sed incuriose egerint. Imo nunquam meminerunt,

---

[1]) *Billicanus* et *Osiander* praecipue.

nisi per occasionem ad Corinth. semel, ut scias, non summam in eo usu consistere. Libertatem igitur, ut alias, hoc item usu, tueamur! Diversitatem non improbo, modo utique discessum sit ab Antichristo, coercitore animarum liberarum, qui vivificat mortuas et revera vivas occidit. Quod vero panis signum corporis Christi in coelo absentis vere maneat, neque essentiale corpus adsit, Ecclesia nostra prius recepit, quam verbi ministri omnes consentirent. *Pomerano Bugenh.* scripsi, te hactenus cum *Wiclefo* consensisse, sed pepercisse id spargere in vulgus, habita imbecillium ratione. Delineavi etiam, qua nos via hic insisteremus. *Lutherum* literis communibus, sed vereor, ne nimium reverenter scriptis, commonefecimus, ut modum tueretur, et ne multum insumeret operae in rem nihili. Quid enim obtinet, qui obtinet, carnem Christi vere panem esse, dum caro nihil prodest. Respondit literis privatis, nihil asseverando, relicta inquam in medio controversia. Neque videtur aliud acturum, quam ut ostendat *Carolstadii* argumenta infirma; *Wiclefi* autem et tua frigidissime solvit in libello, quem ad *Waldenses* scripsit. Gratia Deo, qui nobis ubique ostendit infirmitatem hominum, quo sibi uni gloriam et salutem acceptam referamus. Nam negare non possumus, plurimo usu fuisse vehementiam *Lutheri*, qui et fidei materiam dexterrime tractaverit. Dabit et dedit Dominus aliis sua quoque dona. *Carolstadio* nunquam potui multum tribuere, quod est ingenii amarulenti, praefracti, pertinacis, et idem inconstantissimi, qui nulla in re captum infirmorum respicit, sed quacunque via ad famam parandam erumpit. Haec tecum familiarius, quam fortassis oporteat, et incondite, ut in buccam venerunt. Vale. VI Febr. quo tuas acceperim datas ultimo Ianuarii, quas miror tam expedite perlatas. Ecclesiam tecum et fratres omnes saluto. *Bucero* tuas mitto legendas, qui modo vertit postillam *Lutheri* in Evangelia quaedam dominicalia. *Turegii* nomen ingenio tuo illustra, cui et Christum debet. Iterum vale. Significa mihi, an masculam prolem habeas.

Capito.

Inscriptio: Clarissimo Christi confessori et apostolo Huldrico Zuinglio Tigurinorum Episcopo.

XII.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Gratia et pax. Literae tuae, quibus tropi rationem indicasti, frater carissime, super modum placuerunt. Non est mihi cura, quomodo veritas vincat, et maledicis istis bestiis occurratur. Respondi *Billicano* et *Suevis*,[1] opinor, satis copiose. *Cratander* hodie supplicabit Senatui, num possit impetrare, ut hic excudantur; quod si denegabitur, tum alibi tutius erit. Oportet enim, ut modis omnibus humiliemur coram Magistratu, quantum per Deum licet. *Pellicanus* expectat adventum

---

1) Ad *Theob. Billicanum*, *Nordlinganum*, concionatorem: quinam verbis coenae alienum sensum inferant — et: Antisyngramma ad Ecclesiastas *Suevos*.

Tribuni plebis, et tunc, opinor, maturabit ad vos iter. Dura mihi provincia, perpetuo hic sub talibus agere. At Dominus prospiciet in tempore, nec permittet, tentationem ultra vires nostras increscere, qui et Te custodiet. Liber meus complectitur arcus XIV, quantum coniecto. *Argentinenses* valde timent, ne supra modum adversarii per nos premantur, unde minus placabiles sint futuri. De qua re et nuper scripsi. Est periculum a spectatoribus Papistis: nam si adversarios convincemus, plebem illorum in Doctores alioqui christianos exasperabunt. Ubi igitur in paucioribus locis erunt Episcopi, facile rerum necessitudine etiam pauci illi desiderabuntur. In summa: Res tota est in manu Dei, cuius gratia negotium prosperabitur. Nondum scio, quid *Badae* sit decretum.[1] Omnibus modis disputationem impedituri sunt, etiam si cras habenda. Aliis autem viis nos aggredientur. Sed nos timebimus Dominum, cuius negotium agimus, et bene tuti erimus. Vale. *Bas.* 7 Febr. (1526.)

Tuus, *Oecolampadius.*

XIII.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Gratia et pax, carissime Zuingli! Quandoquidem in ore sumus fere omnium, et tripudiant *Brentii* et *Regii*, atque id genus: nonnulli etiam ex his languescere incipiunt, qui videbantur pie sentire. Urgendum est opus Domini, urgendum. Tu, non dubito, dabis ad nundinas tua. Habes enim Typographos ad manum. Videtur mihi facere ad rem, ut et mea, quae Dominus dedit, non desiderentur. Hic obstat Satan. Tantum impetravit *Cratander* a Senatu, ut plane nihil omnium, quae ex mea officina, sive ea parva sint, sive magna, bona vel mala, excudat. Igitur a *Cratandro* liber ero. Scripserunt *Argentinenses*, ut mitterem ad ipsos exemplar. Verum id integrum mihi non est, nisi *Christophoro*[2] minus fuerit integrum, laborem illum suscipere. Ego pro exemplari nunc nihil peto, nisi mittat exemplaria quaedam sponte. Cuperem autem illi tantum otii esse. Imo Tu pro solicitudine, quam habes in Ecclesiam Christi, si possibile est, curabis ut locus sit et nostrae lucubrationi excudendae. Nunc nihil adeo angit, ut quod videam principem tenebrarum, ne lux progrediatur, omnem movere lapidem. Nostrum erit, ne cedamus. Persuasum enim mihi est, Dominum nolle nos ulla in parte ignavos. Igitur urgebis, quantum potes *Christophorum*, ut hunc laborem suscipiat, qui absque dubio nihil illi incommodabit, et piis non erit inutilis. Hac autem de caussa valde mihi gratum erit *Tiguri* impressum iri, ut et Tu gustum eorum, quae scripsi, capere possis: nam, quantum coniecto, ut perlegas non sinunt negotia. Erit autem omne Tibi ius, si videris quippiam gloria Christi indignum, ut in totum reiicias. Non enim hodie nobis et gloriae scribimus, sed Christum regnare cupimus. Satagat itaque caritas tua, ut et libellis meis isthic excudendis locus sit. Opinor autem illos Tibi non displicituros. Quamvis autem decretum Senatus nostri non usque adeo carni crucifugae

---

[1]) In Comitiis, de disputatione. [2]) *Froschoverus.*

adlubescat, non tamen franget, ita Christum precor, animum, ut ab eo annuntiando desistam. Ceterum quod benedictione vestra inopiam meam relevare cupitis, gratias habeo magnas et vobis et Christo, qui hunc vobis animum dedit. Sat mihi nummorum ad aliquot menses. Sunt privati quidam cives, qui obtulerunt et ipsi. Sed libenter excutio manus. Honestius et christianius fuerit, aliter rem domestiam instituere, quam cuipiam esse onerosum. Tibi nunc gratias ago. Oro Dominum, ut fortitudinem tuam conservet. Si fieri potest, cura, ora, urge et insta, ut libelli isthic excudi queant. *Hezerus*, qui Te salutat, *Christophoro* scribit, quibus conditionibus ascendat. Ego nihil pretii peto. Vale. *Bas.* 9. Febr. 1526. Tuus *Oecolampadius.*

XIV.

ZUINGLIUS AD ABTZELLANOS.

Gratia et pax a Deo, ampli, honorati, prudentes, clementes, gratiosi, dilecti Domini! Insolenter admodum mihi accidit, quod apud Vestram Sapientiam publice culpatus sum, quasi Vos, meos clementes Principes reipublicae convitiatus essem indecoris vocibus, et liceat praefari honorem! haereticos vocassem, quod non minus a me abest, quam ut orcum dixerim caelum. Nam per omnem meam aetatem magnifice et honeste de Vobis, meis Dominis *Abtzellanis*, et loquebar et existimabam, hodieque, ac volente Deo ad extremum meum spiritum. Sed non ita pridem evenit, quum contra Catabaptistas concionarer, ut haec verba facerem: Catabaptistae nunc probis *Abtzellanis* tantum molestiae et negotii facessunt, insolentiaque tanta utuntur, ut nihil probrosius. Ecce, Domini Clementes, qua cum modestia vicem Vestram doluerim, quod Vobis Catabaptistae turbulenti tantam sollicitudinem crearunt. Et vero suspicor, Catabaptistas ipsos mihi talem rumorem apud Vos conflasse: nam multa eiusmodi agunt, quae Christianos veri nominis parum deceant. Sic Domini Clementes, Sapientes, per Deum obsecro, me apud totum Commune excusatum habere velitis, ac si tempus ferat, coram universa concione hanc epistolam recitari iubeatis. Nam per Deum, nostrum omnium soterem, asseveró, Vos e mea cura et anxietate in periculosis his temporibus nunquam elabi, et si qua ratione Vobis praeter ceteros inservire possem, operae me non parsurum esse. Ad haec qui nunquam inimicos meos his talibus incessebam, mihine tandem in mentem venerit, Vos pios, sapientes Dominos tam importunis contumeliis onerare? Tantum. Deus Vos incolumes servet! ipse mendaciis tam effrenibus modum ponat, quae ubique sparguntur; quod tamen certum est indicium magni cuiusdam periculi, Vestramque Sapientiam una cum tota civitate vera Christi fide contineat. Accipite meas litteras in optimam partem! non enim pati poteram, ut mihi tam turpe mendacium insideat. Turici, XII. die Febr. MDXXVI.

Vestrae Sapientiae officiosus *Huldricus Zuinglius.*

Inscriptio: Piis, prudentibus, honoratis, sapientibus Praetori, Senatui et universae Civitati Abbatiscellanae, suis clementibus, gratiosis, dilectis Dominis.

14.

Zwingli an die Abtzeller.

Gnad und Fried von Gott, hochgeachte, ehrsame, weise, gnädige, günstige, liebe Herren! Es kommt mir eigenlich für, wie ich vor Euer Weisheit öffentlich gescholten sey, als ob ich Euch, meine gnädigen Herren, gemeines Lands, bescholten habe mit etwas ungeschickten Worten, und, Urlaub vor Euer Ehre, Kezer genannt habe; welches als fern von mir ist, als dass ich geredet habe, Hölle sey der Himmel. Ich hab all mein Lebtag herrlich und ehrlich von Euch meinen Herrn von Abtzell geredet und gehalten, und noch heut bey Tag, und ob Gott will bis in meinen Tod. Es hat sich aber in vergangener Zeit begeben, da ich wider die Widertäufer gepredigt, also geredet habe: die Widertäufer geben jetzt den biedern Leuten zu Abtzell so viel Mühe und Arbeit zu schaffen, und treiben so viel Muthwillens, dass ein Spott ist. Sehet, gnädige Herren, mit was Zucht ich Erbärmd hab mit Euer Weisheit gehabt, dass Euch die verwirrigen Täufer so viel Unruhen gestatten. Aber ich zweifle eigenlich, dass mir die Widertäufer selbst solchen Leumden bey Euch aufgeblasen haben: dann sie thun der Dinge viel, die christenen wahrhaften Menschen nicht wohl anstehen. Hierum gnädige weise Herren wollet mich um Gottes willen vor ganzer Gemeinde verantwortet haben, und hat es Fug, auch diesen Brief vor ganzer Gemeind verlesen lassen. Dann ich bey Gott, der uns alle erlöst hat, sage, dass ihr mir aus meiner Sorg und Angst in diesen gefährlichen Zeiten nimmer kommet, und wo ich Euch vor andern je gedienen könnte, wollte ich mich nicht sparen. Dazu hab ich meinen Feinden all mein Tag nie solches zugeredet; was wollt ich dann Euch, fromme weise Herren, und eine ganze bidere Gemeind, mit solcher unghander Red beladen? Mehr nicht, dann seyd Gott befohlen! Der wolle uns solcher fräfnen Lügen abhelfen, die allenthalben werden vorgegeben, das doch ein gewisses Zeichen ist einer grossen Gefahr; und Euer Weisheit sammt ganzer Gemeind in wahrem christenem Glauben behalten! Versteht mein Schreiben im besten! denn ich solchen unehrbaren Lug nicht hab mögen auf mir liegen lassen. Geben zu Zürich XII Tag Hornungs 1526.

Euer Weisheit williger Huldrych Zwingli.

Ueberschrift: Den frommen, fürsichtigen, ehrsamen, weisen Ammann, Rath und ganzer Gemeinde zu Abtzell, seinen gnädigen, günstigen, lieben Herren.

XV.

NIC. PRUGNERUS ZUINGLIO

Gratiam et pacem a Deo exoptat. Significaveram pridie Tibi conditionem meam et proscriptionem, quae, ut praetexere solent nostri, iussu *Helvetiorum* facta est; [1] cum tamen nihil adversum me habeant, ut et

[1]) *Nicolaus Prugner*, primus pastor reformatae fidei, in Mullhausen. Oecolampadius crimini ducit *Fabro* expulsionem eius. Parochia *Bennfeldae*, in oppidulo Argentoratensi, ei mandata est.

literis sigillo civitatis munitis testantur. At ego, quo nunc divertam, nondum apud me constitui. Si locus apud vos vacaret, ubi ubi gentium esset, mihi significaceres, quam potueris ocyscime. *Capitoni* scribe vel *Hedioni!* nam animus est hos primum adire. Rem omnem narrabit hic grammatophorus. Tempus me deficit. Vale, *Zuingli* optime, et me commendatum habe. *Mulhusii* 16 Febr. 1526. Salutabis meo nomine *Leonem* et ceteros fratres.

XVI.

IOANNES LUITHART [1] ZUINGLIO.

Gratia Christi Tecum. Si mihi in hominem aliquem etiam furibundo animo grassari liceret, liceret maxime in Te vel unicum. Damnum enim gravius nemo mortalium hactenus mihi intulit, quam Tu unicus *Zuinglius*. Quale inquis? Omnium denique adversitatum, periculorum et laborum usquam perpessorum unum habui compugnantem, commilitonem et collaborantem *Pellicanum*, illum videlicet quem Tu modo mihi aufers, et cuius copia me privas, et ita privas, ut me solum in medio nedum luporum, imo leonum, relinquas. Vae mihi soli, cum in aliquam incidero adversitatem! quem enim habebo me fulcientem? Veritatem dico in Christo, et non mentior: gravius damnum inferre non potuisses, et mors ipsa levius esset, quam me solum inter tot aspides et basiliscos relinqui. Nec aliquid superesse video mihi nisi mortem ipsam. Non Tibi invideo, quod tuum tuorumque negotia promoves. Id autem me male habet, quod cum tanto meo et aliorum malo atque dispendio tua promoves. Uti licet privilegio, sed sine alterius praeiudicio. Tu igitur, si hominem tantopere a Te laesum reconciliare vis, quemadmodum et obligaris, eo pacto continget, ut aut *Pellicanum* restituas, aut alium huic similem surroges, aut me pauperculum una post Pellicanum ad Te revoces. Manere amplius nec possum, nec volo; vagari autem per mundum in Verbi praeiudicium perhorresco. Interim tamen nec vos *Tigurinos* gravare opto. Hoc unum peto per Christum Iesum, et eius fidem, obque hanc quam intulisti laesionem, fac ut saltem in aliquo, etiam minutissimo, pago locus mihi pateat a Dominis tuis. Spero, Te non frustra laboraturum. Ceterum meam necessitatem, meumque animum in Te et alios fratres viva vox *Pellicani* latius referet. Tu me interim eo pacto recommendatum habeas, quo animus meus Tibi iunctus est, et vale.

Ceteris fratribus animi mei promptitudinem annuntia cum salute.

Frater *Io. Luithart*, tuus Confrater in Christo.

XVII.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Pax et gratia a Christo. Venit tandem, mi *Zuingli*, optatus et toties evocatus *Pellicanus*, quem non est opus ut commendem viris tanta

---

[1]) *Ioannes Luithart*, *Lucernas*, fuit praedicator in coenobio Discalceatorum Basileae, ubi *Pellicanus* Guardianus, qui ambo reformationi aperte favebant.

humanitate et pietate praeditis, maxime cum ille innocentia et virtutibus facile alios commendare valeat. Fieri potest, ut primis mensibus, adhuc oleat monasticen, sed statim se accommodabit moribus vestris. — *Argentinensium* res bene habent, tantum *Capito* minus valido corpore est. *Bucerus* respondebit publice *Brentio:* nam *Brentii* quaedam epistola impressa est, quam ille *Bucero* scripsit in re Eucharistiae; at *Buceri* responsionem non adiunxerunt ii qui ediderunt. Vide simplicitatem *Suevorum! Lutherus* quoque *Rutlingenses* a favore nostro dehortatus est epistola, quam nondum vidi, polliceturque adversus nos ingentia. Verum quid contra veritatem praevalebit caro? *Billicanus* nuper ad me literas satis prolixas dedit, et videtur nonnihil accedere ad sententiam nostram. Mavult tamen allegoriam admittere quam partium metaphoram, et dicit, portionem bonam Epistolae ab *Urbano* suppressam. Iterum videmus, quo candore gerantur res ab adversariis; et quum ipsi tales sint, reiicere tamen in nos conantur dolos! De te queruntur, epistolam ad *Rutlingenses* editam,[1] quam tamen non miseris suo Domino. — In nostris „Apologeticis“[2] scis tibi omne ius: agitur enim communis causa. Non possum et hoc non significare, plerosque male interpretari, quod non consentias in disputationem hic habendam, neque *Tiguri* egredi velis. Verum hi, qui ita loquuntur, nec tui nec mei rationem habent. Mihi nondum persuasum est, usquam instituendam disputationem, sed nihil aliud agi, quam laqueos poni. Nam si veritatis amantes forent viri illi, quanto compendio ad illam pervenire possent! Orabimus Dominum, ut et nobis spiritum consilii subministret, ne quid vel agamus vel omittamus, quod non ad sui nominis gloriam spectet. Brevis enim est haec vita, et anhelandum est ad ea, quae speramus, et speranda aliis praedicamus. Vale, laetus et fortis in Domino. *Basileae* mense Febr. 1526. *Ioannes Oecolampadius.*

XVIII.

HENRICUS WERDMULLERUS[3] ZUINGLIO.

Salvere vos iubeo, dilecte Magister Huldrice. Iam dudum Vos consulturus eram de meo puero,[4] utrum opificium eum doceam, an

---

[1]) Ad *Matthaeum Alberum*, pastorem *Rutlingensem*. 16 Nov. 1524. [2]) Plura apologetica scripta: *Oecolampadii* duo sermones sacri; responsa *Billicano* et *Regio* data, Antisyngramma adversus *Suevos* una sunt edita, quorum titulus *Apologetica*. [3]) *Henricus Werdmullerus*, Ducentumvir, 1532. Senator; unus scriptorum Vulsurae Vulturis. [4]) *Otto Werdmullerus*, tunc 14. annorum, *Thomam Platerum* praeceptorem habens, studia litterarum simul et opificium exercebat. A Bullingero *Basileam*, missus 1531 *Argentoratum* profectus tres ibi annos philosophiae et philologiae insumsit; inde 1535 *Vitebergam* se contulit, ut Physica, Ethica et Mathematica perdisceret; necnon audiebat lectiones Theologicas a Luthero et Melanchthone. Magister artium liberalium 1539 pedibus *Lutetiam* ivit, ubi et *Aureliani* philologicas scholas habebat. Eodem anno *Basileam* profectus ibi quoque eiusmodi scholas cum instituerat, mox 1540 domum vocatus professor Philosophiae, deinde Archidiaconus et Canonicus, 1551 obiit. Extant opuscula eius et philologica, et theologica practici generis. Cognomen ei aliquando *reformatori scholae* addebatur. (Athenae Rauricae.)

maiores sumtus impendam, sive Biblia emens, sive aliter litterarum causa. Nam equidem etiam in hac sententia sum: si quis discat innocenter vivere coram Deo et hominibus, ut omnium optimum id studium sit. Sed nihilominus expeto vestrum benevolum consilium et scripto responsum. Vos facile intelligitis meam mentem; attamen percontamini puerum quoque ipsum. Alterum etiam puerum una Vos accedere iussi. Mater eius quum mihi lavaret, dixit, se imparem esse diutius ei alendo; iam Praepositum Embracensem [1] et alios pollicitos esse, comparare puero disciplinam nullis matris sumtibus, quod tamen in praesens fieri non potuit, bibliaque Hebraica; neque hoc successit. Oro igitur vos eius causa, ut ipsi consulatis quid faciundum. Sabbati ante Oculi MDXXVI.

Henricus Werdmullerus, Vester fidelis amicus.

Inscriptio: Pio Magistro, Huldrico Zuinglio.

18.

Heinrich Werdmüller an Zwingli.

Gott grüss Euch, lieber Meister Ulrich. Ich han Euch längist wollen fragen meines Knaben wegen, ob ich ihn soll ein Handwerk lernen lan oder grösseren Kosten mit ihm han; es sey jetzt mit der Bibel zu kaufen, oder anders von der Sprachen wegen. Denn ich auch des Sinns: Wenn einer lernte unschuldig leben vor Gott und der Welt, das wäre das allerbest Studiren. Aber nichts desto minder begehr ich euers freundlichen Raths und schriftlich Antwort. Ihr versteht wohl meine Meinung; doch fraget den Knaben selber auch. Den andern Knab han ich auch heissen mit ihm gan zu Euch. Seine Mutter hat mir gwaschen, und geseit: Sie vermög ihn nicht länger bey ihr zu han; da hätte der Propst von Embrach und andere ihr verheissen, den Knaben bey der Lehr zu han ohne ihren Kosten, das aber bisher nicht hat mögen seyn; und eine Hebräische Bibel zu geben. Ist auch nicht beschehen. Und bitte Euch um seinetwegen, ihr wollet ihm auch rathen, was er thun soll. Samst. vor Oculi 1526.

Heinrich Werdmüller, euer treuer Freund.

Ueberschrift: Dem frommen Meister Ulrich Zwinglin.

XIX.

ZUINGLIUS VADIANO.

Gratia et pax a Deo. Est, honoratissime Consul, hoc ipso die per Senatum *Διακοσίων* decretum, ut Catabaptistarum coryphaei in eam turrim, in qua prius delituerunt, coniiciantur, pane et aqua delicientur, donec aut spiritum reddant aut manus. Additum quoque, ut qui posthac tingatur, prorsus mergatur: lata iam sententia. Sic tandem tentata satis patientia erumpit. Socer [2] Senatus misericordiam nequicquam

---

1) *Brennwaldus.* 2) *Iacobus Grebelius*, Senator, pater *Conradi*, socer *Vadiani*, reus donorum a Principibus externis acceptorum securi percussus est 3. Oct. 1526. Repudiata deprecatio veniae hic ad filium eius captum pertinet.

imploravit. Mihi vehementer incorrigibilis hominum audacia tum dolet, tum displicet. Nollem crepundia renascentis Christianismi huiusmodi exemplis inaugurari, sed Deus non sumus, cui sic placet futuris malis prospicere, ut olim quum Petro mentientem Ananiam subita atrocique morte trucidavit, quo nobis fallendi audaciam omnem, qui tamen nullius rei aeque gnari sumus, amputaret. Audisti forsan, *Bernenses* tam *Tigurinorum* quam *Helvetiorum* petitiones ad universum ditionis totius populum reiecisse. Responderunt *Burgdorphium* et quaedam alia quae adversarii speraverant adversum nos consultura, secundum nos, nempe, *Tigurinis* foedus undique servari debere sacrosanctum. Vis inferenda nullis etc. Iam a *Bernensibus* et *Glaronensibus* mitia et fidelia omnia expectamus: nam et ad hos Senatores duo missi sunt expositum caussam universam. Excuditur *Oecolampadii* ad *Suevos* et *Billicanum* responsio sive *ἀντισύγγραμμα* nunc apud nos. Aegre potest absolvi ad nundinas *Frankfordenses*. Nostra hic habes. *Billicanus* queritur, ab *Urbano* iustam epistolae suae partem subtractam esse ad *Oecolampadium*. *Urbanum* suppudet epistolae; ad eundem nunc missa epistola. Deo gratia, s. ars sit, s. ex sententia scribant: nam si ars est, caussae metuunt, quam arte auxiliantur; puta: si hac vice *Oecolampadii Zuingliique* animos demulserimus, ne constantius in nos scribant, vincemus aliquando, dummodo negotium trahatur quacunque ratione. Facile ergo cuique licebit *ὑπουλον* videre. Si vero ex sententia, iam gratum adeo nihil nobis poterit accidere: nam si angeli gaudere possunt, quum peccator aliquis resipuit, quanto magis gaudebimus, fratres ad bonam mentem rediise. *Lutherus* per epistolas inter *Suevos* strenue pugnam sustinet; sed quid efficiet, veritate se tam aperte insinuante? Stant a nobis veritas et proprietas. *Erasmus* scribit adversus *Lutheri* „servum arbitrium“ (sic enim is librum suum, quem contra *Erasmi διατριβὴν* scripsit, adpellavit) tumultuarium libellum, quo triumphos *Lutheranorum* non nihil minuat. Verum, quod ad caussam attinet, *φίλλινα* sunt. Ego paginam unam vidi; in ea impotens est *Erasmus*, verbo absit invidia! adfingit enim *Luthero*, quae hominem admisisse nemo credet. *Pelecanus* nunc apud nos est, homo pius et doctus. Rei christianae optima speramus. *Argentina* constans est et unanimis. Vale cum omnibus fratribus. VII Martii 1526. ad lucernam.

Huldricus Zuinglius.

XX.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Neutiquam Te indigna res fuit, Frater Carissime, praelusisse Pindaro.[1] Feliciter enim tessera cecidit, si cui unquam, idque tempore opportuno. Sunt enim quidam, qui pro Poetis et Oratoribus se titulis et gloriationibus venditant; ii hodie deplorant, per Evangelistas Christi (illi autem sic contemtius nos appellant) extinctas, sepultasque

1) Pindari Olympia, Pythia, Nemea, Isthmica Bas. 1526. 8. prologo et epilogo instructa a Zuinglio. (Misc. Tig. III. 357—372.)

musas omnes, et hoc nomine invidiosos nos reddere nituntur, si vel semel submussitemus „Christianam philosophiam δὶς διὰ πασῶν a seculari sapientia dissidere.“ Utinam illi non tam ventri consulerent, et iuventutis parem haberent rationem, atque nos gregis commissi premit cura! nimirum non essent μεμψίμοιροι. Tu, ut in reliquis, ita et in hac causa, tempestive fratribus infirmioribus, patrocinio Tuo, praesto es. Nos seditiosi, nos bonarum artium pestes, nos vitiorum lernae, nos licentiae magistri illis sumus. Sed Deo gratia, vel Te solo incolumi vindicabimur: ita enim spes est in Domino, quem docemus. Pacem enim ac caritatem docebimus etiam cum inimicis, quam illi, ne cum amicis quidem, et bene volentibus, servare possunt. Artes laudabimus, ita ut artibus iure obveniat honos. Pro vitiis et licentia crucem praedicaturi sumus. Interim vigilabit pro nobis Christus, et subsannabit adversarios nostros, siquidem nos recta illum intuiti fuerimus, nec adoratum cum mundo iverimus Baalim. Ignosce Frater τῇ περιττότητι! puto enim praesentem me loqui Tecum, non scribere.

Porro, ut το προοίμιον arridet, ita et καταχροφὴ ac colophon; sed olim conquestus sum cogi me tarditate quadam, ut laboribus immodicis, meo periculo, provinciae meae satisfaciam. Et est in me, nescio an superbia an levitas, quod servire et aliquid conferre in publicum cupiam; et profecto nullae sunt vires, tantum abest ut respondeant: unde bonae valetudini nonnihil decedit. Atqui non est quod querar: scio enim, me quondam magis laborasse, et perpetuum fuisse valetudinarium, unde praesens imbecillitas confirmatio quaedam videtur. Quod profecto non aliunde, quam ab eo, cui servimus. Et concedat ipse, ne torpescamus unquam, sive diu, sive brevi serviendum sit. — Nihilominus divina Tua Paraenesis profundius me admonuit. Videbis Cratandrum diligentissime omnia curaturum. Et ego advigilabo. Iam non multum referebat, licet officinam Christophori [1] invisere non posses. Consilio Domini evenit ut *Hezerus* laborarit capite, Tu ulceribus. Indignae enim sunt sordes meae, quae Tuas Tibi horas suffurentur. Fortassis videor Tibi χολαχεύειν; atqui alienissimum est a me. Etenim lucubrationes Tuae ita mihi arriserunt, ut meae plane non possint arridere. Solus *Brentios*, *Billicanos* et *Regios* compescuisses! Quid egò solicitus? Verum tamen, cum in lucem prodierim semel, satius fuerit, vel non dimicantem non fugere, quam inaniter gloriabundis hostibus temere cedere. At, cur Tu me, tam immeritum, laudibus interim celebras? — Utinam in bonum Evangelii Christi cedant illae! Quid enim mihi prosunt indigna praeconia? Extimularent quidem, sed sera parsimonia fundi. — Tu cresce in immensum! Magnum mihi fuerit, paulatim progredi, modo non retrocedam. Vere enim dixerunt Patres: Pluribus intento, non est in singula sensus. Quid igitur mirum, si meae foeturae deformes? Gaudeo tamen: nam licet verbis postremu, sum, certus tamen sum, nihil me dicere, quod inglorium Christo nostro et quod non ignoscat libens Pater ille benignus.

Pellicano, viro carissimo, salutem meo nomine dicas, et bene-

---

[1]) *Froschoveri.*

dictionem a Domino. Nunc non vacavit ut scriberem. Ubi cucullum exuerit, non erit mihi religiosum, hominem litteris salutare. Fecit me ille mendacem. Scripsi enim amicis Argentinensibus, illi congratulantibus, quod vestem exuerit. Atqui non diu mendacem sinet. Nugabor et haec Tecum, mi *Zuingli*. Praesaga nimirum mens eorum fuit, qui *Utingero* scripserunt, librum pessimum isthic excusum iri: nam ipse facile subscribo. Etenim nunquam existimassem, tam depravatum exemplar ex aedibus meis proficisci. Spes tamen in Domino est, quod et sterilis septemgeminos paritura sit. Proinde crassiora quaedam errata mitto emaculanda. Sed de his cum *Hezero*. Salvus sis cum fratribus omnibus. Vale. *Basileae* 7. Martii 1526.

Tuus *Oecolampadius*.

XXI.

CAPITO ZUINGLIO.

Gratia Christi Tecum, fidelissime frater. Diligentiae tuae gratiam habeo. Literis ad me, pro capto fratre,[1] usus sum. Grata est salus per Te nunciata. Mitiores habiturus est iudices, si rem ad iudicium deducent adversarii; quod facturos minime credo, propterea quod atrocissima accusatione persequi citra testes, imo reclamantibus passim omnibus, perquam difficile hic erit. Mutatae sunt hominum opiniones. Pridem habebatur sceleratissimus, modo vir iustus ut est melioribus videtur. Profuit magnopere gravissimum tuum testimonium. De Moniali *Bucerus* totam fabulam scribit, et commendatitias a Senatu nostro. Pia foemina est. Utinam per occasionem adiuvari possit. Dabis operam pro misera. Divitiae huius Reipublicae a multis celebrantur, sed re vera sunt intra mediocritatem. Cum agricolis vestratium tolerabilior propediem ratio erit. Hoc etiamnunc tempus est perturbatius. Florebunt piae Respublicae, quatenus coniectura consequi possum. De *Gallo* et *Caesare* consentiente[2] magnas spes meditantur adversarii, quos Dominus perdet; contra vero, si novi iudicium Domini, non multum me fallit, quantum Antichristo ex ea concordia mali sit eventurûm. Nam Galli piissimi ad iter se accingunt obviam ituri Regi, et nomine electorum Christianorum aequissimas conditiones postulaturi. Bene sit. Nos semper morimur et tamen vivimus. Illi de salvatore et salute impotenter gloriantur, et tamen indies etiam atque etiam pereunt. Quid *Sueviae* et huius viciniae concionatores meditentur, habes ex *Buceri* literis. Nos contra dabimus operam, ut optimum quemque nobis aggregemus, siquidem Domino visum est, ut scindamur, tametsi nos in unitatem fidei, citra animi vitium, volente Christo colligamus. *Bucerus* epistolae *Brentii* respondit. Non video contendendi finem. Oro Dominum, det nobis fortiter, si usus foret, persistere, sine quo nihil possumus. Literas Senatus ad vestrum celeberrimum Senatum pro *Barbara* illa Monacha mittimus. Fac miserae, quod officii nostri est. Pro tuis vices reddemus, ubicunque dabitur.

---

[1]) *Stephanus Stoerius*, *Liestallensis*. Cfr. Epist. VII. [2]) Dicit pactum Madritanum, per quod Franciscus I. rex e captivitate liberatus est.

Iodocus Brenwaldius commendatissimus est nobis. Graece studebit. Iuvenis est elegantissimus simulatque obsequentissimus. Det Dominus ne expectationem probissimi parentis fallat. Fratres nomine nostro iubeas salvere plurimum, *Pellicanum*, *Myconium*, *Leonem Iudae*, et pro nobis ora Dominum. Argent. 7 Mart. 1526.

V. *Fabr. Capito*, tuus ex animo.

Uxorem tuam et prolem, qua te Dominus benedixit, opto valere in Domino. Gratulor tibi testimonium Domini: nam hinc apparet, Dominum contestari, se tuum coniugium approbare, qui meum fortassis reiecit, tametsi obsequentis atque ingenii placidissimi uxor contigerit.

XXII.

BUCERUS ZUINGLIO.

Gratia et pax. Usque *Badam Suevorum* et *Wittenbergensium* stupor et supercilium, ne dicam pervicacia, et arrogans fastidium fratrum nos premit. *Struss* quidam,[1] de quo fortasse antea audivisti, praedicavit primum *Halis*, prope *Pontem Oeni*, inde *Isenaci Thuringiae*, homo, ut scil. apparet, sibi confidens, et non tam humanus, quam vult videri Christianus. Est is nunc *Badae*. Dicitur palam pro suggestu *Oecolampadium* nostrum proscindere, atque ut a primo toxico, omniumque praesentissimo, caveant Christiani, plenis buccis inhortari. Est illic matrona, primi Aulae Praefecti uxor, pia admodum et nostrae sententiae; quae potissima causa extitit, ut illic haeserit *Struthio*. Huic hanc refert gratiam, ut cuius illam novit sententiae, palam pronunciet haereticam, et prae caeteris nocentissimam. Vide, ut referant isti spiritum Christi, quem sibi solis arrogant! Unius diei iter est inter nos, et salutatus non dignatur nos resalutare. *Brentius* ille, olim anima mea, sive curavit, sive permisit epistolam suam quandam ad me,[2] parum humanam, edi, cui oportuit respondere; sed ita temperavi rem, ut a contentione videar abhorrere. Cum ipse concitatior bellum Sacramentarium indiceret nostris *Lutherus*, aperte satis, quantum vehementia illa displiceret, testatus est. Totus, observande *Zuingli*, furit *Lutherus*. Tu, quaeso, totus mansuescas, ac ut furentem fratrem tractes, blandiendo nimirum ut illi vera ostendas. Hoc et causa, quam agis, postulat, et iudicium, cui illa approbanda est. Sunt in eo Principes et alii viri boni atque graves, ut colloquii copia fiat. Id impediretur, si et nos hostes vellemus esse. In quaternione V. fatetur, inter panem et corpus Christi esse unitatem non Naturalem, non Personalem, non Operationis;

---

[1]) Videsis historicas animadversiones ad Zuinglii scriptum contra istum.
[2]) Apologia, qua fidei suae atque doctrinae circa Christi coenam, quam tum ipse, tum alii ecclesiastae *Argentinenses* profitentur, rationem simpliciter reddit, atque citra dentem depellit, quae in ipsum epistola quaedam *Io. Brentii* ecclesiastae *Hallensis*, inscio, ut creditur, auctore edita, crimina intendit. *Argentinae.* 1526.

sed Sacramentalem. Ex eo, si mihi scribendum esset, conarer ostendere, inter nos convenire, ut re ipsa, revera convenit. Nisi quod ille iussa contendit recitari haec verba: Hoc est Corpus, et eo praesentem Christum statim, etiam impiis. Piis siquidem et nos Christum praesentem esse et edi fatemur, sed per fidem; et panem non esse, neque dici Christi Corpus, nisi Sacramentaliter. Etsi de *Luthero* parum spei superest: tamen magna de innumeris, qui illi adhuc adhaereant. Ne hos alienemus. Et ita instituam, ne *συνοδοιπόρους* post me relinquam. *Συμβάλλε, ὅτι βούλομαι.* Pietatis tamen sententiae non deero. Tua de hac re avide expectamus. — Ceterum ut iterum viduae causam apud Te agam, de qua nuper respondisti nobis: illi *Barbarae* nomen est. Patrem habuit *Marquardum a Salgans*, Baronem, qui plurimum temporis transegit in aula Principis *Sigismundi*. Huic fuit nepos *Georgius de Salgans*, qui habitavit in *Ortenstein*, prope *Curiam Rhaetorum*, quam arcem Pater huius nostrae olim extruxit. Matrem vero habuit *Margr. a Ioch*, quae familia supra *Curiam* habitavit. Octennis fuit cum commendata fuit Coenobio *Beraw*, prope *Walzhudum*. Hanc ad se pellexit ante plus minus 12 annos Domina *Catharina a Zimmern*, praefecta coenobii vestri. Quae cum non posset impetrare, licet iterum atque iterum tentasset, ut abbas *S. Blasii*, sub cuius autoritate est illud coenobium *Beraw*, in translationem *Barbarae* consentiret, tandem eo res perducta fuit, ut si renunciaret suo coenobio, provisa in vestro, Abbas a repetenda illa desisteret. Hinc factum est ut Domina *Catharina* cum suis convenerit atque decreverit, *Barbarae* per vitam suam quotannis dare 10 modios frumenti, quos ait vos Mütt vocare, 10 florenos, 10 amphoras vini (apud vos dici ait Eimer) cum leguminibus, quantum satis illi esset, quod tamen postea dandum illi fuit decretum. Ceterum nullae praesentiae, quas vocarunt, ipsi decretae sunt. Huius provisionis certam ipsam reddiderunt per literas, item Abbatem *S. Blasii*, quo ipsam oportuit proficisci et priori suo coenobio renuntiare. Quod et factum est. Huius potest tibi totam historiam narrare D. *Engelhardus Schoenbrunner*, ac alii Canonici illic. Si Praefectam roges Coenobii, ea illi cum iniqua sit, nihil aequum respondebit. Sed poteris rescire ab aliis ita, ut scripsi, illam receptam ab ipsa Praefecta et Capitulo. Quare certe aequitas postulat, ut viduae et desolatae non negetur pie viventi, quod promissum fuit ad obsequium Antichristi; neque debet illi obesse, quod se matrimonio mature dedidit, aut etiam quod maritum habuit parum probatum, de quo quid tandem experti scimus, nuper scripsi. Oro itaque te per patrem viduarum et pupillorum (nam sic vidua est et pupillus, quibus non sit teruncius) ut diligentius explores, quid illi possit impetrari, et mittemus eam cum literis commendatitiis nostri Senatus. Plane hic nihil minus illi, quam cuivis alteri daretur, et non sumus tam christianici quam vos. Vere haec mulier pia est, et ipsa innocentia, quam qui negligit, Christum negligit. — In Domino vale, et saluta nobis fratres, *Leonem* atque alios, atque nostrum *Pellicanum*, quem hortare ut nobis scribat, quomodo se habeat decucullatus. Salutant te fratres omnes.

M. *Bucerus*, tuus.

XXIII.

L. T.[1] ZUINGLIO.

Meam salutem amice nuntio voluntatemque optimam, Domine dilecte et affinis. Vos certos facio, nostros legatos commodum a Comitiis Lucerna rediisse, quae de Genevensibus praecipue gesta sunt,[2] atque ut accipio, Confoederati nostros legatos exiguo honore affecerunt, quod maxime meritis praesertim accidit. Nostri ergo Confoederati venient Bernam, dehortaturi a civitatis iure, quod cum Geneva contraximus; id quod multi iique honesti viri nostrae civitatis indigne patiuntur, et quantum audio, libere aliquando cum iis agetur diceturque: si nobis faciendum quod iis lubeat, mox tutorem nobis imponant, opus esse. Deinde mihi vir probus aliquis retulit, ut nostri Confoederati in Comitiis decreverint atque inter se convenerint, Vos in praestitutam diem Thermis comparere debere, ibique Murnerum Vobiscum disputare; ac simul sermo fuit, vestrates Vos adacturos esse, ut id faciatis. Quod si verum sit, admoneo, caveatis per caput Vestrum, ut ne Thermas veniatis: nam commeatum in Vobis nequaquam servatum iri, scio. Propterea, inquam, cavete Vos. Murnerus, nebulo, Lucernae propalam de suggestu voce manuque elata sic vociferatus est: Zuingli! ego abdico Tibi corpus et bona, teque convincam corruptorem miserae plebis Christianae etc. Mox alia ulterioraque resciscam, quae Vobis nuntiabo, ut primum fieri poterit. Tantum! Deus sit Vobiscum. Datum B.

Pergratum foret, si mihi apographum trium edictorum mitteretis a Vobis memoratorum, quum erit Vestrum commodum. Salutate a me Vestram uxorem dilectam et consulem Roeustium omnesque bonos Christianos.

23.

L. T. an Zwingli.

Meinen freundlichen Gruss und alles Guts zuvor, mein lieber Herr und Schwager! Ich lasse euch wissen, dass unsere Boten jetzt ab dem Tag von Luzern kommen sind, und ist solcher Tag fast von der Genfer wegen gsyn; und als ich vernehme, so haben die Eidgenossen unseren Boten kleine Ehr angethan; und insonders so ist eben den recht Schuldigen beschehen. Also werden unsere Eidgenossen gen Bern kommen und wollen uns von dem Burgerrecht mahnen, so wir mit denen von Genf gemacht haben; dessen mancher Biedermann in unserer Stadt fast übel zufrieden ist, und soviel ich höre, so wird man einmal deutsch mit Ihnen reden, und Ihnen sagen: wenn wir müssen thun, was sie wollen, so müssen sie uns bald einen Vogt geben. Demnach so hat mir ein Bidermann gesagt, wie unsere Eidgenossen auf dem Tag be-

---

[1]) *Leonhard Trempius*, maritus sororis Zuinglii Bernae. [2]) *Bernа* et *Friburgum* 1525 *Genevae* contra Ducem *Sabaudiae* tutandae causa ius castellanum (Burgrecht) fecerant. Ceteri Helvetii confoederati iam hanc societatem dissolutam volebant.

schlossen, und abgeredet haben, dass Ihr gen Baden müsset, auf einen bestimmten Tag, und da werde der Murner mit Euch disputiren, und ist dabey geredet, Euere Landleute wollen Euch dazu halten, dass Ihr solches müsset thun. Da sag ich also dazu: wenn das wahr ist, so hütet Euch bey Leib und Leben, dass Ihr nicht gen Baden kommet! denn es würde an Euch kein Gleit nicht gehalten. Und das weiss ich; darum so hütet Euch! Der Murner, der Läkersbub, ist zu Luzern öffentlich an die Kanzel gestanden, und hat mit lauter Stimm und aufgehabtem Arm geredet: Zwingli, ich sag dir ab an Leib und an Gut; und will dich unterrichten, dass du ein Verführer des armen Christenvolks bist etc. Ich werde bald weiter andere Mähr vernehmen; deren will ich Euch berichten, so bald mir möglich ist. Nicht mehr, dann Gott sey mit Euch. Geben zu B.

Ich wollte gern, dass Ihr mir eine Abschrift der drey Mandate, so Ihr mir angezeigt habt, zuschicktet, wenn es möglich wäre etc. Grüsset mir euere liebe Hausfrau und Burgermeister Röusten und alle guten Christen.

XXIV.

ZUINGLIUS VADIANO.

Gratia et pax a Deo. Octavius ille florens [1] iuvenis est humanarum divinarumque literarum impense doctus, omnia confert, omnia colligit, nesciri vult, ac in obscuro latere, quod hoc consultissimum etiamnunc videatur. *Fabrum* neutiquam graviter accipimus: meruit enim apud nos stultitia, ut lenius tractaverimus, ac veluti iocis repercusserimus, at in loco: aderunt enim et seria. Ad Cal. Maias absolvetur opus. [2] Descriptum epistolae vestrae non alia ratione extorsimus, quam ut duum fortius valeat testimonium. Vobis apud nos omnia semper erunt tutissima. *Βεντελεῖνον* [3] vestrum, si possumus, in scenam protrahemus. Protinus enim computari ac metiri iussi, quid aut quantum addi ad epilogum possit: exemplum enim totum sub auroram in prelum amandaveram. Proderit vehementer argumento nostro harum insidiarum retectio. Ex *Berna* literas accepimus a fratribus cum piis tum magni nominis, apud ipsos palam iactari .... nos eis videri, si *Baden*, ut baptizemur, eamus, *Bertoldum* suum domi responsurum esse de doctrina sua, postque *Eremitana* Comitia, ad quae Legati sui nihil attulerint, ad Diaecesios nihil hactenus esse relatum. Vide nunc quid audeant Oligarchi atque *Faber*. Nos omnia diligentissime agimus. Mittit enim Senatus ad omnia Comitia tum epistolas tum expositionem nostram de disputatione, atque ea parte, ut tabelliones in media Comitia incedant, Consulique toto spectante populo tabellas offerant. Negare epistolam Tibi non debui, quamvis hoc ipso die grave quid adcidit. Sub auroram concionem

---

1) *Henricus Bullingerus.* 2) Ad *Io. Eccii μὴ ἐπιψαλμήτην ἐπιστολὴν* id est nunquam transmissam epistolam responsio *Zuinglii.* In extremo: Data cito Turici ultimo die Aprilis anni MDXXVI. 3) *Oswaldus Wendelinus*, Praedicator ecclesiae Coenobialis.

habueram, hora vero 8va in Exodo aliquot locos pro more exponendo rursus incalueram, hora vero 9a, in balneas cum concessissem ac scarificassem, domum rediens ferme defecí spiritum; intra tamen horam respiravi, sic tamen ut gemitibus abstinere difficulter potuerim, qui ex pectore infirmiore, quam vultus proderet, exibant. Hora vero 2da postmeridiana somnus me sollicitavit; dormivi, nunquam interdiu id fortissimo iucundissimoque Deo indulgens. Ubi expergefactus sum, iterum antiquus *Zuinglius* sum. Haec Tecum, quia Medicus es. Nam tua sum usus medicina, qua monebas olim, ut saccaro rosato vel per mensem hepatis aestus frangerem; cumque tantopere flagrarem ter intra tres horas incensus, succurrit tuum consilium; protinus iubeo uxorem temperare venenum. Equidem, mi clarissime *Vadiane*, uteunque sollicitus sum apud omnes vigilando, infractissimus quoque sum animo: nihil ex metu ago, sed istud unum caveo, ne optima plebs Helvetica horum nebulonum, *Fabri* videlicet atque *Ecciorum*, strophis committatur, id autem Oligarcharum perfidia. Utcunque enim res cadat, lucri aliquid accedet *Perdinandicis* nostro dissidio, quod ego propediem spero sublatum iri. III. Kal. Apr. 1526. *H. Zuinglius* tuus.

XXV.

IAC. SALANDRONIUS ZUINGLIO.

Gratia et pax a Deo Iesu Christi tecum. Veniet ad te, doctissime mi *Huldriche*, *Ioannes Blasius* Episcopus in *Melans*, [1] qui post *Comandrum* vita, moribus et doctrina herbescenti Christo apud *Rhaetos* fons irriguus fuit, et oves suas Christo ita lucrifecit, ut abrogata Missa et idolis sepositis nunc coeperint christiane magis vivere, quam vel cives nostri, vel alii, apud quos Evangelium praedicatur. Ille pius frater iuxta literas novas Ligae in pastorem electus deiecit e nido impium istud et crassum Papae pecus *Licent. Barthol. Castelmur*, [2] qui diu magna prius invidia mota apud primores et impios, tandem occasione arrepta, ex instructione *Cacabi*, [3] in Comitiis eum proxime habitis

---

[1]) *Io. Blasius* e *Valle Monasteriali*, unus de primis et fortissimis reformatoribus Rhaetiae, Pastor in *Malans* ibi Missam antiquavit 1526, quo nomine Decanus *Castelmur*, quem demoverat, eum accusavit atque iussum ad Blasium effecit, ut in festum Paschatis aut Missam instauraret aut solum verteret. Blasius aliquamdiu decessit ac Tigurum se contulit; postmodo reversus ad suam ecclesiam praedicabat, ut antea, nihil sollicitatus, ad parochatum Curiae deinde provectus. Scripsit 1542 aliquot dialogos contra episcopum aulamque eius in vulgus; sed adeo ignominiosos, ut supplex veniam exorare deberet. Obiit 1550. [2]) *Bartholomaeus Castelmur* e *Bergello*, Canonicus ac Decanus Curiae, infensissimus reformationi, in colloquio Ilantii dictitavit, Biblia satis bene ab Hieronymo versa; non iam opus esse Hebraicorum Codicum. Ibidem latine loqui quum ordiretur, inclamatum est: Teutonice, teutonice! Respondit: Equidem didici latine loqui. Quodsi nescitis, agedum vos quóque discite! atque Comandrum hunc in modum compellavit: „Domine plebane sancte Martine audite me.“ Tum iis, qui latine callebant, in risum effusis *Castelmur* nihil moratus suam loquelam latinam forti animo pergebat. [3]) Verosimiliter de Episcopo Curiensi sermo est.

acerrime et ut haereticum, et illi simillimum in *Flaesch*, accusavit et detulit. Tandem vicit impietas, ut posthabitis precibus, iure, literis Ligae, et quod ipse *Rhaetus* natus, iussus sit pius frater missare aut cedere beneficio et proscriptus a terra et regione trium Ligarum abesse, dictis ad hoc feriis Paschatos. Eorum igitur tyrannidi obtemperans et ne quid saevius tentaretur in suos subditos, ad Te, ut *Rhaetiae* nostrae patronum, et benignissimum fratrem divertit expectaturus futura comitia, sperans mitiora fore. Interim refocilla tuis consolationibus, et tuis consiliis adiuva fratrem nobis omnibus et carum et utilem. In hoc enim scripsi, ne Tu putares (id namque timuit) falsum, ut multi nunc occurrunt et nobis imponunt, et ipsum esse erronem. Si quid igitur huic feceris, facies ut nobis carissimo et gratissimo fratri. In *Engadina* simili furore proscriptus est *Phil. Galitius*,[1] et *Leonem* alium ea temeritate aggressi perficere non potuerunt, prohibiti pluralitate amicorum et suarum ovium in *Lowin*, ubi recens est electus in pastorem. Proximus est *Comander* noster, si quid minis impiorum credendum. *Cacabus* mira et magno aestu coquit. Det Deus ut ipse tandem exedere cogatur homo in dies magis impius. Operam mutuo collocant ipse et *Ludov. Tschudius*,[2] *Ströly* et *Victor*. Quare observandissime mi frater, quibus, potes, non desistas succurrere vel consulere nobis. Dominus Iesu Christus det, ut diu nobis incolumis vivas, et eius manu sustenteris. *Tschudius* certe apud suos proximum ex *Berna* rediens, sparsit, futuram esse disputationem in *Baden*, quo Tu sis venturus. Fac, si verum est, sciamus. Commenda me *Leoni*, *Sebastiano* et *Ioh. Iacobo*. Catabaptistae verum apud nos nidum parant, semel professi, non ex Deo fuisse suum negotium; nunc relapsi, a vestris tam miraculose e turri liberatis confortati, contumaciores quam unquam prius. Hoc heri expertus non ab infimo illorum. Deus omnia in suam gloriam vertat. *Curiae* in Feriis Paschalibus. 1526. *Iac. Salandronius* tuus.

Inscriptio: Meo dilecto Domino et Fratri Mag. Huldrico Zuinglio.

XXVI.

LUCIUS TSCHARNERUS AD ZUINGLIUM.

Gratia et pax a Deo. Reverende Domine et frater in Christo! salvos

---

1) *Philippus Gallitius*, cui *Saluzius* quoque cognomen, Puntvilla oriundus, e rure *vallis Monasterialis*, a quo praecipue *Engadinum* reformatum est per saevas quidem vexationes. Diu corporalem praesentiam Christi in S. C. defendere pergebat. Postquam plures parochias Rhaetiae administrasset, pastoris munus in Curia consecutus 1552 Confessionem Rhaeticam consignavit, quae iuxta Helveticam diu symbolicae fuit auctoritatis, quamvis nunquam typis excusa. Decessit e vita pauper. Tigurini filium eius Gedeonem susceperunt alumnum facultatemque ei praebuerunt colendae doctrinae. 2) *Ludovicus Tschudi*, iunior. V. Opp. I. pag. 171. Dominatum *Ortenstein* in *Rhaetia* emerat, ubi nonnunquam degebat. Aliquanto post eum vendidit Communi, atque ab episcopatu Curiae 1528. castellum ac dominatum *Graeplang* emit in agro *Sargantino*, ubi non maior annis 30 demortuus est anno 1530. Adolescens magis reformationi (Vid. epist. XL. anni 1523), procedente aetate ob rationes, quas cum episcopatu habebat Curiensi, et Gallica stipendia merens, Catholico cultui magis favisse videtur.

esse nos sciatis et incolumes! Deo laus. Quod idem de Vobis Vestrisque resciscere eximio mihi singularique gaudio erit. Mea cara pia uxor et ego omnium summas Vobis gratias agunt pro magna Vestra molestia et opera, quam nostri causa sumsistis. Omnipotens Deus Vos remuneretur. Nec vero longum tempus praeterlabatur, dum beneficium reddamus. Deo gratias ago, qui tam bene mihi auxiliatus est muliere pia et proba, quae meos mihi liberos ita caros habet, quasi ex ipsa procreati essent, ac reor, me quoque erga ipsam facere, quae iucunda sint ac grata. Necnon Dominus ab *Ortenstein*, *Ludovicus Tschudi*, ante tres hebdomadas Bernae fuit, atque in meam rem egit. — Enarrat deinde, ut *Bartholomaeus Magius*, *Iacobus Magius*, levir suus, eiusque soror, Praepositi uxor, in placandis ipsi cognatis uxoris suae operam navent, itaque finit: Venit ad Vos pius christianus doctor, antehac episcopus in *Malans*,[1] qui praedicavit de Sacramentis et Missa idque nihil aliud quam verum, perinde ac noster episcopus praedicat quotidie.[2] Hic nunc repente contra omne divinum ius et aequum relegatus est a Rhaetis e terra; sed spero a Deo, non in diuturnum. Iam ex animo etiam atque etiam oro, fraterne eum recipiatis, ut studia possit persequi. Non est pecuniae inopia, quae virum premat. Episcopus noster litteris Vos certiores faciet de ejus causa. Salutate meo nomine candide Vestram uxorem, *Hilarium*, eius uxorem, *Leonem* ... Doctorem *Sebastianum*,[3] *Io. Iacobum*,[4] Dominum *Casparem* in Ptocheio.[5] Datum Vigil. Pasch. 1526.

Vester semper paratissimus famulus *Lucius Tscharnerus.*

Idem scribit ad eundem die Martis post Margarethae de affinium suorum reconciliatione, gratiasque agit, quod Zuinglius hac de caussa ad Berchtoldum Hallerum Bernam scripserit, salutemque sui Episcopi pii aliorumque fratrum nuntiat.

26.

Lucy Tscharner an Zwingli.

Gnad und Fried von Gott. Ehrwürdiger christlicher Herr und Bruder wisset unsere Gesundheit. Gott sey Lob! Solches um Euch und die Euern zu vernehmen wäre mir gar ein sondere grosse Freud. Meine liebe fromme Frau und ich danken Euch am allerhöchsten Euerer grossen Müh und Arbeit, so Ihr um unsertwillen gehabt habt. Der allmächtige Gott gebe Euch den Lohn. Auch soll keine lange Zeit verscheinen: wir wollens Euch beschulden. Ich danke unserm lebendigen Gott, dass er mich als wohl versorget hat mit einer frommen ehrlichen Frau: denn sie mir meine lieben Kinder wohl als lieb hat, als wären sie von Ihr kommen. Ich achte auch, ich thue ihr, was ihr Lieb und Dienst ist. Auch so ist der Herr von Ortenstein, Ludi Tschudi, jetzt vor 3 Wochen zu Bern gsin und in meiner Sach auch gehandelt, mir zu lieb. — Er handelt hernach weiter, wie der alte

---

1) *Ioannes Blasius.* 2) *Comander.* 3) *Hofmeisterus.* 4) *Ammanus.* 5) *Megander.*

Bartholomäus May, sein Schwager Iakob May und dessen Schwester, des Propsts Hausfrau, sich um die Aussöhnung der Anverwandten seiner Frau mit ihm bemühen; und endet also:

Es kommt zu Euch ein frommer christlicher Lehrer, gsyn ein Bischof und Hirt zu Malantz, der geprediget vom Sakrament und der Mess, und nichts anders dann die Wahrheit, und wie unser Bischof predigt auch täglich. Der ist jetzt zumal wider alle Gotts Recht und Billigkeit erkennt von Bünderen aus dem Land. Ich hoff aber zu Gott, es werde nicht lang währen. Da ist mein ernstlich fleissig Bitt an Euch, Ihr wollet ihn brüderlich annehmen, damit er weiter studiren möge. Es ist kein Mangel am Zeitlichen seinethalb. Unser Bischof wird Euch in seinem Brief berichten seines Handels. Grüsset mir treulich Euere Hausfrau, Hilarium, seine Frau, den Löwen — Doktor Baschian, Hs. Iakob, Herrn Caspar im Spital. Dat. in Vigil. Pasch. 1526.

Euer allzeit unterthäniger williger Lucy Tscharner.

Eben dieser schreibt Zwingli Zinst. nach Margaretha 1526 von der Aussöhnung seiner Anverwandten, dankt ihm, dass er desswegen Berchtold Haller zu Bern geschrieben und vermeldet seines frommen Bischofs u. a. Brüder Gruss an ihn.

XXVII.

ZUINGLIUS VADIANO.

Gratia et pax a Deo. Quae apud *Claronenses* suggerenda erunt, mature monuimus,[1] ipsi quoque in id intenti, ut paria fiant inter 4 pagos, quemadmodum prudentissime scripsisti; sed vereor, ne ante Comitia Maia referri possit. Nos hercle stimulis nusquam parcimus. De *Bernensibus* narrabit *Gebentingerus*. Summa responsionis eorum est: Ad *Helvetios* desciscere a nobis nolunt et foedera inviolata custodire simul volunt. Satis responsum est. Videbis hac responsione plurimum incrementi facturum esse Evangelium. Speramus et alia quotidie a *Berna* ad nos reditura esse nihilo utiliora. Fuit hisce diebus apud nos ex *Suevia Cunhardus Hermannus* Minorita, cuius memoriam in Epistola ad *Alb. Rutlingensem* fecimus, qui nunciavit, nostram, imo vero veram de Eucharistia sententiam *Esslingae* ferme ab omnibus accipi, etiam Primatibus et Amphictionibus, qui isthic ius Germanici Imperii nomine reddunt. Quae hoc die cum Scriba nostro[2] acta sunt coram Senatu de Eucharistia, item narrabit *Gebentinger*. Ampliatio bello homini data est ad mensem. Aliarum rerum nihil est, quod Te magnopere referat scire, quam quod vehementer admiramur, non eundem habere spiritum Catabaptistas; apud nos enim non tam crebro moriuntur, atque apud vos. Sed damus hoc vestris propter soli intemperiem. Salutat Te *Leo*, fratres omnes. Tig. 3 Apr. 1526. *Huldricus Zuinglius* tuus.

---

1) In conventu populi, die solis ante primum Maii iussum erat, ut clerus, ni praebendis mulctari velit, nihil praedicet, praeter quod e S. S. sciat probare. Mox autem instinctu quinque pagorum reclinabat paullulo maior pars in pristinum morem. (Tschudi, Chron. Glaron.) 2) *Am Grüt.*

XXVIII.

CAPITO AD ZUINGLIUM.

Gratia Christi Tecum. Frater integerrimime atque fortissime. Iam oblato nuntio, quid ad Te scribam, de subito non occurrit, et est tamen, nisi fallor, de qua re nuper scribendum ad Te visum est. Anabaptista tuus *Wilhelmus* apud nos fuit, homo in speciem perquam honestus et pius, sed non usque adeo fidei adamantinae. Nam quae inter nos domi meae communicavimus, perperam invulgavit. Ter provocatus de Baptismo loqui, oblique de suo dogmate loquendi necessitatem declinavit, et tamen implevit urbem, nos illi concessisse, ac esse confessos probare nos exosum istius dogma: sed dubitare nescio quid. Hac formula loquendi indicavit timore tyrannidis a vero asserendo nos cavere. Indicto inter nos colloquio discedit homo meticulosus, conscio *Zellio* nostro, qui tamen de disputatione nihil scierat, cuius admonitus fuerat per suum hospitem, hominem quavis muliere iracundiorem, atque amantissimum rixarum. Tum impulsi cum illius hospite per triduum egimus, hac tamen conditione, ne acta ederentur: nam alia conditione nobiscum congredi noluit, quem nihil puduit in os convitiorum non iactare. Putavimus omnia esse transacta. Interea fumos iterum spargit. Papistae per ferias pascales publice ausi sunt confessionibus audiendis indulgere. Fuerunt autem duces huius tragoediae turpissimi. Praeterea variis modis irritare vulgum tentarunt. Diligenter enim student in motum aliquem publicum rem deducere. Nos contra tranquillitati studemus, qua melius franguntur. Apud Senatum his diebus agemus. *Stephanus* [1] adhuc captus est, cui literae tuae plurimum profuerunt, et nunc quoque prosunt. Bene speramus. Praesentium latorem de fratribus *Slessiae* audies. Fidelissime referet omnia, et pleraque non ingrata. Vale. IV Apr. a. 1526. Iuvenis apothecarius belle valet et proficit. Afflictae res *Galliarum* Evangelio moram aliquam facient. Dominus tandem suos respiciat!

V. Fabritius Capito.

Tua legimus ad *Billicanum*. [2] Moderatio ista animi tui plurimum habet momenti. Gratia Deo, qui calamum tuum tam apposite moderatur. *Birkheimerus* in *Oecolampadium* scripsit: [3] nam declarare voluit Orbi, quam nihil de signis ac rebus fidei ipse intelligat. Fratres *Slesiae* tecum faciunt, tametsi in forma loquendi paulum variant, cui rei medebitur responsio ad *Billicanum*.

XXIX.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Gratia Christi tecum, mi frater. Probatur mihi stratagema, quo adversarius fatigandus. Acutum quidem telum, et, si esset qui perite

---

1) *Stoer.* (Cfr. Epist. XXI et VII.) 2) „Ad *Theobaldi Billicani* et *Urbani Rhegii* epistolas responsio H. Zuinglii." In extremo: Ex *Tiguro* Kal. Martii MDXXVI. 4o. 3) *Bilib. Pirkhaimeri* de vera Christi carne et vero eius sanguine ad *Ioh. Oekolampadium* responsio. 1526.

ac fortiter in hostem vibraret, valde utile commonstrasti. Nam hoc unum perpetuo habent in ore: Habemus verbum. *Ἔνδυμα τῶν προβατοσχήμων λύκων.* Ferunt ii, qui a *Wittemberga* huc veniunt, *Suevorum Syngramma* in vernaculo sermone denuo illic excudi, una cum expositione *Lutheri* in 6. Cap. Ioh. Venerant autem nuper *Erhardus Hegenwaldus* et *Slesita* quidam. Illum nosti, et olim suis coloribus depinxisti; rediit titulo Doctoris insignitus. Hic vero candidus homo est, et quantum mihi videor, sinceri iudicii; propediem Te inviset, et mira Tibi *περὶ τοῦ γραφομένου* nunciabit. Papistas probe imitari incipiunt. Libros nostros excludunt, ut sui soli legantur, et parte adversa non audita vincant. Ut autem ad hoc, quod dicere volebam, redeam, utile videtur expectare et differre responsionem nostram, donec videamus, quid *Martinus* dederit. Interim fortassis et Disputatio [1] celebrabitur, de qua frequens hic mentio, sed mihi videtur periculosissima. Non quod caussae diffidam, sed quod locus suspectus et minime aptus, praesertim illo tempore, quando confluit licentiosissima hominum turba in Thermas. Nec ignoro fidem et plurimorum animos in nos, qui si veritatem discere voluissent, non exclusissent tanto tempore pios monitores. Ceterum fidendum erit Christo, indicante die consilium, prout gloria Christi exposcet. Ubi certius aliquid de Disputatione cognoveris, fac quamprimum mihi significes. *Basilienses* mei tardius mihi indicant, quod scire in rem meam foret. Nec obticeas, si quid me facere voles. His diebus pascalibus plebs cecinerat Psalmos, sed prohibita a Magistratu. Recreavit Papistarum animos, quos communicantium nobis numerus plane confecerat. Sed gaudebunt ad momentum. Vale. *Bas.* 9. Apr. — Saluta *Pellicanum* cum ceteris fratribus.

Tuus *Oecolampadius.*

XXX.

MICH. VIESTIUS ZUINGLIO.

Gratia et pax a Deo. De Baptismate nuper edocens nihil non roboris adversus Catabaptismum menti vacillanti et dubiae contuleras. Tamen et nunc nescio quid audiam inferri, sane primo adspectu rude et inauditum, verum intus et in cute, vereor, ne fomes lateat, qua arte simplicibus facile imponi est. Tu autem, dummodo inter occupationes poteris, fac plenius intelligam; videbis me ita conaturum, ut huic spiritui ora contundam. Fertur inter quosdam, Scripturam infidelibus, non credentibus, datam, quibus ego hactenus restiti ex Paul. Ro. X. 15. Nihil tamen prodesse possum. Nam tenacem fore episcopum ad Titum habemus, in doctrina, quippe non alias rixosum, sed humanum et iucundum. Visum est Te consulere, ut loca ostendas, quibus edoceri possint scripturam consulendam etiam credenti et iam arrhabone spiritus obsignato. Quosdam audio, qui dicant, se in ceterum non oraturos. Nam spiritus id officii agat. Rom. VIII. Cum enim citra peccatum vivant, Deus in se oret: nam huius spiritus iam omnia agat, quo aut

---

[1]) *Thermis.*

ad orationem, aut ad sermonem ducantur: idem enim agit ille inhabitator spiritus. Hic video tot apertissima loca tantopere reclamare, item et ipsum morem Pauli, quo nunc inter lachrymas, nunc vero in deprecationibus dicit se Rom., Philipp. et ceterorum memorem. Quis talis spiritus, qui non Patrem oraturus sit. Iam renituntur: Coel. Patrem omnia agere citra nostros clamores, qui iuxta praedestinationem agat, non ad nutum orationis nostrae. Verum non diffiteor: si huc deventum esset, ut homo alias ab Adam morbidus iam spiritu citra peccatum (quod isti ganniunt) duceretur, dubium non esset, quin iam idem eademque vellet Deus Deique, hominis huiusce inhabitator, spiritus. Haec me post tuam admonitionem monent, ut hanc rem adeo infidelem, omnique christiano ordini adversam, etsi antea mihi plane persuasissem, hoc acturum esse me, si Deus sinat: nunc plane abhorream. Deus autem omnis sapientiae fons, in quo reconditi sunt huius thesauri, det nobis idem sapere in Christo Iesu Domino nostro. Amen. Ex *Oberglatt.*

Tu de Lege et Evangelio nuper dicebas. Tacitum apud me esset: modo memoria sufferat; verum (quod doleo) elapsum est. Cum autem frugi sit, vellem significares literis.

Michael Viestius tuus.

XXXI.

ZUINGLIUS VIESTIO.

Gratia et pax a Deo. Venit ad nos, mi *Michael*, haec foemina quae quaenam sit, ignoro, vehementer obsecrans, ut Te per literas a Catabaptistis avellam. Cui ego primum constanter negavi quod petebat, subindicans quam multa non ante multos dies tecum super ea re disseruerim; at vicit importunitate sua mulier, ac istas inter meas occupationes extorsit, quibus ego non tantum volo te ab illorum hominum hypocrisi deterrere: nec enim ad hoc satis idoneae sunt aut instructae; quantum foeminae satisfacere, quae te asserit nondum esse retinctum, sed metuendum esse, ne longa istorum hominum consuetudine rapiaris in eorum vesaniam. Quid quaeso multis tecum agerem? Christianus es. Quid ergo Tibi commercii cum his, qui se a Christianis separant? At dicunt: Nos Christiani sumus, ii vero quos creditis Christiani non sunt. Quis oro vobis id indicavit? An cognitores estis cordium ac renum? Quum Christum constanter corde teneant, ore confiteantur, operibus aemulentur, quantum Dominus dat, quur iudicant innocentem fratrem? Quot enim putas myriades esse in Ecclesia Christi, qui vitae sanctimonia, morum probitate, oris parsimonia, praestantissimos Catabaptistarum antecellunt? Attamen ut hoc interim illis donemus, excellere eos sanctitate: quis quaeso spiritus eos docet, mox ut tantillum super alios promoverint, efferri debere? An Christus huius arrogantiae auctor eis adducitur? an Apostoli exemplum praebuerunt? Quae unquam Historiae prodiderunt quosquam ab Ecclesia christianae plebis secessionem fecisse, mox ut paulo meliores essent promiscuo populo? Fecerunt hoc Monachorum factiones, sed numquid propterea meliores erant, quod tanti se aestimarent? Taceo blasphemam Catabaptistarum loquacitatem, quae

omnem omnium maledicorum virulentiam superat, arrogantiam stultam, simulationem pervicacissimam; quid enim non faciunt ut videantur ab hominibus? Deinde facile abstinent magna pars illorum a deliciis, quod ex infima desperabilique plebis colluvie ad hunc portum appulerunt, ut ex obscuritate sua nobilitatem faciant. Quod si eis facultas adsit, Sardanapalos videas ac Heliogabalos ludum ac iocum esse prae istis. Scio *Grebelium*, utcunque peieret, non alia ratione animum a parentibus despondisse, quam quod non suppeditarent, quantum illius licentia postulabat. Vexat mentem humanam, nisi vehementer contra hos impetus ac ventos firmata est, gloriae cupiditas. Eam omnes celant, iuniores tamen paulo infelicius: semper enim deprehenduntur. Quocirca mentis oculos adperi et vide, quid christianum hominem deceat, non quid isti faciant aut loquantur. Cupit haec foemina te in Urbem reducere. Ego operam meam ac fidem tibi semper polliceor. Vale. X. Apr. 1526.

H. Zuinglius.

Inscriptio: Michael Wuestio, amico suo haud vulgari ad manus.

XXXII.

CAPITO ZUINGLIO.

Gratia Christi tecum. Scribis, ut admoneamus, quae in tuis Lucubratt. novissimis mutata vellemus. Id libere praestabimus. Muta nobis hortatoribus animum mutandi: nam argumentis densis ac perspicuis caussam agis absque convitio. Esto talis in posterum. Violenti illi scripturarum tyranni si adoriantur Te convitiis, suo certe impetu frangentur. Certe meliora nescio quo pacto expectarem in tam difficili et odioso argumento. Iterum monemus, tonitrua et saxa rotantibus adversariis Tu lene istud fundere ne cesset. Magnam enim argumenti vim in caussa fidei pacata mens prae se fert, qua Scripturarum firmamenta roborantur. Nos lucem, quia vero nitimur, amamus, illi tenebras, quia auctoritate personata valent, affundunt sedulo. Det Dominus, ut ubique gloriam Dei quaeramus. Victoria Tecum stat, mi *Zuingli*, quia stas a puritate Christianismi, nisi verbum suum a mundo Dominus adimere velit. Grata sunt, quae nuntias de *Bernensibus*. Speramus et reliquos accepturos. Senatus noster his diebus cum Sacerdotibus perfugis clementissime tentavit rem compositam, sed omnino frustra. Caussa pietatis concordiam diremit, cum illi nihil concordiae admittere, quod pietatem resiperet, dignarentur. Ardua minantur, sed vana prorsus. Stultuli enim literis aulicis fulti tantopere ferociunt. Brevi ambient conditiones modo reiectas. *Comes de Hanow* cives nostros arte turbat. Velitationes gliscunt publici belli. Hodie apud Senatum de reliquis Missis antiquandis (5 enim quotidie peraguntur) agemus, eoque paucioribus scribo. *Bucerus* et religionis fratres te salutant, cumprimis *Farellus* et *Gerardus Rufus*, quem nos *Toluinum* nominamus: latere enim voluit. *Heidelbergae* et passim emergunt, qui in Eucharistia carnem quaerere omittunt, *Suevos* cum suo syngrammate die 14 Nothhelfer (bis septem auxiliatores postremae notae) appellant, con-

tumeliae caussa, vel potius ludibrii: nam a nostris abest animus ad iniuriam. *Math. Zellius* nobiscum facit, sed magna tandem difficultate eo perductus est. Sunt, qui coram nobis subscribunt, absentibus amicis aliud affirmant. Cuiusmodi fucos contemnimus, nisi quatenus eis ad commodum Ecclesiae abuti possumus. Vale. Argent. 16. Apr. 1526. *Pellicanum*, *Myconium*, *Leonem Iudae*, et reliquos fratres plurima salute impertior. *Capito* tuus.

XXXIII.

ZUINGLIUS AD SENATUM BERNATUM.

Gratia Vobis et pax a Deo religiosi, graves, conspicui, sapientes, clementes, dilecti Domini! Precor Vos quam instantissime rursus, ut meum responsum ad litteras meis Dominis missas, sed caput meum attingentes, cum seria maturaque consideratione recitari velitis ac perspicere, ut ego nequaquam disputationem abhorream, sed eius appetens concedere locum [1] nequeam; id quod nunc exponere Vobis liceat.

Primo Vestra Sapientia inde exordium capit, quod mei Domini omni occasione obtulerint sese edocendos etc. Omnino vero. Etiam ego semper ad hoc me obtuli offeroque hodie et quam diu vivam. At nemo dicere possit, me spopondisse meam cuiquam praesentiam, quocunque quivis vellet. Sic enim sine dubio me Constantiensi Episcopo praesto esse debebam ad *Gottlieben*, [2] eius mentem et sententiam cognoscendi causa. Hac de re licet nos coram ore Tiguri docere vel scripto, quomodocunque placet, ac nos Tiguri responsum dare, quemadmodum antehac etiam episcopo Constantiensi de Missa et Imaginibus per litteras datum est.

Deinde pollicemini tutum commeatum mihi sociisque meis et cunctis, qui forte citra periculum venturi sint. Ita quidem habent Vestra propria verba. Hic a Vestra Sapientia libet audire, quis tandem cognoscere debeat, quid citra periculum sit, quid non. Annon summi iuris erit octo pagos cognoscere. Tum vero quinque pagi suffragiis praevalebunt. Num hac via non sub potestatem quinque pagorum venirem, atque inde noxa redundaret?

Tertio spondetis Vos tutum commeatum maxima, firmissima, optima forma, quam debetis, potestis et valetis. Haec vestra sunt verba; sed non satis facerent mihi, etsi Thermas ire vellem. Nam scio, quotquot ecclesiae Pontificiae addicti sunt, clamare, me haereticum esse; idcirco mihi non dandum commeatum; aut si unquam detur, ea mente dandum, ut non servetur, sed ut ex arce mea eliciar. Tum cito dictum erit: Non oportet, non licet, non fas est ei: nam est haereticus; quocirca nostrum securitatis promissum ratum haberi nequit.

Quarto hunc demum articulum adiicitis: hac tamen conditione, ut omnes commeatu dignos se praestent; quod quidem communis est moris, ubi nullae sunt insidiae. Sed hoc mihi non sufficeret Thermis. Simulac enim dicturus essem, Papam esse Antichristum, clamor fieret, me commeatu indigna locutum esse; tumque iudicium quinque pagorum sententiis inclinaretur, quod mihi nullis modis aequum est.

---

[1]) *Thermis.* [2]) Sicut *Urbanus Weiss* Fisslisbachensis.

Quinto Vos providere vultis in oppido et comitatu *Badeno*, ut ego cum meis sociis tracter, prout oporteat promissaque exigat itineris securitas. Sin autem secus: annon iudicium penes quinque pagos foret numero plures?

Sexto praefectum Thermis cum viginti vel triginta honestis viris, Tigurum mittendos esse, qui Thermas me deducant; quod eodem redit, quo superiora. Nam ego sub potestatem quinque pagorum redigerer, quemadmodum satis est monstratum. Oppidum et ager Badenus tantum non valeret, ut quispiam e quinque pagis rationem eius haberet. Praeterea nunc non ita egistis, ut antehac Eremi pronuntiatum est. Tum ea rescripta erat sententia, ut si arbitrarer, me tutum non esse, mei Domini numerum militum mecum mittant custodes. Quomodo haec iam consonant? rerum arbitrium penes quinque pagos esse; a Praefecto me deducendum, et: penes Dominos meos esse manu suorum me deducere.

Septimo Vos meorum Dominorum legatos rogastis, ut Vobiscum consideant formamque tuti commeatus quam optime una concipiant. Nulla respondeo forma opus esse. Annon auditis locum mihi iustum non esse. Quid multa? Nusquam locorum comparebo, ubi quinque Pagorum, *Lucernae*, *Uraniae*, *Suitii*, *Transilvaniae*, *Tugii* aliqua est potestas; et si Vos disputationem, ut spero, *Tiguri*, *Bernae*, *Sangallo* locaveritis, tum demum de securitate a quinque Pagis agi patiar, si qua terra eorum ditionis traiicienda foret.

Octavo Vos per has litteras fidem Vestram testificatos esse vultis. Perinde ac si Vestra Sapientia aliquid agat, a quo suum nomen velit cautum esse, vel quomodocunque hoc acceptum vultis. Optimam in partem per me licet. At ego Vestram Sapientiam de hoc scripto meis Dominis ad emendationem subiecto monitos velim: Si ullo modo in fraudem sincerae religionis, quam profiteor, meorum Dominorum ac meam me eum deferret qui disputationem reformidaret, quum locum tantummodo reformidem iis de causis, quae iam sequuntur: ego quoque hoc meum scriptum et proximum, per meorum Dominorum legatos ad Vestram Sapientiam missum, typis excudendum curarem, et quocunque possem, dimitterem, ut vulgo iniquitas cerneretur. Equidem nihil magis expeto quam liberam disputationem, sed ita institutam, ut primo per litteras ad Vos datas declaravi. Iam vero si nolitis locos medios destinare, quorum Vobis optionem feci, sed loci conditione me adducere in suspicionem, quasi mihi metus esset de mea doctrina, cogor utique, tam malam opinionem declinare, atque omnibus arbitrantibus, hac re se laedi, in ius comparebo eius loci, ubi domicilium est meum, nempe *Tiguri*, secundum foedera.

Nono meorum Dominorum caussas, quas aperuerunt, tacetis, ad Vestros quidem Dominos relaturi, veruntamen significantes, eos Vobis omnino non sonticas videri. Primum facite illud! bona fide referte meorum Dominorum causas, quare Thermas me mittere nolint. Tum nullus dubito, Vos tantum hominum piorum reperturos esse, qui probe intelligant, eos rebus honestis, rectis, pacatis operam dare. Deinde benigne meas quoque causas indicate, quae et universae et singulae separatim satis idoneae sunt, non ut disputationem prohibeant, sed ut locum mutent, affatim auditas.

Nullus locus mihi aequus, ubi quinque pagi praedominantur, propterea quod

1. ii, quos dixi pagi me calumniati sunt tamquam haereticum, proscripserunt, meam doctrinam damnarunt, combusserunt, probris me onerarunt, prorsus inaudita causa.

2. Et nunc maxime, dum quoquo versum litteris me designant pro haeretico, deceptore, seditioso, ut Curiam, Rhaetiam inferiorem et aliorsum; quod manifestum praeiudicium.

3. declarant quoque, disputationem sese non ideo decrevisse, ut ab sua vetere fide absistant, sed viam ut anquirant qua Zuinglius ad silentium redigatur. Quod item manifestum praeiudicium. Facile quilibet inde cogitaverit, quae mihi spes ibi, quae fiducia sit, ubi anquiratur via me comprimendi, non ultro citroque rem conferendi.

4. Iidem pagi me prehendi iusserunt contra ius foederale. Qui tandem mihi tutus ab iis esse possit commeatus?

5. Iureiurando sese obstrinxerunt, ut eam fidem insectarentur atque e medio tollerent, quam profiteor.

6. Cum *Fabro* aut *Eccio* prius consilia agitarunt de disputatione, quae neutrius partis esse deberet, idque clam Dominis meis et me. Atqui alter eorum, nempe Eccius, palam dictitavit, nos Confoederatos cunctos esse vultures vitularios; quapropter nostri maiores bellum patrium susceperunt ac Deo iuvante victoriam reportarunt. Quum igitur hos duos Pontificios eminentes, hostes et convitiatores inclitae Confoederationis insuper *praeclaros* appellent, probe cerno, quousque odium mei increverit.

7. Foedissima scripta *Fabri* et *Eccii* libere venire sinunt, atque in Comitiis hinc inde transportant, mea autem responsa nec audire nec videre volunt.

8. Duobus annis abhinc adversus *Eccium* et universos meam mentem aperui, ut nullo pacto nec *Thermas* neque *Lucernam* iturus sim. Nihilominus disputatio inscientibus meis Dominis, scientibus *Fabro* et *Eccio*, eo soli indicta est, quod non aequum esse ante duos annos satis cognorant, unde insidiae et consilia meis Dominis mihique noxia iusta coniectura prospiciuntur. Quarum causarum profecto singulae probae mentis cuique, ut puto, satis magna et idonea videbuntur, nedum cunctae, ad me excusandum non de disputatione, verum de loco, quo meos Dominos ac me vi adigere volunt, quamvis multorum aequorum locorum optionem fecerim, idque tempore.

Has aliasque causas Vobis indicabam, Domini clementes dilecti, ut Vos bona mente commoneam, ne quis Vobis fucum faciat, quasi disputationem averser, non tantummodo locum. Quid tandem refert? Mutetur locus, quo indicavi, et apparebit, disputationem timeam necne. Nam si quid tali loco per *Fabrum* et *Eccium* proponeretur minus christianum: haud sane intactum dimissurus essem. Quare, Domini clementes, dilecti! per Deum Vos obsecro, sollicite consideretis, quae ad pacem conducant, non quae fraudi sint nobis. Quoniam tot insidiae struuntur, equidem prorsus non in rem ingrediar coecam. In sponsione denique Vestra securitatis tria potissima plane desiderantur: ut sola

Sacra Scriptura fons et fundus habeatur; ut nemo iudex verbo Dei imponatur; ut de omnibus momentis nunc praecipue controversis libere, aperte, nullo interdicente disputare liceat. Itaque loco quamvis decreto etiam necesse erit haec diligenter constituantur. Sed postremo nec de commeatu nec de articulis agere attinet, si disputationem Thermis haberi obstinatum sit. Thermas non veniam. Etiam etiamque considerate, quam cito turbae exortae fuerint, et quam aegre sedentur, nobisque Pontificios merito suspectos et Curtisanos, quos etiam Confoederati communi consilio procul esse iusserunt, eius praesertim generis, cuius *Eccius* et *Faber*. Deus nobis impertiat gratiam et concordiam pro sua voluntate! Amen. Confidite mihi omni ex parte, ut uni probissimorum Christianorum et Confoederatorum confidere aequum est. Tiguri, die 16. Aprilis. MDXXVI.

33.

Zwingli an den Rath von Bern.

Gnad und Fried von Gott bevor, fromme, feste, ehrsame, weise, gnädige liebe Herren. Ich bitt Euch aber zum allertrungenlichsten, Ihr wollet meine Antwort Euch auf die Schrift, Meinen Herren zugeschickt, aber mich antreffend, mit Ernst und reifer Betrachtung vorlesen lassen, und ermessen, dass ich keineswegs wider, sondern an einer Disputation bin, aber den Platz keineswegs erleiden mag, als ich Euch jetzt in der Antwort berichten will.

Erstlich nimmt Euer Weisheit für einen Eingang, wie sich Meine Herren allweg entboten haben, sich berichten zu lassen etc. Ist wahr. Ich hab mich dessen auch allweg entboten, und entbiete michs noch heut bei Tag und dieweil ich lebe. Aber niemand kann sagen, dass sich jemand entboten habe, wohin ein jeder wolle, oder aber ich müsste ohne Zweifel dem Bischof von Konstanz auf Gottlieben seiner Bericht losen. Hierum kann man uns wohl mündlich zu Zürich berichten, oder mit Schrift wo man will, und wir zu Zürich Antwort geben, wie dann vormal auch dem Bischof von Konstanz von der Mess und Bilder wegen Antwort in Schrift gegeben ist.

Demnach entbietet Ihr Euch des Gleits auf mich, meine Mithaften und Alle, so ungefährlicher Weise mit mir kommen. Also lauten Euere eigenen Worte. Hie will ich gern von E. W. hören, wer doch erkennen müsse, welches ungefährlicher Weise sey oder nicht. Ist nicht das allerbilligste, die 8 Orte darum erkennen? Und da mögen die 5 Orte allweg das Mehr haben. Käm' ich aber nicht solchen Weg unter die Gewalt der 5 Orte? Und demnach folgte Unrath daraus.

Zum dritten entbietet Ihr Euch Geleits, in der höchsten, kräftigsten und besten Form, so wir thun sollen, können und mögen. Also stehen Euere Worte. Diese Worte thäten mir nicht genug, ob ich gleich gen Baden wollte. Ursache: Ich weiss, dass alle, so des Papstes Kirche anhangen, schreyen, ich sey ein Ketzer; deshalb soll man mir nicht Geleit geben. Wo man mirs aber je gebe, solle man es darum thun, dass man es nicht halte, sondern mich aus der Gewahr-

same damit bringe. Dann wäre gar bald gesprochen: Man soll, man kann und mag ihm nicht Gleit geben: denn er ist ein Ketzer; desshalb unser Gleit geben nicht Kraft haben mag.

Zum 4ten thut Ihr auch erst diesen Punkten darzu: Doch mit dem Anhang, dass sich jedermann gleitlich halten soll. Welches zwar ein gemeiner Artikel ist, wo nicht Gefahr ist. Aber mir wäre er gar nicht genug zu Baden. Denn sobald ich nun reden müsste: der Papst ist der Antichrist, würde über mich geschruwen, ich hätte ungleitlich geredet; und wurde demnach Erkanntnuss darum in der 5 Orten Mehr stehen, das mir allweg ungemein ist.

Zum 5ten wollet Ihr verschen in der Stadt und Grafschaft Baden, dass ich sammt meinen Mithaften gebührlich und gleitlich gehalten werde. Antwort: Wo aber das nicht beschähe, stünde es nicht aber in Erkanntnuss und Mehr der 5 Orte?

Zum 6ten soll der Landvogt zu Baden mit 20 oder 30 redlichen frommen Mannen gen Zürich geschickt werden, dass sie mich dannen gen Baden begleiten. Gilt gleich als viel als vor: denn ich käme in Gewalt der 5 Orten, wie genug ist angezeigt. Stadt und Landschaft Baden vermöchte nicht soviel, dass ein einiger aus den 5 Orten etwas um sie gäbe. Dazu habet Ihr jetzt nicht gehandelt, wie vormal verabscheidet ist zu Einsiedeln. Da stund im Abscheid eine solche Meinung, dass wo ich nicht vermeinte sicher zu seyn, möchten Meine Herren eine Zahl Knechte mit mir schicken, die mich bewahrten. Wie siehts nun zusammen? Die Mässigung der Dinge soll an den 5 Orten stehen, auch soll mich der Landvogt begleiten — und Meine Herren mögen mich mit ihren Knechten begleiten?

Zum 7ten habet Ihr Mr. Hrn. Boten gebeten: dass sie mit Euch niedersitzen, und eine Form des Gleits zum allerbesten mit Euch setzen. Antwort: Es bedarf gar keiner Form; höret Ihr nicht, dass mir der Platz nicht gemein ist? Kurz mit offenen Worten: Ich will an keinen Ort noch End, da die 5 Orte, Luzern, Uri, Schweiz, Unterwalden, Zug einigen Gewalt mögen haben. Und ob Ihr die Disputation als ich hoffe, gen Zürich, Bern oder St. Gallen legtet, will ich denn erst lassen von Versicherung vor den Orten reden, wo ich durch ihr Gebiet fahren müsste.

Zum 8ten wollet Ihr Euch in Kraft dieses Briefs bezeugt haben. Gleich als ob Euer Weisheit etwas vor Ihr habe, vor dem sie Ihre Ehre wolle bewahrt haben; oder wie Ihr das wollet meinen bestes Verstands: lass ich bleiben. Ich will aber Euer Weisheit hie mit dieser Schrift auch gern, mit Verbesserung meiner Herren, gewarnt haben: sollte die einigen Weg zum Nachtheil dem wahren Gotteswort, das ich lehre, und meinen Herren und mir, mich dafür wollen ausgeben, sam ich die Disputation geschohen, so ich doch allein den Platz scheuhe, aus Ursachen wie jetzt kommen wird, so wollte auch ich diese meine Schrift, und die nächsten bey Meiner Herren Boten Euer Weisheit überschickt, im Druck lassen ausgehen und allenthalben hin, wo ich möchte, verordnen, damit männiglich sehen möchte, was der Unglimpf

sey. Ich bin keines Dings gieriger, dann einer freyen Disputation, doch mit denen Gestalten, wie ich erstlich in der Schrift an Euch hab lassen langen. So nun Ihr die nicht wollt an gemeine Orte legen, die ich Euch vorgeschlagen, sondern mich mit dem Platz verdacht machen, sam ich mir bey meiner Lehre fürchte, werde ich je genöthigt, solchen argen Wahn abzulehnen und biete hierin allen, die sich damit wollten meinen verletzt werden, Recht in dem Ort, da ich gesessen bin, nemlich Zürich, nach Inhalt der Bünde.

Zum 9ten lasset Ihr Meiner Herren Ursach, die sie angezeigt haben, seyn, wollet die an Euere Herren bringen, doch so bedünken sie Euch weder Statt noch Fug haben. Für das Erste. Thuts; zeiget Meiner Herren Ursach getreulich an, darum sie mich nicht gen Baden schicken wollen! so habe ich keinen Zweifel, Ihr werdet viel frommer Leuten finden, die wohl sehen werden, dass sie mit redlichen, wahrhaften, friedlichen Dingen umgehen. Fürs ander, so thut so wohl, und zeiget auch meine Ursachen an, die alle und jede insonders stark genug sind, nicht, die Disputation zu hindern, sondern den Platz zu verändern, wie oft genug gehört. Und sind diess die Ursachen:

1. Kein Platz ist mir gemein, da die fünf Orte obern Gewalt haben.
2. Dann die genannten Orte haben mich einen Ketzer gescholten, ausgeschrieben, meine Lehre verworfen, brennt, mich geschmäht, vor Verhörung aller Dinge.
3. Und jetzt in Mitten dem schreiben sie mich allenthalben hin für einen Ketzerischen, Verführerischen, Aufrührerischen etc. aus, als gen Chur, unter Bündt und anderswohin beschehen. Ist ein offen Vorgericht.
4. Bezeugen sich auch, die Disputation nicht darum angeschlagen haben, dass sie von Ihrem alten Glauben stehen, sondern Weg suchen wollen, durch die sie den Zwingli geschweigen. Ist auch ein offen Vorgericht. Mag auch ein jeder gedenken, was mir da zu hoffen und vertrauen sey, da man Weg suchen will, mich zu geschweigen, und nicht Bericht zu geben oder zu nehmen.
5. Haben mich genannte Orte empfohlen anzunehmen, das doch wider die Bünde ist. Wie sollt' ich mich denn im Gleit an Sie lassen?
6. Haben die genannten Orte sich bey ihren Eiden verbunden, den Glauben zu durchächten, und vehen, den ich predige.
7. Haben sie mit Faber und Ecken erstlich Anschläge gethan von der Disputation wegen, die doch unpartheyisch seyn sollte, und das hinter Meinen Herren und mir. Und hat aber deren einer, nemlich Eck, öffentlich geredet, wir Eidgenossen seyen alle Kuhgeier; darum unsere Vordern Landskrieg angehebt und mit Gottes Hilf gesiegt haben. So sie nun die zwey grossen Päpstler, Feind und Schälker einer Lobl. Eidgenossschaft erst zu dem allem die Hochberühmten etc. nennen, seh ich wohl, wie veer der Hass über mich gewachsen ist.
8. Lassen sie die schändlichsten Schriften Fabers und Ecken frey wider mich feil haben, fergen auch die auf den Tagen hin und wieder, und meine Antworten wollen sie weder hören noch sehen.
9. Hab' ich mich vor 2 Iahren gegen Eck und männiglich aufgethan,

dass ich keineswegs weder gen Baden noch Luzern wolle. Noch so ist die Disputation wider Meiner Herren Wissen, und mit Wissen Fabers und Ecken, an den Platz gelegt, den man vor 2 Iahren wohl verstanden hat ungemein seyn; daraus Aufsatz und Rathschlag zu Nachtheil Meiner Herren und mir billig ermessen wird. Ia dieser Ursachen ist eine jede besonders, vor einem jeden Frommen, als ich hoffe, gross und rechtmässig genug, ich geschweige all miteinander, mich zu entschuldigen, nicht der Disputation, sondern des Platzes, den man Meinen Herren nnd mir mit Gewalt auftrechen will, so doch ich viel die gemeinern Plätze fürgeschlagen habe, und das bey guter Zeit.

Die und andere Ursachen zeige ich Euch, gnädige liebe Herren an, dass ich Euch guter Meinung warne, dass mich niemand fürgebe, als ob ich die Disputation entsitze, sondern allein den Platz. Was liegt denn daran? ändere man den Platz, in die ich hab angezeigt, so wird man sehen, ob ich die Disputation fürchte oder nicht. Denn wo etwas in solchen dureh Faber und Ecken sollte fürgebracht werden, das nicht christlich seyn, würde ich keineswegs unwiderstritten lassen. Hierum gnädige liebe Herren wollet um Gottes willen ernstlich betrachten, was zu Frieden, nicht was zu Nachtheil uns dient. Ich werde schlechtlich, da so viel Aufsatzes ist, in keine blinde Sache nicht gehen. Es sind auch allweg in Euerm Geleit die 3 treffenlichsten Punkten ausgelassen: dass allein biblische Schrift der Brunn und Grund seyn solle; dass man keinen Richter über Gottes Wort setzen wolle; und von allen Artikeln, die jetzt treffenlich im Span stehen, frey, unverholen, auch ohne Einrede, disputiren wolle. Desshalb ob gleich der Platz geordnet, würde auch noth seyn, die Dinge eigentlich zu bestimmen. Aber endlich darf es weder von Gleit noch Artikeln zu reden, wenn man die Disputation überein zu Baden haben will. Ich will nicht Baden. Betrachtet allweg hiebey, wie so bald Unruhe entstanden, und so schwerlich hingenommen wird, und dass uns die Päpstler billig argwöhnig sollen seyn, und Curtisanen, die auch gemeine Eidgenossen abgestellt haben, voraus die ab der Art dann Eck und Faber sind. Gott sende uns Gnade und Einigkeit nach seinem Willen. Amen. Versehet Euch allweg zu mir, als zu einem getreusten Christen und Eidgenossen zu versehen ist. Geben Zürich 16 Tag April 1526.

XXXIV.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Gratia et pax a Christo, dilecte frater. De disputatione habenda nondum certior factus sum. Tu, si potes commode, significa, et consilium communica. Amici omnes dolos suspicantur et pietatis remoras, quas aliqua ex parte videre licet. Heri in Bibliopoliis conspexi locos communes *Eccii*, in quibus determinat, non esse disputandum cum *Luthero* et *Lutheranis*, adductis in hoc ridiculis rationibus. Sanxerat autem eximius ille M. N.[1] haereticos comburendos. Ex hoc apparet,

1) Magister noster.

quo candore disputare nobiscum petiverit simplex homo, quos nondum victos terhaereticos vocat. *Pirkeimeri* stultum libellum mitto, quem os Concionatorum *Norimbergensium* existimo, quibus tamen eum ex animo favere non crediderim. Coepi respondere personato amico. Poteris et Tu indicare, si vacabit tam inepta legere, in quo urgendum censeas. Cavet satis, ne tecum confligat. Opportune taxabuntur, qui nostros libellos apud se divendi non patientur. Quid si ita Domino placuisset, per tales adversarios aperire verbo suo fenestram? *Pellicanum* saluta et uxorem tuam atque religionis fratres. Vale. *Basil.* 19 Apr.

Tuus *Oecolampadius.*

Pellicano dic, *Adamum Petri* nondum mihi loquutum.

XXXV.

ZUINGLIUS VADIANO.

Gratia et pax a Deo. Sub ipsam horam, qua literas abs te accipiebam, Cl. *Vadiane*, absolvebatur haec nobis ad omnes epistola, quam tamen permissu Senatus, qui eam prius inaudiit, evulgavi. [1] Ringentur isti, ac ultima comminabuntur; at frustra. Mitte ergo reliqua exemplaria *Abtzellam.* Consilium tuum ac *Hessii* mox retuli ad Consulem *Roestium*; is se dixit, de eo cogitaturum ac ad 25 d. Aprilis, si videatur, relaturum. Non dubito, quin referat, neque etiam dubito, quin aut legatione aut literis aliquid agatur. *Baden* etiamsi vellem, non permitteret *populus Tigurinus.* Aegre tulerunt multa Senatus pars, quod me *Bernam* aut *S. Gallum* obtuli iturum esse. Videtur et vobis congruere, ut *Pagis* adversariis quid simile respondeatis: Fuisse vos semper in Disputationibus *Tiguri;* ibi satis doctos esse, nec habere opus latiore Disputatione etc. etc. nisi alius locus eligatur. De *Laurentio Badensi* nesciveram; percontabor omnia, et amicos *Bernenses* commonefaciam. *Curonae* spero, Evangelium propediem melius habiturum. De ea re quam nuper volebas, iterum monui; spero et meos ad comitia Maia venturos. Qui Legatus fuit in eo Conventu *Eremi*, quo furor iste exputus est in viciniam vestram atque vos, negat strenue se quicquam scire, nedum adsensisse. *Meltingerus*, Consul *Basiliensis*, dixit ad *Roestium* nostrum, cum nuperrime *Eremi* fuerunt: Si *Zuinglius* non veniet *Baden*, vereor neque *Oecolampadium* venturum esse. Est enim non usque adeo aequus Evangelio *Meltingerus.* [2] Equidem spero, tam *Abtzellanos*, quam vos in hanc sententiam ituros, ut si omnino disputandum sit, aliquis ex nostris locis huic operi destinetur. Id cum aliquot alios quoque pagos non dubitamus facturos esse, fiet, ut quod isti in praeiudicium Evangelii statuerant, ad incrementum cedat. Scripsi hic Episcopo *Herisoae.* Obsecro, ut,

---

1) *Huldrici Zuinglii* ad XII. Helvetiorum pagos omnesque foederis eiusdem socios de Badensi disputatione Maio mense inchoanda epistola, data die 21. April. 1526. 1 ½. arcus in Quarto. 2) *Meltinger*, consul, prohibebat reformationem omnibus modis, remque ad ultima profligavit, ita ut civitas reformationem 1529. vi extorqueret, ipse ex urbe aufugeret.

quae literis adiuncta vides, certum aliquem tabellionem nactus, cum datur, ad hominem transmittas. *Comes Hanoviensis* duriter suos habet. Ea res compulit quemdam bonum ac opulentum paganum civitatem *Argentorati* emere, id quod ei per leges licebat; cumque id Comiti indicaret, eiusque imperio renunciaret, in carcerem ab eo coniectus est. Quod ubi resciverunt *Argentoratenses*, 800 milites, equites 100 cum machinis 8 emiserunt. Comes elapsus est arce, novus homo *Argentoratum* reductus, ac in ipso triumpho supra maximam bombardam per urbem circumductus. *Heidelbergae* incipiunt, qui Christum praedicant, videre, quid sit Eucharistia. Haec ex *Capitonis* literis. Probantur fratribus, quae contra *Suevos*, *Billicanum*, *Regium*, quaeque recens de Eucharistia germanice scripsimus *Oecolampadius* et ego. *Bircheimero Noricorum* Consuli respondebit *Oecolampadius*, in quem nominatim scripsit. *Eccius* quosdam locos explicuit communes, ut arbitror, *Melanchthonem* imitatus, misere tamen, in quibus admonet, *Lutherum* ac *Lutheranorum* genus, non disputatione, sed igni, ferro, laqueisque superandum esse. Vide quo tendat Nostrorum consilium. *Oecolampadius* vidit librum. Vale, ac, ut soles, vigila. *Tig.* 22 Apr. 1526.

Huldrychus Zuinglius.

XXXVI.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Gratia Christi tecum. Confortemur in Domino, frater dilecte, qui suos in aeternum non derelinquet. Videmus enim insanientem mundum, et organa Satanae liberrime saevientia, nimirum ut Christus vincat gloriosius. — Amicis nequaquam consultum videtur, ut aliquid coram Senatu agam, non accersitus; eo quod aliquanta eius pars faciem meam fert aegerrime, id quod referre pudet. Deinde, si quid edidero, innocentiae et modestiae nostrae praeiudicaturum censent. Existimabimur enim compositis fraudibus manus iungere; omnia enim in pessimam partem interpretabuntur, etiam quae sanctissima. Maxime impedit, quod *Basileenses* severissime prohibuere, ne quid ad *Helvetios* referrem, nomen eorum vel minimo digito attingens; atque adeo, si vel gratiosos Dominos *Basileenses* dixerim, periculo cariturum non est. Nondum vel verbum de disputatione mihi significarunt, plerique nullam exspectant. Inimici plurimum gloriantur *ἐπινίκιον πρὸ μάχης ἄδοντες*. Quid arrogantius Epistola *Fabri*? [1] Quid mendaciis unquam fuit plenius? Ea, vereor, ne minus tempestive ad Te perferatur; propterea, exemplar impressum cuiusdam Canonici, clam communicatum mihi, curavi, per tres, intra duas horas, describi, ut si nondum acceperis, cures tam impudentia mendacia Senatui indicari: nam ex illis fraus maxime manifestatur. Non ausim credere, tantam licentiam mentiendi unquam fuisse. Si haec impudentia coram Senatu Tuo legetur, confirmabitur ille spero. Ceterum in causa *Eccii* scribo Epistolam ad *Pellicanum*. Eam in vernaculum versam, si placet, cura invulgari. [2] Non detrecto

---

1) Epistola *Fabri* ad *Zuinglium* 16. Apr. 1526. 2) Non evenit.

enim *συγκινδυνεύειν*, sed non videtur mihi consultum. Non est mihi animus eundi *Baden*, nisi vis quaedam illuc cogat. *Tigurum*, *Bernam* et *Sanctum Gallum* accedere non dedignabor, ubi constiterint conditiones quas proponis. — Dominum precamur, ut suo negotio adsit. Vale. XXIV. Aprilis 1526.

Tuus *Oecolampadius*.

XXXVII.

N. MAGISTRO HULDRICO ZUINGLIO. [1]

Domine dilecte gratiose! Unus amicorum meorum bonorum a me petivit, ut Vobis facinus Vicarii *Fabri* scripto enarrem, quod Lindoviae, quum parochus ibi ecclesiam ipse administrabat, commisit. Eo igitur monialibus quoque operam dante peccata confessuris, accessit una earum non vilissima illa quidem, sed honestis parentibus nata. Quomodo aut quid ex ea compererit, mitto; captam utcunque diutius tenuit et induxit feminam, ut multum pecuniae commodaret adeoque suas torques aureas pro eo oppigneraret. Ubi vero sui taedio et satietate affectum virum sensit, redditam volebat pecuniam; ille autem deridere et quasi stultulam circumagitare, quod tandem merito dolens probum civem invocavit, ut cum fraudatore ageret in hunc modum: si non ei sua restitueret, se suum honorem pro eius expositurum esse, suisque fratribus et cognatis acceptam iniuriam conquesturum; citius enim quam isti nebuloni haec remitteret, quum talem culpam ex eo susceptam haberet, ipsam se lusum totum cum eo profligare ac prorsus conficere velle, eumque auxilio cognatorum, ut hominem perfidum et flagitiosum, exterminare finibus vel adeo trucidare. Haec tum civis ille probus, e quo ipsemet audivi, animose et vehementer Fabro denuntiavit omnibusque eum convitiis proscidit; qua ratione compulsus debitam dissolvit pecuniam, ac reddidit torques et ornamenta. Unde divinum spiritum eius et sanctitatem cognoscere licet, ac pro columna episcopatus, praesidio ecclesiae et expiatore septem peccatorum mortiferorum existimari talis debet. Ad haec ego ipse *Lindoviae* degebam, quum eodem pauper tiro et Bacchans venit, ac saepius audivi praedicare et loqui: si quis sacerdos plus unam praebendam habeat, eum non magis tuendum esse, quam virum plus una uxore utentem. Quod multi ex ipso audierunt et ego Lindoviae multos indicare possum, a quibus propterea quotidie adhuc male audit, turpem hominem et mendacem eum iudicantibus, qualis est profecto satis superque spectatus. Nomen huius feminae, si scire lubet, ab *Ioanne Klotero* facile comperietis. Attamen oro per fidem vestram, rem pro arcana habeatis et silentio sacro commissa, ut nec bonae feminae, quae sine dubio inprimis honesta, omnibusque hominibus iucunda et grata, neque mihi incommodum inde ac nemini offensa nascatur. Nec vero hoc de eo scripsissem; quoniam vero tam impie ac obstinate contra sanctum evangelium ac verbum Dei citra ullum metum ac pudorem

---

[1]) Haec epistola cum XLI—XLIII et LI non tanti videbatur, ut gemino sermone in lucem prodirent.

pugnat, si quam opem ferre possem ei cum suis asseclis opprimendo ac delendo, tamquam Turcae, bona, credo, cum conscientia nullaque, religione impeditus, nihil omissurus essem.

XXXVIII.

ZUINGLIUS VADIANO.

Gratia et pax per Christum. Hoc scribere possum, per occupationes me nihil posse scribere. Capita haec accipe: *Faber* scripsit adversus priorem epistolam meam, qua profectionem ad *Baden* nego. Ibi hominem longe magis ludicre accipio, quam prius unquam. *Clarona* praedicatum vult Evangelium. Si quis episcopus legem eam contempserit, in exilium relegator nisi veniam petat, quae una tantum vice dabitur. Contra vim Evangelii nec sibi praecipi quicquam patientur, nec aliis praecipient. Si Disputatio *Badensis* quid pariat, quod verbo Domini repugnet, non vult populus quicquam de illo vel rogari vel praecipi. Foedera omnibus ex fide custodient. Si *Tiguro*, vel cuiquam pago vis fiat, ei auxilium praestabunt, qui vim passus est. In provinciis iudicandis hoc servabunt, ut ubicunque *Tigurini* non adsidebunt, nec ipsi adsideant. En tibi quod sudavimus! *Fridol. Beldius* vir supra modum sagax et eloquens consilium dedit; difficulter vicit haec sententia, XX tantum votis. Rumpuntur *Madii*,[1] *Tschudii*,[2] et id genus auri voragines. Minantur nova Comitia, sed nequicquam; si modo Deus pergit esse Deus, quomodo hactenus fuit. Custodiat vos Dominus a malo. Senatus noster negat me Disputationi *Badensi*. Ipse liberam sed blandam Epistolam scripsi ad haec Comitia. *Lucerna* ista, quae paulo minus quam tenebrae lucet, audax est et praeterea nihil. Saluta amicos omnes. Si quid novarum rerum rescietis, meo sumtu transmittite; nunc enim vigilandum est, ne somniculosis aliquid incommodi obrepat. Vale per Christum Iesum Dominum Nostrum. XI Maii 1526.[3]

H. Zuinglius tuus.

Libellos istos amicis distribue! varii sunt, nec idem genus omnibus missum.

XXXIX.

CASPARUS CHURRERUS[4] ZUINGLIO.

Οὐλδερίχῳ τῷ Ζουιγλίῳ σου.

Τεθαυμακέ ποτε ὁ Παῦλος, ὅτι οἱ Γαλάται οὕτως ταχέως μετετέθεντο

---

[1]) *Marcus Madius*, Praetor, praesidium Catholicorum inter Glaronenses. Sept. 1525 legatus Tigurum ivit, abrogationem reformationis postulatum. Obiit 6. Sept. 1526. Successit in eius locum *Io. Aeblius*, Zuinglio filii compater. [2]) De *Ludovici Tschudii*, maioris, filiis Fridolinus, Ludovicus, iunior; Meinradus, Aegidius Historicus, Iustus, Melchior, militiam Gallicam tulerant, duo praetores, seniores, *Henricus* et *Iustus*, adversarii reformationis, ex 1525. demortui erant. [3]) Vid. supra epist. XXXV. N. 1. [4]) In Actis disputationis Thermopolitanae occurrit Magister Caspar *Turrerius* Graecus pro *Churrerius*. Sine dubio unum mendorum typographicorum, quibus illa acta scatent.

ἀπὸ τοῦ καλέσαντος τοῦ Χριστοῦ εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον, ὅυς τινες ἀσεβεῖς προφῆται ἐτάρασσον, ὧν μὲν μία μελέτη ἐστὶν ἰδίαις παραδόσεσι, ἄνευ πάσης ἐυσεβείας, ἐξαπορεῖν τὸν λόγον ἁγίου τοῦ θεοῦ ἡμῶν καὶ τοῦ Χριστοῦ. Ὅσον μὲν οὖν ἡμεῖς καὶ σήμερον ὀδύρεσθαι ζήλῳ τοῦ Χριστοῦ δυνάμεθα, εἴ τις ἐστὶ πίστις ἔτι ἀγλαὰ τοῖς ἀνθρώποις, καὶ νοῦς ὁ ἀγαθός τε καλός τε, ἐλθεῖν τινας τούτοις τοῖς χρόνοις ἡμῶν, οἳ μὲν πάσην τὴν τοῦ Χριστιανισμοῦ εὐσέβειαν ἀποφέρουσι, οἵ τε οὐ πάρεργον εἶναι οἴονται, ὅτε τὰς ψυχάς τινων ἀνθρώπων, τῶν Χριστιανῶν, πολλοῖς καὶ ποικίλοις ἀιόλοις τοῖς τοῦ διαβόλου δεσμοῖς δεσμοῦσι. Μάλιςα δὲ τοῦτο γίνεσθαι ὁρῶμεν ἔκ τῆς τῶν γλωττῶν τινῶν τῶν ξενικῶν αἰθρίας, περὶ ὧν ὅμως θαυμαστῶς μεγαλορρήμονοῦσι κομποφακελορρήμονες οἱ θεολάλοι. Οὐδένα δὲ ὑμῶν δὴ νῦν κρίναι βούλομαι, ἀλλὰ μᾶλλον παρακαλεῖσθαι, ὥσπερ ἀδελφὸς τῷ ἀδελφῷ ποιεῖν εἴωθε. Εὕρηκα δὲ ἀνέδην ἐν τοῖς βίβλοις διαμαρτηκέναι σε περὶ τῆς φράσεως ἑλληνικῆς, πόθεν καὶ τῶν ἄλλων ψυχαὶ ὀλέκονται, καὶ τοῦ θανάτου διαλέγχονται. Τοῦτο καθελεῖν δεῖ τοὺς πάντας, ὅσοι Χριστὸν ἀπαξόμεθα. Ἡ γὰρ ἀτασθαλία ἐστὶ καὶ βλασφημία κατὰ πνεύματος τοῦ ἁγίου, ἣ μὲν οὐκ ἀφεθήσεταί τινι ὄυτε ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι, ὄυτε ἐν τῷ μέλλοντι, καὶ τόσον ἔγὼ μισῶ αὕτην τὴν ἀσέβειάν σου διὰ Χριστὸν, ὅσον ἀπωτάτω πλαγκτὴ ἀπὸ τῆς ἀληθείας τοῦ Χριστοῦ καὶ πνεύματος. Παρακαλῶ σε τοιγαροῦν διὰ τῆς ἐπιεικείας τοῦ Ἰησοῦ, μὴ τοσοῦτο φοβερὸν διὰ Χριστὸν καὶ τὴν ἀλήθειαν αὐτοῦ ἁμαρτίαν σου γινώσκεσθαι, καὶ μετανοεῖν περὶ τῆς ἀνοίας σου· ἐκεῖνος γὰρ ἡμῶν εἵνεκα τέθνηκε, ἀλλὰ παραγίνου ἀσφαλής. Ἡμεῖς γὰρ παρόντες θείαν τὴν ἀλήθειαν τῆς ἁγίας γραφῆς ἄλληλοι ἐπιζητήσομεν ἐκ τῆς φράσεως ἑλληνικῆς, καὶ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ βουλήματα εὐδοκήσομεν τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποις. Καὶ ὁ θεὸς τούτοις ἡμῶν παρέστω. Ἀμήν. Ἐρρωσο. Ἐκ τῆς Βάδεν Ἑλουετίων.

Κασπαρος ὁ Χουρρήριος.

XL.

SALANDRONIUS ZUINGLIO.

Pax Domini tecum. Paucis scribo ad te, doctissime mi Ulrice! nam magna et plura nobiscum egit Dominus in proxima Diaeta in *Davaas*, quae omnia tibi singulatim referre nuncius ille potest, *Blasius* frater noster, qui non satis fidem, pietatem et humanitatem vestram apud nos extollere potest. Tandem ius impetravit ita, ut si qui quid quaestionis contra eum movere voluerint, appareant apud Iudices constitutos in *Maienfeld*, etiam aliorum, non suis, expensis et gratia ordinatos. Speramus tamen neminem appariturum aut apparuisse. Nam ista hebdomada data est ad audiendum. *Philippo* [1] officium praedicandi et patria ademta iterum adiudicata. Tota liga neminem ad *Thermas Diocletianas* mittet. Ob hoc insaniunt Papistae. Verbum Dei magis atque magis incrementum et amorem apud nos habet. Christi res iamiam omnino tuta. In omnibus proximum *Cacabus* cum sua fece succubuit. Det Deus, diu iaceant victi. Nos sedulo monemus fratres

1) *Gallitio.*

ut coelestem orent patrem, ne quid sinistri aut fraudis contingat *Oecolampadio* et *Berchtoldo*, quos futurae disperditioni *Badensi* adesse audimus. Velit Christus sua gratia piissimis mentibus adesse sua virtute, ut cum gloria verbi sui redeant. Amen. Salutant te *Comander*, *Lucius* [1] et ceteri fratres. Si quid editurus est *Sebastianus* [2] contra *Cacabum* aut Scurram *Christizanum Berre*, fac sciam: nam sunt apud me multa, quae ad rem facerent, quae transmittam. Vale et vive in Christo Iesu doctissime mi Ulrice, et fratres omnes nostro nomine salutato. XV Maii 1526.

Salandronius, tuus.

XLI.

IACOBUS SALANDRONIUS ZUINGLIO.

Mi frater amice, dilecte Huldrice! Hac ipsa hora rem comperi, quam Tua opinor referre, quum Faber postremo libello minatur postremam responsionem transferre in quendam iuvenem, eumque doctum linguarum. Est adolescens *Emsa* oriundus, *balneo sulfurato*, cui frater, nunc Camerarius Capituli cisrhenani, *Roschachensis*, Magister *Guilielmus*, pastor *Montigali* sive *Oberriet*, inimicus veritatis et hospes vulpeculae, ex Abbatiscella expulsae. Is hunc *Iacobum* Lipsiae et Vitebergae doctrinis erudiendum curavit, magnopere confidentem, belle succinctum, despicientem, intemperantem, gloriosum, scortatorem et potatorem, vehementem hostem et convitiatorem Helvetiorum, ut loquuntur de isto, qui una Vitebergae fuerunt; atque ego plenius percontabor. Hoc postremo Quadragesimali annus praeteriit, ex quo compulsus a fratre inaugurandum se dedit, atque in examinibus loquacitate sua tantum honorem obtinuit. Nam proterve *Lutherum* convitiari audebat atque etiam praeceptorem suum *Philippum* traducere, a quibus propter suam nequitiam orisque impudentiam non ita praeferebatur fortasse talisque habebatur, qualem semet ipse habet. Forte fortuna Abbas a Clivo S. Lucii interfuit examini et recepit eum illic ludimagistrum, ac postero tempore procuratorem Consistorii, faciendum. Hoc Iacobus amplexus coepit graece et hebraice legere, nec ita inscite, quantum nos quidem intelleximus. Ego et Comander non audivimus. Ego noram eum Proteum ac nugigerulum; intemperans linguae est et qualis est, talem se praebet, vita et doctrina impiissime, ita ut eum Abbas ipse tandem abdicaverit. Nuper demum lecturam *Tubingae* obtinuit, ac longa epistola sollicitatus est ac precibus flagitatus, ut Thermas veniret in partem triumphi ab Haereticis reportandi. Haec epistola ad Abbatem aedis S. Lucii missa et lecta est ab *Io. Brussoli*, qui mihi narravit in praesens, et si ludimagister fit Abbatis, ut opinor, videbo, ut hoc et alia per eum exscribere liceat. Narrat quoque mihi, ut Faber Abbatem supra modum laudaverit et excitaverit, qui unus tam fortiter haeresi novae obsistat. Omnem industriam adhibebo, ut aliquid surripiam. Mitto tibi hoc epistolium ab isto *Iacobo Iona*, [3]

---

[1]) Probabiliter *Tscharnerus*. [2]) *Hofmeisterus*. [3]) *Iacobus Ionas Hebraeus* est in catalogo disputationis Thermopolitanae inter comites Fabri.

meo quondam discipulo, hic Curiae scriptum anno ante postremum Quadragesimale ex suo hospitio, quum cognosset, me non iam ludimagistrum esse Monasterii. Mea quidem existimatione vix ultra rudimenta evasit in linguis, vehementer expediti sermonis, in literis autem ac rebus sacris teruncio carus. Cum tantus vir factus est, ulterius indagare lubet. Honorem Thermis eum collecturum crediderim, ut *Christianus* Berre *Ilantii*. Nudius octavus in Capitulo *Castelmurus*, in valle *Thomleschg* concionatus est *Cazi*, tam immaniter et contumeliose, ut verbis consignatis in ius vocaretur ab universis Thomleschgiis. Prima die non comparuit. Veneris dies, altera. Mire bellum argumentum enascetur *Utzio Eggstein* [1] et sodalitio Comicorum.

Huldrice unice! nuntium nolis vacuum redire, quin aliquid certum de Thermis comperiamus. Hic tabellio ante octo dies tibi litteras iam redditurus erat (undecimo Maii). Tum qua hora proficisci oportebat, affectus est valetudine. Tantum! Deus sit omni tempore vobiscum omnibus. Saluta mihi omnes fratres! Raptim. Die Martis in feriis Pentecostes. MDXXVI.

Blasius in *Malans* praedicatorem agit perinde fere, ut pridem, quoniam nemo de crimine eum postulat. Bene adhuc habet. Deus auxilietur verbo suo!

Tuus deditissimus *Iacobus Salandronius*.

XLII.

GREGORIUS MANGOLTUS AD ZUINGLIUM.

Salus in Domino, Clarissime Vir! Communi bono rursus aliquid vobis indico. Primum, quod mihi *D. Faber* die Adscensionis post meridiem tres libellos per unum famulorum suorum in aedes meas misit ac dixit, quoniam proxime officiosus ipsi a Vobis libellum apportaverim, nunc me rogare, ut gratificans item vicissim suorum libellorum unum Vobis properantissime transmittam; huius se ministerii rependendi probe memorem fore. Ego me promtissimum exhibui et respondi, me vobis cito vel citius cito missurum esse, et si lubitum sit, ita, ut eo ipso die in vestras manus veniat.

Item viri eruditi in *Fabri* aula festo Adscensionis coenati sunt atque inter varios sermones unus de sex scribis eius, nomine *Sebastianus*, in haec verba erupit: suum Dominum, Fabrum de disputatione satagere; sed omnes labores frustra fore: nam fieri non posse, ut vestri articuli e S. Scriptura confutentur, nisi forte de S. Coena; quapropter apud alios malam gratiam iniit, sed hoc parum curat. Eodem die Ascensionis matutino Docti in *S. Stephani* ad orationem Diaconi se contulerunt et arrectis auribus intenderunt. Tum Diaconus ita se gessit, ut omnes praecipuos articulos de Praedestinatione, de Merito, de Fide compendiose enarraret, quod vulgo quidem gratum, doctis autem sine dubio detestabile erat. Post prandium iterum in *S. Stephani* interfuerunt concioni, finitaque concione aliquot Mag. *Ambrosium* [2] in choro

[1]) *Eggstein* Thermopolitanam disputationem satyrice adumbravit. [2]) *Blaurerus*.

accesserunt, inter quos Dr. *Balthasar*[1] *Tubingensis* dixit, ut ipsi ex animo doleat, quod Ambrosium quoque tam miserabiliter *Lutheri* errore deceptum videat. Hic respondit: cum ipso potius gaudendum esse, quod ex Antichristi dominatione liberatus civitatem Christi impetraverit. Deinde Doctor coepit de Merito disputare, sed ab Ambrosio breviter depulsus continuo in articulum de S. Coena incidit ea opinione, Christum non passurum fuisse ecclesiam suam hac in re tamdiu errare. Sed alius, etiam Doctor Tubingensis, excepit eum ac sedavit interlocutus, errorem fidelibus haud nocere, dum non discedant a Christo. Postea Ambrosius viros gravissime oravit, ut si ab Senatu amplissimo invitarentur ad colloquium cum fratre *Infesto* (Feindselig), ut obsequi vellent. Cetera Vobis fortasse Ambrosius ipse scribet, vel ego proxima occasione coram enarrabo.

Item frater *Blandus* (Holdselig) in Adscensione tam temerarius, impudens et furiosus fuit in sua concione, ut maxime mirandum esset, si non Spiritus Dei magistratum regeret, quod monachum de cathedra non deturbasset populus. Nam ab initio protestatus est, ipsum velle Dominorum Constantiensium edicto stare et nihil praedicare praeter S. Evangelium; etiamsi culpetur, tamquam si secus faciat, eiusmodi voces ipsum nihil attendere. Item dixit, ipsum ter sollicitatum esse, ut disputaret cum Praedicatoribus (quod, ut dicamus quod res est, mendacium est: nunquam disputatio petebatur, sed colloquium); iam vero se cogitare *Thermas;* eo igitur veniat, quisquis habeat quod de ipso queratur, et satis responsi inde auferat; ipsum nullum articulum servaturum esse, sicut nullum servaverit unquam, qui non inde ab aevo Petri et Apostolorum ad hodiernum usque diem Ascensionis anni XXVI perstitisset; aliaque admiscuit insolentia verba, quorum non capax est charta.

Item ad diem Veneris post Adscensionem Senatus misit ad *Fabrum* legationem de convocandis Doctis atque eorum delectu resciscendo. Faber renuntiavit, nondum omnes una esse; quum autem venerint, indicatum iri. Eludentis esse iam hoc Senatui videtur, ac suspicantur nonnulli, Fabrum dilationem facere velle usque ad diem Lunae, tumque praetexere, parum morae superesse, quam Constantiae trahere possint. Valete! Dabam Constantiae die Veneris post Adscensionis. MDXXVI.

Tuus ex animo *Gregorius Mangoltus.*

XLIII.

GREGORIUS MANGOLTUS ZUINGLIO.

Dominus Tecum! Certos bona mente Vos facio, me crastino, postquam a Vobis discessissem, D. *Fabro* libellum misisse; cum accepisse venenato cum risu et hac voce: *Bene est*, ac per famulum ingentes mihi gratias dixisse, quod ei tuos libellos tam propere et fideliter apportarem; si quid officii contra praestare queat, sese non praetermissurum; idque merito mihi persuadeam, velle. Idem quoque tum per suum famulum octo libellos a me pretio emit ac suffraganei famulus quatuor.

---

1) Sine dubio *Antonius Pirata* praedicator templi Cathedralis Constantiae.

Item scitote, Fabrum adversus primum libellum vestrum scripsisse,[1] scriptumque nonnullis legendum dedisse ac deinde *Tubingam* typis excudendum misisse, nunc autem cum auxilio quorundam sociorum in vestrum quoque responsum replicare, fretum fore, ut vestra omnia scripta evertat. Item laetantur multi probi et pii homines, quod Ferdinandicorum artes tam bene perspicitis, itaque malitiam et infidiam *Fabri* et *Eccii* vestris litteris denudastis, quippe probe intelligentes, quid aleae sub specie disputationis moliturі fuissent. Sed ex eo, quod de vulpecula scribitis, coniectamus, Vobis idoneam rei notitiam esse, atque curam Vos adhibere, ut *Lithopoli* diligenter prospiciatur.

Item postremo die Mercurii episcopus legationem, in qua Faber quoque conspiciebatur, ad Senatum misit per eamque dixit, ipsum magna discordia huius temporis considerata numerum excellentium doctorumque virorum per litteras evocasse, per quos colloquium Thermis instituerctur, ad controversias dirimendas; et si Constantiensibus non esset ingratum, ipsum edicturum esse, ut Constantiae congregentur ibique ab ipso emittantur. Quibus postquam foras egressi atque rursus introvocati sunt, senatus in hanc sententiam responsum reddidit: Amplum Senatum magnam voluptatem ex incepto Clementiae suae percepisse, neque ullo modo iis adversum fore, si Eruditi isthic congregarentur Constantiae; sed quum adessent, indicatum velle; tum honeste cum Dominis actum iri donis, quemadmodum ritus ferat. Hoc unum tamen summopere expeti, ut Eruditi cum praedicatoribus urbis colloquium placidum habere velint, quoniam id maxime coire debeant, ut pax concilietur inter praedicatores discordes. His auditis legatio discessit atque episcopo petitum retulit; nihil autem ad id responsi datum est. Unde quidam colligunt, citius Eruditos non in urbem admissurum esse episcopum, quam ut colloquium fieri pateretur.

Item pro certo nobis scripsum est, foedus *Salisburgi* octingentos pedites ac ducentos equites perdidisse; qui apud nos quoque vulgaris rumor est. Item fertur apud nos atque etiam per epistolas nuntiatum, *Turcam* per *inferiorem Austriam* prorumpere et supra Carinthiam processisse atque inde multa hominum millia abduxisse.

Item hodie *Friderici ab Aimes* famulus *Ingolstadio* huc venit ac dicit, *Doctorem Eccium* ab eo poposcisse, ut unum diem iter differret; se velle cum eo *Ingolstadio Constantiam* equitare, quod ipsum denegasse; quum aliquot milliaria ab *Ingolstadio* iter perrexerit, ei duos Eruditos e Saxonia ob viam factos dixisse, *Constantiam* se proficisci, ut quidam putant, D. *Emserum*.

Item, hodie, Sabbato, sex Praedicatores apud Senatum summis precibus orarunt, ut ab episcopo exigeretur sermo inter ipsos et fratrem *Infensum* habendus coram Eruditis, qui hac nocte et crastino affuturi sint; et quod eum coarguerint, hoc ipsos repetituros esse coram Eruditis

---

[1]) Faber *antisyngramma* ediderat contra Zuinglii epistolam ad XII pagos foederis Helvetici, in quod *Zuinglius* respondit sub hoc titulo: Alterae litterae Zuinglii ad D. *Io. Fabrum*, Antisyngramma etc. repellentes etc. In fine: Tiguri 15. die Maii MDXXVI.

omnibus. In hoc nihil definite responsum; at promissum, de ipsis nihil decerni. Ergo scire non licet, quid agatur. Raptim.

Gregorius Mangoltus.

XLIV.

CAPITO ZUINGLIO.

Gratia Christi tecum, carissime in Domino frater. Catabaptistas modo experimur. Nihil vidi praefractius. Hodie apud Senatum congressi sumus cum Idiota. Nos contumeliosissime excepit, sed respondimus placide, sicut decet Christianos. Vir alioqui probus est, qui candide hactenus Christum professus est, et fere alienus fuisse fertur a turbis Agricolarum. Inter convitia frequentia asseverabat, nos esse ipsissimos Pharisaeos, qui foris initio sumto probitatem et Christianismum ad externa ligaremus. Quod sic collegit, quia nihil docuissemus, nisi demoliri statuas, altaria, templa, eiicere Monachos et Monachas repugnantes ex coenobiis, abrogare Missas, et id genus, relictis conscientiis eorum laesis, eoque remetienda omnia et in alium vertenda ordinem se prorsus scire. Item se audisse a nobis: qui satagit, ut Missae abrogentur, is beatus erit etc.

Hic vidisses adversarios exhilaratos, exortum esse qui Missam defenderet. Mox respondimus de ratione doctrinae et Christianismi, quae suapte natura omnia contraria perderet, quod in Christo fiducia cum operum confidentia cohaerere nequeat. Ad singula annuit et comprobavit Missas esse omnino antiquandas per Magistratum. Ita illis tanta expectatio semel excidit. Adhuc est unus eius sententiae, qui modo confessus est errorem, et ingenue, quod res est, profitetur, quem apud nos biduo formandum reservabimus: nam tales firmissimos esse oportet, ut adversariis importunis per omnia queant satis facere.

Legimus epistolam tuam, qua *Fabrinae* respondes. Hui! quam apposite, quam scite omnia. Duo nobis exempla sunt, quae per urbem inter amicos obambulant. Sed scribit *Oecolampadius*, Senatum Bas. contendere, ut adeat provinciam disputandi Literis securitatis acceptis. Spero fore vos securos post tantam imposturae apertionem, tametsi videor certissime videre id esse, quod coniecturis tantum colligis, de instituta laniena bonorum. Dominus suis adsit pro gloriae suae patrocinio. Adversarii vobis non committentur: nam de Iudicibus prima quaestio erit, quos nolunt illi, nisi suae sortis.

Ceterum, mi Zuingli, *Barbara de Salgans* misera haec ipsa vos adit, profecto digna, cui patrocineris: nam audies quiddam sibi de proventibus Monasterii competere. Advenit aliunde, sed inserta est in rationarium istarum, resignata sua conditione superiore. Fac sentiat charitatem tuam sibi non defuisse. De rebus *Galliarum* scripsit, opinor, *Oecolampadius*. Hic agitur de reliquis missis antiquandis. Det Dominus ut omnia ad gloriam suam. Vale et fratres plurimum saluta ex nobis. *Argent.* XVI. Maii 1526.

Eucharistiae veritas hic vulgo intelligitur.

V. Fabritius Capito.

XLV.

BUCERUS ZUINGLIO.

Gratia et pax carissime Zuingli. Donet tibi Dominus praesentem agonem certare feliciter, ut neque te ipsum ac alios frustra in periculum adducas, neque occasionem propagandae gloriae Christi praetereas. Oramus certaminis eventum quam primum nobis scribas. Hanc viduam, de qua aliquoties Tibi scripsimus, certe dignam tuo ac bonorum omnium patrocinio, qua est fide et crucis tolerantia, Tibi diligentissime commendamus, quae ipsa tandem, persuasa bonorum consilio, vos petit, caussam suam ipsa edoctura. Non quidem primum apud vos illa facta Monacha est, sed illecta per vestram praesidem, cantus fortasse caussa, atque inducta tandem, ut suo coenobio renuntiarit, constituta ipsi canonica portione, non primaria quidem, at tolerabili tamen; ac ideo tamen ad vestrum Coenobium coepit pertinere, quare caritas non feret, ut extorris penitus habeatur. Neque debet illi fraudi esse, quod mature nupsit, quod certe praestitit fecisse, quam imitatam suas sodales diutius illegitimae libidini indulsisse. Sed nec Mariti culpam decet praestare, quae illi placuit. Ergo sis huic, quod afflictis omnibus esse soles, quodque huius integritas et fides profecto meretur, atque effice, ut vel modiculam provisionem accipiat. Parvo vivere pridem didicit. Omnem causam ab ipsa audies plenius. *Capito* idem etiam literis tecum agit, nequaquam acturus, nisi haec digna esset, cuius caussa nobis esse cordi debeat.

Nos tandem etiam Catabaptistis incipit Dominus probare nondum defunctis certamine cum Papistis, ac simul hostilia expectantibus ab iis, quos paulo ante fratres gloriabamur iunctissimos. Heri coram Senatu cum quodam Catabaptista congressi sumus, qui ut vir bonus semper habitus est, ita acerrime nunc nostra condemnat nosque insectatur, volens baptismo suo semel abluere omnem rempublicam. Hunc pugnantibus cum reliquiis Papae, 5 reliquis Missis, Dominus interiecit. Dominus in suam gloriam omnia dirigat, et vos servet a tantis et technis et insultibus hostium, ac scribe quamprimum licuerit, ut res vestrae habeant. Peranxii enim sumus. *Math. Zellii* nostri sententiam de Eucharistia nuperis literis Tibi scribi petebas. Puto *Capitonem* id fecisse. Nobiscum conspirat, at coram plebe tantum usum docet, et se nolle definire, quomodo panis sit corpus; esse multos modos essendi affirmat, quod nobis satis est. Satis enim intelligitur, quid ipse sentiat, eoque adducta res est, spirituali manducatione inculcata, et carnis inutilitate evicta, ut signa signa nostri habeant. Ut nemo a iugo desiliret, oportuit nos hic et in aliis ire, quo per hunc ac alios potuimus, non quo semper voluimus. De qua re et *Oecolampadius* edoctus est. Sed utinam non maior esset ab alio quopiam, quam ab hoc, remora. Gratias tamen agimus Domino. Adorationem omnes fortiter excludunt, carnem nihil prodesse, et fidei manducationem solam salutarem diligenter praedicant; etiam verba Christi ita efferunt, ut re ipsa signum signum esse, ac praeterea nihil, satis declarent, Teque ac *Oecolampadium* praesertim Matthaeus in colloquiis diligenter defendunt, deplorantes *Lutheranorum* hac in re pertinaciam. Optime vale et Christus reddat te in gloriam suam

victorem et hac vice. Salutant Te nostri. Saluta nostris verbis vicissim Symmystas tuos, nominatim vero *Pellicanum*, *Leonem* ac reliquos. XVII. Maii. M. *Bucerus*, tuus ex animo.

XLVI.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Τῷ Ζουιγγλίῳ τῷ σοτάτῳ.

Bono animo et vos sitis fratres! auxilium praestolabimur a Domino. Is suos non derelinquet. In primo congressu omnibus viribus urgebo, ut ad idoneum locum convenire possimus; spero autem et *Scaphusam*, si cetera constent secura, non displicituram. Ante prandium non vocabimur. In templo aiunt esse apparatum sellarum. *Berchtoldus* nondum venit, neque *Hessus Abtzellensis*. Adversarii autem multi. Deo laus. Legi epistolam ad *Berchtoldum*, et placuit. Nihil omittemus eorum, quae iubes, si disputandum. Sed ob unam caussam vitabimus disputationem, si fieri potest, ne, si bene cederet, id nobis damnosum, quod non adsitis. Utinam esset aliqua via, qua huc adduci possetis, sed nullo modo velim vos periclitari. Valete. XVIII Maii.

Vester *Oecolampadius*.

XLVII.

BOVILLUS ZUINGLIO.

Salve *Zuingli* amatissime. His literis Te certiorem facio, nos hodierna die rem feliciter incepisse, speroque Deum virtutem verbi sui inter Philistaeos daturum; quapropter, si fieri potest, advola. Pugnabimus strenue. Nemo adest praeter *Oecolampadium* et *Scaffusanos*.[1] Raptim in *Thermis Baden*.

(Lud.) *Bovillus*, tuus.

XLVIII.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Salve in Christo mi frater. *Basileenses* cives pro nobis solliciti iusserunt abstineremus a Disputatione. Sed nuntius non venit in tempore. Heri enim mane, ut audisti, coepimus, Deo laus, non infeliciter. Quam aegre audiunt me loquentem! Consul et Senator meus[2] strenue egerunt, ceteris legatis denunciantes severiter, nisi mihi dent copiam loquendi in his, quae necessaria sunt: unde bona spes, posthac maiorem aequitatem nobis impartituros. Ceterum neque nos, neque causa periclitabimur, Domino suam gloriam, quam salvam cupimus, neutiquam deserturo. — Tu interim bono sis animo. Non potuimus sermonem commode ita flectere, ut in alium locum pertraheremus disputantes. Submittuntur

---

1) Magister *Ludovicus Oechsli*, *Henricus Linggi*, *Conradus Werli*, Caplanus. (Acta Disp. Thermop.) 2) *Adelbergus Meier*, Consul, et *Urbanus a Bünnen*, (a Brunn) ordinis Senatorii. (Acta eadem.)

nobis alii fratres a *Basilea*, *Suffraganeus* et *Franciscanus* [1] cum suis comitibus, quorum adventum exspectare cogimur: maluissem enim continuatam disputationem, non ignorans, quid interim technarum pariant adversarii, quos Dominum prostraturum spero. Vale, et ut prosperetur negotium ora. *Baden.* 22 Mai.

Oecolampadius.

Assunt et *Scaphusani* mea sententia fideles. Literas ad *Rhaetorum Curiam* accepi; multum expedit id dolorum praesentire. Salutant te fratres omnes.

XLIX.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Gratia Christi Tecum, mi Frater. Nunc, non tam nostro, quam Tuo nomine solliciti sumus. Quia enim *Bernates* sciverunt legem illam, ut intelliges, et Te traduxerunt, quod hic comparere nolueris in tanto conductu: visum est mihi, et bonis quibusdam fratribus, siquidem citra periculum fieri possit, ne abesses disputationi. Non timemus caussae. Etiam adversariis nostris impudentia *Eccii* onerosa est. *Berchtoldus* exspectatur. *Suffraganeus* non veniet. Adest *Bovillus* et *Piscatorius*, cum alio quodam, viri egregii. Timemus, ne civitas nostra intestino bello laborare incipiat. Quid si litterae securitatis pro hac vice cassarent coniurationes *quinque Pagorum et Bernatium*, usque sub finem disputationis et reditus ad propria, inserta particula ista litteris: non obstantibus quibusvis coniurationibus et condonatis iniuriis omnibus; afferresque Tecum comitatum L. virorum a lateribus; insuper et propria edulia Tecum afferres. Non video enim, quod possimus vel scriptis, vel alia ratione, *τῶν ἀντιπάλων* ora obstruere. Quod si fieri non potest, haud video, quonam pacto unquam similis se offerat opportunitas. Si periclitaberis, periclitabimur omnes Tecum. Sed Tu fortasse plura nosti, quam norim ipse. Vide quid sit in gloriam Evangelii Christi, cui vita, quantulacunque nobis superest, dedicata esto. Vale XXIII. Maii.

Oecolampadius.

L.

VADIANUS ZUINGLIO.

Salve vir doctissime. Dictu mirum, quam nunc adversarii illi tui sese efferant frivole, quam plaudant pueriliter, et quam strenue encomium victoriae praevortant. O immortalem Deum nostrum! unum horreo, ne magnum malum daturus sit fucus iste, non sane tibi tuisve, sed his qui per imperitiam et inscitiam nihil non admirantur. Hoc die ad nos allatus est libellus quidam, qui dogmata tua undique excerpta pro libi-

---

1) *Augustinus Marius* et *Ioannes Lüthard.* Porro: *Wolfgangus Weissenburg*, Plebanus Nosocomii, Mag. *Iacobus Imeli*, Plebanus ad S. Huldrici, *Marcus* N (Bersius) Plebanus ad *S. Leonardi*, *Thomas Gyrfalk*, Praedicator apud Augustinos.

dine, *Eccii* responsionibus praeponit et veluti Dialogi fabellam texit, eum te dudum accepisse a fautoribus tuis puto. Quid illi respondeas? Cum satis sese ipsum *Eccius* prodat, tremulo calamo, vili depulsione, et longe maxime prostituta conscientia. Sed de *Eccio* et suis piget scribere. Solius *Oecolampadii* me miseret, cuius sincerissimae aures Thersitas illos et Stentores tanto taedio sustinere, pauxillo fortasse fructu compelluntur. Sed praestiterit fortasse et hoc sustinuisse, quo magis demum sophisticae tergiversationi sese candor veritatis ausit opponere. Certum est enim apud me: victorem abiturum ex illa harena *Oecolampadium*, etiamsi victus videri debeat Coryphaeis quibusdam, qui Triariorum pugnam ab ocio illius et maturiore deliberatione tandem crupturam esse, non cernunt. Sed de *Bernensibus* quid acceperim magno dolore, exemplo Tibi indico literarum, quas *Bernensis* quidam ad Scultetum (arbitror) *Lucernanum* scripsit ad *Baden*, quibus, quoniam deest inscriptio nomenque, nec satis rei gestae argumentum cohaeret, parum fidei adhibeo. Precor tamen te (quando id magni referat), certiorem me facere de ea re illico velis, neque sane expensis parcere, quo nobis ad manum sit, quo certa fide aut interpretari factum, aut mendacium confutare pro veritatis defensione possimus. Misimus hactenus senatorios viros duos: quibus commissum ne quid aliud ad illos referant, quam quod frequentissimis suffragiis decretum est, nempe placere nobis disputationes, quae veritatis vestigandae gratia fiant; interim nos accepturos defensurosque, quicquid aut illic aut alibi clarae scripturae testimoniis nitatur. Summopere mihi consultum videretur, ut *Constantiam* et *Argentoratum* evocares in stativa ut scilicet in promtu calamum haberent, paratum in omnis hypocriticae ostentationis confutationem. Quo non tu solum, qui longe gravioribus sat esses fortis, sed praeter *Oecolampadium* etiam, illi subsidiaria auxilia libellis suis mitterent, quibus palam denegata est hactenus disputandi copia. Vale, et illico, si potes, nos de rebus omnibus facito certiores. Nuncio nos liberaliter consulemus, quemcunque miseris. Apud *Sangallum* XXV Maii 1526.

Ioachimus Vadianus, vere Tuus.

LI.

GREGORIUS MANGOLTUS ZUINGLIO.

Gratia et pax per Christum a Deo. Omnes hic fratres bene sentientes magnopere cupiunt audire, ut disputatio Thermopoli ineat: nihil enim eius nec ore nec litteris nobis renuntiatur. Pontificiis quotidie epistolae veniunt; unde spem concipiunt laetam, fore, ut regnum ipsorum restituatur et erigatur; gloriantur magnopere, Oecolampadium devictum esse, Vosque lacessunt, ut etiam proficiscamini Thermas et victoriam aequalem referatis. Hoc ipso die, quo hanc epistolam scribebam, Doctor *Georgius* N. Physicus Ueberlingensium a D. *Menlishofero* litteras accipiebat narrantes, D. Fabrum suumque Pastorem Thermis scripsisse, *Oecolampadium* tribus in articulis iam superatum ipsosque

victores esse, ac sperare paucis diebus negotium cum eo confectum fore; Oecolampadium infantulum esse, qui quum compelletur trepidet ac plorare incipiat. Similiter Faber Domino *Wolfgango* a *Homburg* scripsit Oecolampadium tribus in articulis superatum esse. Huius rei testimonium suppetit. Nam Nobilis *Hans Richli*, civis *Constantiensis*, litteras legit *Homburgi* in castello; is nobis communicavit ingenue. Scripsit Nobilis *Paulus Hürussen* a *Memminga* filio, *Turcam* constare *Budam* captam habere magnisque cum viribus petere *Viennam*. Item *Suevicum* foedus *Salisburgi* damnum haud exiguum accepit. Alia hoc tempore non habemus scribere. Si quid autem nobis certum erit, quod vestra intersit, haud cunctabimur scribere Vobis. Quod idem contra *Blaulerus* uterque, *Zuiccius*, *Menlishoferus* et ego expectamus a Vobis, ac Deo semper Vos commendamus. Dabam *Constantiae* die Veneris post Trinitatis MDXXVI.

Vester semper officiosus *Gregorius Mangoltus*.

LII.

COMANDER ZUINGLIO.

Gratia et pax Christi, carissime Zuingli! Quae nuper ad nos de disputationis exordio scripsisti, ipsissima sunt, quae prius augurabar futura, quod scilicet omnia pro sua modestia peracturi forent hi boni viri, veritatis avidi. Sed quid nunc nostri Pontificii agant et dicant, audi. Vicarius noster ad *Baden* se recepit ab initio disputationis, nec vocatus, nec missus. Illic totum hoc tempus auscultando perseverat. Demum iam proxime praeterita feria sexta servum equestrem huc mittens, et litteras magnum triumphum narrantes, quem mane die Sabbatho in omnes passim (erant enim nundinae) spargebant, sub tali tenore: *Oecolampadius* victus iacet in arena prostratus ab *Eccio*, herbam porrexit et palinodiam cantavit, de Sacramento, de oblatione Missae, et de invocatione Divorum. Vulgus ut ad credendum praeceps est, omnia haec, ut verissima, acceptat, auget, promovetque. Interim a multis Christo aequis rogor, quaenam fama ex *Baden* ad me ferat. Ego certi bonique nihil habens respondere cogebar silere, aut eadem dicere cum Pontificiis, nisi quod a quodam pio viro audieram, nihil penitus adhuc profligatum aut finitum, nec primum de Eucharistia problema transactum esse. Hac regula Papistarum triumphum metiri cepi, eo quod triumphus ille ingens acta in *Baden*, totis duobus articulis nondum adorsis, excederet. Hac sola coniectura vires resumsi, consolans fratres, ut talibus nugis nihil moverentur etc. Ceterum, Carissime, de hac re ut gesta sit, et quae in rem et consolationem nostram aliquid possunt, fac ut quantocius ad nos veniant, quatenus, Deo praestante meliora et veriora, impudentium rictus ἐπιστομίζειν queant. Vale ex *Chur* V Iun. 1526.

Tuus, *Ioh. Comander*.

Abbas S. Lucii audita fama pro suo stomacho ad opp. *Baden* se festinans recepit, ut allatis *Eccianis* arietibus et copiis et telis, in me aciem vertant et totum onus belli. Cupio igitur magnopere, si quid ex illa Disputatione exceptum aut transscriptum habeas, mihi concedas.

LIII.

CAPITO ZUINGLIO.[1]

Gratia tecum, dilectissime frater! Antichristus modo speciem praebet ultimi conatus: nondum enim pronuntio an serio moliatur, quae prae se fert. *Ratisbonensi* foederi *Caesar* mandatum dedit tuendi se auctoritate sua cum magnifica pollicitatione, propediem se adfore *Germanis* seditiosam illam doctrinam (sic Evangelium nominant) radicitus evulsurum. Episcopus noster famam spargit, se emere avenae saccos 8000 in vicinis oppidis pro ingenti equitatu excipiendo *Tabernas*, atque hospitia inscripsit, aedificat equorum stabula in singulis arcibus suis. Ridicula consilia! Solida praeterea non frangentur larvis; tametsi equestri excursione lenta proelia ducturi videantur. Quod quidem consilium quam illis tutum sit ignoro, nisi omnino Dominus cor pavidum et ad motum foliorum trepidum dederit. Ferunt ad haec, *Brunsvicensi Duci Heinrico* datam potestatem atque mandatum impugnandi *Saxones*. Episcopi cupidissime plurima minantur: nam est eis vis ingentissima pecuniae. Nihil dum apparet veri. Conventus *Spirae* institutus talia consilia confirmabit, atque in apertum producet, modo spes sit illis victoriae.

Expecto rebus publicis acriorem digladiationem imminere quas ante diviserunt. Nulla est *Rhenanae Provinciae*, quae ex animo cum nostra faciat: minores undique concionatores exauctorant metu perculsae expectati mali; habent Principes pro se edicta *Caesarea* blasphema, ne vel scripturae lectio relinquatur plebi, quae quidem in ventum tandem abibunt. Sed ea, ubi nervus belli i. e. pecunia tyrannos non defecerit, ut sunt propenso animo ad nocendum, vicinis rebus publicis erunt materia bellandi. Nam dicturi videntur adversarii: „Nos imperio Caesaris iuxta praestita iuramenta obsequentes prohibemus novas doctrinas, vos interim pergitis libere illas asserere, qua ex re noster quoque populus inficitur. Necesse est, ut aut nos in vestram sententiam aut vos in nostram concedatis. Ceterum, qui possumus voluntati Caesaris ita iubentis repugnare? Proinde, ut publicae concordiae consulatur, volumus ut eiectis concionatoribus pristinas ceremonias reducatis, quo possumus utrique edictis parere Caesarianis et in concordi religione iterum coniungi.“ Quod si ita egerint, quot putas perduraturas? certe rarissima. Erit *Argentina*, *Ulma*, *Norimberga* in hac vicinia, et tres forte respublicae apud *Saxones* et maritimos. Quae in confinio *Helvetiorum* sitae sunt eventum vestrum sequentur. Quantum modo spei de *Helvetiis* divisis istinc conceperint, nos hic experimur. Mutuam videres gratulationem ceu de certissima victoria, quem cursum stulto hoc libello

---

[1]) Haec epistola cum tribus aliis, quas tabellio aliis ab *Oecolampadio* et *Farello* portabat, a Praefecto Badenae, in cuius carcerem propter dicta minus verecunda de Maria abductus erat, ademta, a Legatis Confoederatorum ibi resignata, Fabro, qui vernacule reddat, tradita atque ab hoc male et falso reddita cum animadversionibus divulgata. Plus historicae lucis dabitur apud tertium libellum Zuinglii contra Fabrum super commentitio libello, quem novum nuntium inscripsit. Cf. epist. LIX.

remorati sunt, quo utcunque doli adversariorum ostenduntur. Quod si humano consilio rem gereremus, concideremus plane: tanta timendi materia undique se aperit. Verum, quia novimus quam profunde apud multos radices egerit verbum, speramus multorum constantiam, a quibus qui modo ceciderunt propediem erigentur.

Nam sumptuosum et prolixum bellum non ferent, et mediocri nihil agent; summa summarum, pontifex cecidit cum suis satellitibus, exturbata existimatione eius e pectoribus hominum, quem leniter subfulciunt pròpugnatores impanati Christi. Haec libuit de publicis turbis ad te, quas video perquam evanidas esse et minime duraturas, nisi quod molliores interim concidunt, sed fortiores resurrecturi novum bellum *Gallicum* timent, unde consilia pleraque in diem proferuntur. [1] Interea Dominus verbum latius provehet. Audi novam versutiam Satanae! Superioribus diebus ex Anabaptistis unus prorsus illiteratus ex *Brunfeld* (oppidum est sub ditione Senatus nostri) huc adductus est: is palam nos contumeliis proscidit et professus est, se nos ad palinodiam redacturos. Adversarii in Senatu plausu magno stultum exceperunt, et curarunt nostris assentientibus, ut ter aut quater coram Senatu confertissimo ageremus. Capita dogmatum sunt: „Nullum magistratum esse Christianum. Pueros non baptizandos. Neminem pium suscipere arma posse ad imperium magistratus. Diabolum et impios omnes demum salvandos fore." Interea convicia in nos iactavit: impios esse Papistas, nos impietate illos modis infinitis excedere, neque peiores nobis uspiam extitisse, neque etiam in posterum fore. Pronuntiavit interim, anno septimo abhinc ad diem adscensionis hora duodecima, in primo articulo horae, finiendum seculum hoc. Tandem post acrem obiurgationem verbi, qua hominem gloriae desiderio insanum flagellavimus, abmandatus est ad *Brunfeld*, hac lege, ne quid in vulgus de suis dogmatibus efferat. Verum interea mira de se praedicavit, quemadmodum nos vicisset ac reddidisset elingues, atque eruditos omnes casuros prae spiritu suo; plerosque ad famam talem commovit. Senatus iussit ultimo, ut praefectus eius loci hominem oppido eiiceret. Factum est; eiectus venit huc, heri adfuit concionanti *Matthaeo Zellio*, et mox duo verba aegre elocuto reclamavit acerbissime. Praelecto enim loco aliquo Deuteronomii in eos qui Deo non audiunt etc. exorsurus sermonem futurum, dixerat: „Videte quanti periculi sit non auscultasse spiritui in scripturis loquenti." Tum ille Anabaptista: „Tu mentiris, frater *Matthaee*, in spiritum sanctum. Praecipio tibi huius virtute, ut descendas et mihi de sensu spiritus veriora locuturo cedas locum." Oboritur totius ecclesiae commotio ad hanc unam vocem, civis quidam iniecta manu furiosum ad magistratum perduxit, sequebatur ecclesia, quam *Matthaeus* aegre partim retinuit. Offert se nebulo ad poenam talionis, atque ardentissime efflagitat, ut et nos in vincula coniiciamur quoad causa finem sit sortita. Exclamat de turri: Praedicatores vestri cadent, imo iam ceciderunt. Vide, quantae intemperiae hominem simplicem et sibi confidentem agitent. Non nihil inde molestiae sentiemus sed extra omne periculum: praemunitae enim

[1]) Vid. Sleidanus ad ann. 1526.

sunt ecclesiae nostrae quae summam Christianismi proprie norunt ac tenent probissime. Haec tibi scribere libuit. *Lutherus Suevorum* syngramma in Germanicum vertit [1] et commendavit magnifica praefatione, in qua *Tu* et *Oecolampadius* perstricti estis, cui velim responderi argumento tali per *Oecolampadium* quale ex ipso agnosces: nimirum ut reiiceret causam in Dominum nos eo modo tentantem, cum libera professione, quanta Dominus per illum praestitisset, ut propemodum supra hominem crederetur; proinde clementer huic malo mederi Dominum postquam eum reliquit in tali errore, et permittit ad tantam obliviscentiam charitatis recidere ut tradat Satanae, et Satanam dicat quos deberet lege charitatis pro fratribus agnoscere.

Nondum nobis copia facta est: nam impressor *Hagenauensis* ad nundinas usque vult celare. Adornavi insidias et spero me propediem nacturum copiam. Tum mox habebis: nam respondendum erit. Misi *Oecolampadio* quae *Lutherus* in epistola ad quendam suum sectatorem. O humanam fiduciam! sic potest erigere cristas et prae se contemnere quemvis.

Orat impressor noster τὸ τῆς Συζητήσεως σύγγραμμα. Si quod habes ad nos mittas, aut certe ut hoc biduo potes pauculas horas operae seriae subfurari, quas in hanc rem colloces. Nam vehementer opus esset ut catastrophe disputationis extaret. Oro vacuum hunc fratrem ne remittas.

Fama sed incerta vagatur primam *Pannoniae* urbem a *Turca* oppugnatam his diebus, praeterea fusos equites *Suevici foederis* a *Saltzburgensibus*. Adhaec *Mediolanam* arcem 5000 peditum cinctam quoad *Borbonius* advenerit, qui Ducatum iam occupabit; quae certo argumento sunt, satis alioqui fore quod agant homines tumultuosi. Si quae de rebus *Bernatum* certa habentur aut spes quascunque praevides, fac nos ut per nuntium hunc sciamus. Vale in Domino, fortissime Christi miles et frater. *Argentinae* XI Iunii 1526. *Bucerus* et fratres te salutant, praesertim *Farellus*.

V. Capito.

Inscriptio: *Huldrico Zuinglio* suo in Domino maiori observando.

LIV.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Gratia et pax a Christo, mi frater. Salvi domum pervenimus, magna piorum omnium expectatione et gratulatione. Vereor autem, ne forte horarum gaudium sit et Satan vertat in moerorem. Nondum prohibiti sumus a concionibus, id quod in discessu *Helvetiorum* Proceres commisisse dicuntur legatis. [2] Orandus est Christus, ne suos deserat, brevique sub pedibus Satanam conterat. Habeo tibi gratiam pro frequentibus literis et salutationibus in *Baden*, quibus me Dominus non mediocriter exhilarabat et confirmabat. Exemplar Disputationis

---

[1]) *Bugenhagenius* vernacule vertit hoc scriptum; Lutherus autem prologo instruxit. (Sekendorf). [2]) Praedicatores Evangelii volebant expulsos religionisque morem pristinum restitutum.

nullum *Basiliensium* legati impetrare potuerunt, quod plerisque hic perquam ingratum. Hasce literas domi inveni. *Urbanus* amicitiam nondum solvit. Vale. *Basil.* XII. Iun. Tuus *Oecolampadius.*

LV.

CARISSIMO VIRO, HULDRICO ZUINGLIO, TIGURINAE ECCLESIAE EPISCOPO, FRATRI AC PRAECEPTORI SUO.

Gratia et pax a Christo, mi frater. Nondum consiliis et decretis adversariorum nostrorum, imo hostium veritatis, obtemperatum est, ut a suggestibus depellamur. Docemus enim et concionamur, plebe verbi dominici admodum sitiente. Exemplar Disputationis Senatus nimirum postulabit. Orandus tamen Dominus, ne Satan perpetuo adversans aliquando praevaleat. Fama est, quomodo Papistae ubique mire mentiantur, ac victorias suaves de nobis iactent, quod profecturum caussae nostrae spero, si quando retegantur eorum mendacia, et fidem penitus amittant. Iam mitto responsionem contra *Pirkhaimeri* insanias.[1] Oro, ut aliquis vestrum, *Pellicanus* vel *Myconius*, vel alius quispiam fidelis, advigilet ut pure excudatur, et si quid mutandum, vel tollendum, vel alio modo corrigendum, Tuae censurae id est commissum. Admiscueram aliqua verba de congressu nostro *Badensi*, sed ea iterum delevi. Expediret tamen alia ratione invulgari, alia quapiam epistola. Gloriantur enim, se unico *Irenaei* dicto evicisse duas propositiones primas, quod citatum a me est contra impiam illam papisticam Transsubstantiationem. Praeterea neque Norinbergenses multum admonendos censui, quare libri nostri prohibeantur illic; paucis tantum in haec verba conquestus sum, non multo ante finem. „Refutavit, inquam, et *Zuinglius* „copiose. Verum belle isthic agitur. Plaustra convitiorum e civitatum „vestrarum portis egrediuntur, per quas non ingrediuntur innocentium „apologiarum vel triobolares corbiculi. Ceterum haec Deo iudici et „veritatis defensori curae erunt.“ Tu, si quid habes, mi *Zuingli*, quod ad veritatem promovendam facit, pro Tua sollicitudine curato. Vale cum fratribus, et *Pellicano* rem meam commenda, ut Typographo adsit. *Basileae.* XX Iunii 1526. Tuus *Oecolampadius.*

Profuit hic nobis, *Bernates* tam dextre in servando *Berchtoldo* suo egisse. Non ignoramus et *San-Gallenses* officiis suis restitutos. *Millhusani* quoque non sunt deterriti. Ut *Aptzellani* et *Glareani* et *Scaphusani* habeant, nondum didicimus.

LVI.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Salve in Christo, mi frater. Epistola tua cum libello *Lutheri*[2] reddita fuit post abitionem ministri mei; et quia monuit tabellio, ut

---

[1]) Ad *Bilib. Pirkhaimer* epistola et responsio eucharistica prior. *Bas.* 1526 8. [2]) Quod haec verba Christi: Hoc est corpus meum, adhuc incolumia sint contra fanaticos.

scriberem, retinebo epistolam *Lutheri*, donec veniat minister meus, et describat, et tunc cum proximo nuntio remittetur. Nunc non videtur opportunum, ut illi respondeamus. Fama enim est, quod XVI chartas praefatus sit in librum *Suevorum*, quae ubi receperimus, licebit et innocentiam nostram et Scripturae doctrinam dilucidam orbi declarare. Deo laus, quod Ecclesiae nostrae non multum curant, quicquid ille contra nos blateret. Bene vale cum tota Ecclesia Tigurina. *Bas.* XXIII Iunii.

Tuus *Oecolampadius.*

LVII.

HULDRICHUS ZUINGLIUS CONRADO SOMIO ECCLESIASTAE ULMENSI, FRATRI SUO CHARISSIMO

Gratiam et pacem per Christum. Haberem charissime *Conrade* plurima quae scriberem, si abeuntis tempestivitas opperiri tantum posset. Unum hoc scias, mihi fratribusque cunctis probari libellum istum ac modum, quo tu de eucharistia apud ecclesiam tuam tractavisti. Disputatio *Badensis* apud multos, qui etiam Christi Evangelio sunt parum aequi, male audit. *Berna* firmior et post disputationem facta, quam antea fuerit. *Basilea* tantundem. Id quoque te oro, ut primo quoque tempore moneas *Urbanum Rhegium*, me non admodum nuper literas eius ad me accepisse: nunc non fuisse respondendi spatium, sed brevi longam de originali morbo sive peccato ad ipsum daturum esse epistolam. Commenda illi cum Evangelio ecclesias nostras, cum eorum Episcopis! multis enim petimur modis, sed Dominus fortior est, non modo quam minae, sed etiam bellis ipsis. Mira est in urbe et agro Tigurino in Evangelium consensio. Deo laus et gloria. *Oecolampadius* salvus est, piique omnes salvi; sed enormibus contumeliis adfecti ad suos redierunt. Is qui istam adfert dimidium est animae meae, narrareque poterit omnia quae apud nos aguntur. Vale! Oremus pro nobis mutuo in charitate: fideli enim oratione omnia superabimus. Salva sit omnis Ecclesia Vestra. Tiguri, 2. die Iulii 1526.

LVIII.

ZUINGLIUS VADIANO.

Gratia et pax per Christum. Accipe carissime *Vadiane* rerum quas Te nunc scire refert copiam. Comitiis ad exitum Iunii habitis haec acta sunt, si forte minus fideliter omnia retulerint legati vestri. Monuerunt *Imperatorii*, ne *Helvetii* occasionem dent *Galliarum* Regi violandae pacis, atque hac monitione volunt honori suo consultum. *Faber* petiit et obtinuit literas ab *Helvetiis* quibus testantur, ipsum strenue ac fideliter rem gessisse; id vero apud multos Principum, quo scilicet facilius intelligas pecuniae collectionem, quam non modo Episcopi et Abbates formicarum ritu coacervarunt, sed Principum etiam nonnulli. Idem *Faber* pro publica concione liberavit *Helvetios* iudicio Disputationis: nihil enim opus habere iudice, quae olim sint ab Ecclesia iudicata;

vulpeculam sequutus, quae dum uvas impetrare nequiret, contempsit quod non essent maturae. Quin, quod magis ridebis, iactavit, publice an inter pocula me fugit, se amore veritatis ab Ecclesia stare: nam si *Lutheranus* esse voluisset, potuisse ditissimum reddi *Lutheranorum* promissionibus. Munificentissimos esse oportet *Lutheranos*, qui *Fabro* pecuniam polliceantur. Ubi hic sermo auditus est, prorupit quidam ex Helvetiis (nomen exploratorem fugit) alioqui parum aequus Evangelio, in hanc indignationem: Dii istos perdant. Nunc video nequam esse homines: *Lutherani* enim adeo tenues sunt, ut praeter egestatem nihil possideant. *Berna* allatum esse dixit rumorem *Madius Claronensis*; imo verum esse dixit: *Berchtoldum* denuo iureiurando adactum, ut nihil quod postremo receptis articulis adversetur, depraedicet. Mentitus est impudens homo. Nam pro Evangelio feliciter certatum est XXVI die Iunii, *Berchtoldoque* missandi onus ademtum, propterea quod Missam *Baden* defenderit non esse sacrificium. Constituti LXXX aurei in annum et 20 modii tritici, 8 vero baiulationes vini, *Saum* vocamus. Sacerdotium canonicale ademtum, sed sic, ut duobus annis eum fructus sequantur non aliter, quam si vita excessisset.

Hunc iuvenem de gente *Heuensium* [1] natum Tibi commendo, ut in suo ei consilio adsis. Medicus medicae cupidus. Indole est, ut optima, ita pectore sagaci. Latinam linguam mediocriter callet, atque Hebraicam, Graecam degustavit. Si ergo videbitur commendabis hominem *Leoniceno Ferrariensi*, ut is studiis eius consulat ac officio iuvet. Si praestandum erit, praesta. Nos pro eo quoque praestamus sive apud Te, sive apud alios. Cupio Tecum esse propter quaedam, quae sibi non vult credi epistola quod charta sit, animum esse oportet dictitans, qui ea ferre possit. Si ergo licet, aliquando ad nos venito. Nec tamen urgeo. Vale. III Iul. 1526.

H. Zuinglius.

LIX.

BUCERUS ZUINGLIO.

Gratia et pax, fortissime Zuingli. Quod *Capito* noster saepe magis ad iuvandum miseros, quam prospiciendum rebus suis propensus est, praeter pericula, aliquoties iam luculentam rerum etiam iacturam fecit. Ex sacrificulis ille noster praeclarus nuncius est, qui ob Evangelion exulant, vitae inculpatae, nisi quod non valet summa ingenii dexteritate et soleat nonnunquam vino superari: omnino enim est capite, ut nostri aiunt, non bene obfirmato. Hunc igitur ut simul aleret et nuntio uteretur, impensis *Cephalaei* ad Te misit, qui legatione ista tam egregie functus est, ut per *Friburgum* ubique spargatur, et inceperit hic cantela esse: tandem proditionem nostram patefactam, et deprehensum in nostris literis, quid mali moliamur. Hoc scilicet adhuc, inter reliqua, fatis nostris deerat. Scripsit Helvetiis *Capito* graviter, [2] ut mihi videtur, satis, quae indubie videbis. Ceterum a *Wittenbergensibus* non est, quod

---

1) *Ab Heuen?* 2) Quod attinet epistolas Wettingae interceptas.

per me aequi aliquid expectes, qui iam non minori, quam forte Tu ipse, illorum indignatione gravor. Praeeipue male propitium habeo et dira minantem *Pomeranum*, cuius psalterium veritate conspurcavi. Voluerat in me scribere, sed statuit Hercules ipse, cum omnibus monstris simul congredi. Tu dic *Pellicano*, vocatum in periculum ipsum, me prodituram huius mei peccati autorem. Alii narrant, postquam ingrati adeo sumus, et tanti dissentientium a se sanctimoniam facimus, dixisse indignantem, sibi posthac victurum, et nihil deinceps scripturum. O Caro, o Satan, quae nobis negotia facessis! Nobis pergendum erit in adserenda gloria Dei, et videbimus arrogantiam istam evanescere.

Tota *Hollandia* et *Frisia* per *Rodium* [1] et alios quosdam pure iam sapit, resipiscunt quotquot et per *Flandriam*, *Brabantiam* atque *Geldriam* sunt Christiani. Apud *Saxones* et *Norinbergenses* regnat adeo *Lutherus*, ut plerique in his nostris nundinis nihil nisi *Lutheranum* voluerunt emere. Vide, ut facile ex hominibus deos facimus. In ditione *Marchionis Badensis* efficit *Strauss* quidam, ut nostris libris edicto Principis interdicatur. Is omni septimana unam concionem in nos habet, et nuper cum argumenta ipsum deficerent, incepit cum lacrimis hortari plebem ad precandum, ut Deus vellet Christum sibi in pane servare, e quo si ipsum contingat eximi, actum esse de Christianismo. Ibi cordatus aulicus et probe sentiens dixit in aurem primario inter Principis senatores: *Struthio* noster hic videtur facere, quod nautae solent, qui tum demum ad precandum hortantur, quos vehunt, cum arti suae et remis diffisi, imminere iam naufragium sentiunt. Ita iste caussae suae videns naufragium adesse, nec potens argumentis et per Scripturas illud avertere, convertitur tandem ad preces. Equidem nullum pro hac re vel Pater noster dixero, satis habens, Christum regnare in coelis. Ita stulti improba sua insectatione efficiunt, ut veritatis inde homines reddantur et curiosi et amantes. *Norinbergensis Osiander* [2] dedit tandem ad nos, post diuturnum silentium et multoties provocatus, literas, significans, se carnem adserere praesentem, de nobis vero dubitare; consilium suum esse, ut per literas de hac re commentemur, si quo modo possimus in eandem sententiam conspirare, et dissidium hoc inter nos amoliri. Rescripsimus ei libere, quod sentimus et docemus, et expostulavimus cum eo de iniquitate, qua illic per Magistratum libris tuis et *O colampadii* interdictum est legendis. *Ionae Wittenbergensi* [3] miseram tuum primum in *Fabrum* libellum, in quo meministi,

---

[1]) *Io. Rhodius*, rector Collegii Hieronymiani *Ultraiecti*, qui 1523 epistolam *Cornelii* Hoen *Zuinglio* tradidit, 1527 pastor *Nordeni* in *Frisia orientali*. (Gerdesius.) [2]) *Andreas Hosenuenderle*, per euphemiam *Osiander* dictus, 1498 in *Gunzenhausen* ad *Norinbergam* natus, litteras didicit *Vitebergae*; deinde docuit in coenobio Augustinorum, ac praedicator factus est ibidem 1522 templi Laurentio dedicati. Asper, insolens, pervicax animus eius assidue religiosas agitabat rixas. Illud *Interim* expulit eum 1548 Norinberga; professionem Theologiae *Regiomonti* adeptus ibi 1552 decessit e vita. Introduxit rursus inprimis Scholasticam in theologiam Protestantium. Contra *Zuinglium* scripsit *epistolam apologeticam* rusticis convitiis foedam. [3]) *Iustus Ionas* 1493. in *Nordhausen* natus, unus primorum adiutorum reformationis

Te cum *Luthero* facile conventurum, citra intercessionem illius, et monueram, ut paci ac concordiae restituendae vellet dare operam. Rescripsit, se legisse tua et *Oecolampadii* omnia, sed tam fortia non deprehendisse, ut a simplicitate verborum Domini cogant recedere; quare si ad nostra conniveret, ligari se blasphemiae; cogitaturum tamen de pace: nam hodie adhuc, Te, *Oecolampadium*, ac nos, ut fratres et amicos suos complecti, doctrinam autem nostram hanc nunquam se probaturum. Statui rescribere, his parum respondere, quae agit modo et scribit *Lutherus*: nos non posse agnoscere ex spiritu Christi studium illud esse, quo ille totum Christum in nobis Satanam facit, ac enixius nobis omnem fidem derogat, quam ulli fere Papistae. Nos, cum aliter fieri nequeat, non postulare, ut nostra probent, quando, ut aiunt, non possunt ea non blasphema agnoscere; damnent nostra, sed Scripturis, eisdemque sua probent; tantum sinant ab Ecclesiis et nostra legi, ut possint Christiani, quorum iudicium est, omnibus probatis, bona amplecti; neque damnent, quae esse Christi in nobis inficiari non possunt, ob hoc dogma: nos id vicissim facturos, orantes, ut nos tandem Dominus in unitatem spiritus adducat. Equidem certo scio, si tantum Tua et *Oecolampadii* possent passim legi, brevi videremus paucissimos Christianos a partibus adversariorum staturos.

Quid *Capito* et ego cogitaverimus de responsionibus vestris ad prologum *Lutheri*, ad *Oecolampadium* perscripsi. *Capito* noster fere luscus factus est; quod illi immissum est, ne nimium lasciviat, mire alioqui petulans et a cruce alienus. Vix vidisti hominem, cui plura accidant. Equidem soleo illi dicere, multo carissimum ipsum Deo esse, quem tot tamque variis flagellis caedat. Salutant Te fratres. In Domino vale cum tuis et saluta nostro nomine *Pellicanum*, *Leonem*, *Myconium* ac reliquos. Vale iterum atque iterum. *Argent.* IX Iul.

M. Bucerus, tuus.

LX.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO

Gratiam et pacem per Christum. Non est, frater carissime, quod hostium metu, minus aperte, quae opus, literis commendemus, sed interim consentiamus, ut Dominus docuit, adversariis, ne illi negotium facientes iudici tradant, et impediatur Evangelii cursus, ut salutationem in via discipulis vitare, ita et nobis supervacaneas literas non scribere consultum. Et iterum nihil nobis formidabile, sicubi postularit usus, quandoquidem et mors lucrum nobis erit. Neque Tu aliter in gratissimis literis tuis admones. Responsum est τοῖς ἡμῶν πρεσβεῦσι. Exemplar [1]

Lutheranae, Praepositus ac Professor Theologiae Vitebergae. Lutherum Wormatiam comitatus est et *Marburgum* 1529, eique opitulatus in vertendis Bibliis, reformator Lipsiae, Halarum, Coburgi. Suis in ulnis expiravit Lutherus; ipse obiit 1555, ab Erasmo magni aestimatus, Melanchthoni similior quam Luthero (Adami).

[1]) Actorum Disputationis Badensis.

a scriba *Lucernano* opinor, in ordinem redigendum et comitiis proximis cum antitypo conferendum, per nostrum notarium, et sic communicandum. De auferendis autem Novis Testamentis nihil audivi quod decretum, et proinde parum amice exceptus est libellus, quo contra *Fabrum* id cavere studes; id quod pridem intellexisti. [1] Optime placet, ut commonefiat Ecclesia, quid sibi liceat in iudicandis dogmatis. Sed libellus tuus, in eum usum conscriptus, mihi redditus non est, quem fac ut quamprimum accipiam. Litteras enim tuas solas reddidit *Wilhelmus*. Porro nostri in sua perstabunt sententia, ubi in proxima venerint comitia, neque nos amovebunt officio, nondum lectis iis, quae disputata sunt. Atqui interim novo a Spirensi Comitio rumore terrentur meticulosi, et Imperiale mandatum res novaturum putant, cuius exemplar mitto. Sic Christus nunquam suos securos esse vult, quamvis non multum me movet, quae hinc inde minae; sed pusillanimi gregis, et bona ex parte ad pristinas glandes propensi, vacillatio suspiciones ingenerat. Eius itaque fuerit incrementum dare, qui plantare rigareque nos praecipit. Hunc oremus.

Scribenti haec *Cratander* fascem attulit litterarum, quas nunc simul mitto. Tu cognosces facile quid sibi velint; neque meo consilio eges. Equidem non video, quomodo, *Luthero* si non respondeatur, nos fidos Christi ministros fateri audeamus? *Bucerus* sapientissimum consilium dat, cuius ad me litterae tuis iunctae sunt. [2] Monent *Bavari*

---

[1]) Ad universos Christi fideles, Helvetios praesertim epistola, ut impium Fabri conatum, quo non recens tantumodo scriptis libris, verum etiam N. Testamenti codicibus incendium molitur, caveant. Die 30. Iunii 1526.

[2]) *Bucerus* ad *Oecolampadium*. 8 Iul. 1526. „Habes hic prologum illum galeatum (praefixum *Syngrammati Suevorum*). Sed ita nobis videtur occurrendum, ut uterque tu et noster *Zuinglius* scribatis, et uterque nostra lingua. Iactat enim *Lutherus* in illo amoeno prologo suo, quae adversus nostram fidem in libello contra Carolstadium, nempe altera parte, „contra caelestes prophetas“ scripsit, a nemine adhuc deiecta. Velim igitur *Zuinglius* scribat libellum germanica lingua, in quo amice, sed tamen graviter *Lutherum* admoneat, ne nimium sibi fidat, et agnoscat, se in hac causa non bono spiritu duci. — Tantum oro, ut sanabilem ibi *Lutherum* fingat, ac tractet ut fratrem, quem erroris quidem velit admonere, idque graviter; sed ita, ut non *Lutherus* tantum, verum etiam lectores omnes non possint non agnoscere, ex sincera tum Christi, tum eius dilectione omnia proficisci. — — In priore parte *Zuingliani* libri velim, ut *Lutheri* coniecturas refellat, crebro monens, ne velit dominari in Clerum, neve extinguere Spiritum, aut contemnere Prophetias, aut Ecclesiae iudicium sibi et suis arrogare solis, quos, ut apparet, minus possemus ferre, quam Episcopos atque Academias, et non velit ad vim converti, diffisus verbo, quod ipse, sui, hactenus fecerunt, curantes per Magistratus libris vestris interdici, cum prostent quibus libet Papistis; quo pacto prohibuerunt contra Paulum ceteros diiudicare, et dominos se fidei nostrae fecerunt. In altera parte iam nominatim solvat argumenta *Lutheri*, quae nituntur quatuor illis locis: Hoc est corpus etc. Panis, quam frangimus etc. Reus erit corporis et sanguinis etc. et: Probet se ipsum homo etc. — Nec sinat remorari se mari convitiorum et sannarum, in quo ista innatant. Urgeat autem diligenter ubique de iis ipsis verbis: Hoc est corpus meum etc. quod et veritas operum Domini et analogia fidei non sinant sensu corporali ea accipere, sicut nec

cuiusdam litterae, *Lutherum* dixisse, una opera omnibus nobis se velle respondere, ubi satis insanitum fuerit. Est et hoc specimen, cuius spiritus sit. Epistola eius ad *Rutlingenses* cum nuntio *Argentinensi* periit. Pars ea, qua nos perstringimur, descripta mecum est. Mittam illam, siquidem Tibi opus fuerit. Non enim totam descripsi. *Pirckhaimerus* minacissimus est, et probationem spiritus mei interminatur, atque turbas per me excitatas. Quid dicam? Iratus est, et terrere vult. Atqui nos spectemus, quid Dominus, ferianturque qui merentur. *Melanchthon Pirckhaimero* dixit, „nisi scripsisset, se voluisse scribere." Id quod in gratiam illius arbitror dictum.

I. Ionas scribit *Bucero:* „Adnitar pro viribus, ut de pace hic cogitetur. Incitas enim plane currentem; sed hanc doctrinam non probabimus." Vides ut omnis mundus saeviat. Sed fortissima est veritas. Cura ut *Capitonis* litterae ad Dominos Helvetios reddantur per commodos nuntios. Et quid mihi faciendum scribito. Parabo me ad scribendum, sequenti hebdomada, distincto syngrammate. *Buceri* litteras ad me mittito. Praeterea et *Christophorus* moneatur, ut maturet ea quae in *Bilibaldum.* Saluta *Pellicanum*, *Leonem*, *Myconium* et Fratres. Vale. *Basileae* XII. Iulii 1526.

Oecolampadius ὁ σώτατος.

LXI.

THOMAS A HOFEN AD LEONARDUM TREMP, BERNATEM ET AB HOC AD ZUINGLIUM.

Salutem optimamque Vobis praenuntio voluntatem, honeste, cordate, inprimis care et bone amice! Ut *Argentoratum* deveni, disputatio *Thermopoli Aargoviae* habita partim, quantum ad summam rerum pertinet, prelo exierat,[1] cuius D. Capito aliquot exemplaria Mag. Huldrico Zuingilo

illa: „Tu es Petrus," ac alia innumera. — — Ea, quam poterit, vulgariter tractet; nihil angustioris philosophiae admittens, sed ne Patres quidem, nisi obiter, citet. Semper enim adversarii nobis obiiciunt, quod rationem sequamur, et Patres homines, et quod ab istis verbis, tanquam indictis, ad alia loca dilabamur. Quare diligenter indicandum, quam impium sit, id nobis vitio vertere, quod utique nihil aliud est, quam a luce arcere, et vi detinere in obscuro. — Velit tantum *Zuinglius* — et optime haec et supra votum praestabit. Utatur eo Spiritu erga hos, pro horum ratione, quo erga *Fabrum* pro eius ratione usus est. Sed velim etiam in titulo amicam ad *Lutherum* admonitionem, ne veritati obstrepat, et confutationem „quatuor argumentorum de Sacramento contra caelestes prophetas polliceri; et mox, in praefatione ad christianum lectorem, elevare eum dissidium, quod ita velit nos Dominus probare, tum ostendere, quam invitus cum *Luthero* congrediatur; sed ita voluisse Dominum, se id facturum, ut tantum gloriae Dei studuisse videatur. Sic agere Dominum, ut soli ipsius verbo credamus, nullis hominum commentis; ut ab uno Deo et nulla autoritate humana pendeamus. Haec optamus scribi a *Zuinglio.*" (*Hott.* Hist. Eccl. VIII, 238—241.)

[1] *Thomas a Hofen*, secundus ab actis reip. Bernensis, declaraverat suum studium pro reformatione iam 1524, quum ipse et *Leonardus Trempius* con-

mittere volebat. Iam Wettingae ad Thermas tabellio prostratus est, librique et litterae, quae ferebat, ademta et resignata. In hoc legati Pagorum XII confoederatorum, postrema diaeta Thermis habita, contumeliosam epistolam ad Capitonem dederunt, isque vicissim responsum, quod ex inclusis exemplaribus videre licebit, quae una cum libello disputationis ad Vos mittebam. Si quid ad me missuri estis, mittite epistolam in mei Domini Lumbarti aedes, inscriptam ad *Thomam a Hofen*, habitantem apud Praedicatorem ad S. Martini, nomine *Cimprianum*. [1] Argentorati, die Lunae post Margarethae. [2]

LXII.

IOANNES GEBENTINGERUS ZUINGLIO.

Gratia et pax a Deo, amice, dilecte *Huldrice*, Magister. Scitote, meum D. *Doctorem* [3] Vobis lubenter scripturum, si non tantis negotiis esset occupatus. At tamen mihi mandavit, ut Vobis referrem, quod Senatus minor maiorque [4] decrevit, foedera cum omnibus, tum *Tigurinis* iurata fideliter et honeste conservare, sed fortiter et constanter in verbo Dei manere, neque ulli cedere inde abigenti. Nostro Senatui amplo litterae Dominorum *Tigurinorum* praeplacebant, ac brevi reddetur responsum. *Abbatiscellani* hesterno die Solis comitia habuerunt convenitque inter eos, ut neminem ad Missam cogant, neminem dehortentur, a nulla civitate sese abalienent, sed foedera fideliter teneant, nullique vim inferant, sed persistere sinant quemvis in eo, quod conscientia eius probatum habeat; verbum Dei volunt habere, idque a sacerdotibus praedicari, cuius rationem reddere queant. Concio tempestatis causa infrequens admodum fuit; nec vero infeliciter hoc accidit. Ita enim apparet, interiores quoque cohortes (Roden) meliorem mentem induere: [5] nam exteriores pridem simulacra, missam, ciboria removerunt; quibus praesentibus haec lex tanto pluribus suffragiis perlata foret Antichristo nequidquam obnitente. Hic recipitis, quod mihi nuper commodastis, apographum. Salutate ex me vestram uxorem et Nobilem *Guilielmum*, [6] si adhue est apud Vos. Meus D. Doctor Vobis mox scribet, idque nunc fecisset, si per negotia liceret. Tantum. Deus Vobis omnibus adsit. Dabam die Lunae post Margarethae. Omnia raptim. MDXXVI.

Ioannes Gebentinger, ludimagister. [7]

---

cionatorem Dominicanorum insimulassent falsi, propterea quod eius doctrina Evangelio contradiceret. Sub nomine ficto *Ant. Halieus* ipse auctor libri erat sic inscripti: „Quibus praeiudiciis in *Baden Helv.* sit disputatum," atque non agnitus a legatis Helvetiorum maximae parti disputationi interfuerat. (Bern. Mausol. et Siml. Msc.)

[1]) *Symphorianus Pollio.* [2]) Hanc, epistolam proxime sequentem et LI. haud pretium videbatur latine redditas vernaculo iterare sermone. [3]) *Vadianus.* [4]) In oppido *S. Galli.* [5]) Quoniam *Abbatiscellae* concio populi habita erat, atque exteriores cohortes (Roden), ut remotiores, per tempestatem, admodum infrequentes comparuerant. [6]) *A Zell.* [7]) *S. Galli.*

LXIII.

FRANCISCUS KOLB ZUINGLIO.

Gratia et pax a Deo Patre et Domino nostro Iesu Christo! Optime frater, congratulor veritati, per quemcunque triumphet. Pius Deus tandem ab omni seductione Antichristi nos eruat. Amen. At timeo, quod caput hoc forte serpentis non facile se sinat terere sine Christi sanguine. Nam sicut sanguinem credit, sic sanguinem sitit. Quid tuis ad Senatum nostrum expediveris scriptis, nescio; hoc certe scio, quod gravi mulcta inhibitum sit librorum venditoribus, ne apicem vel Iota scripti Tui, aut *Oecolampadii* vendant.[1] Clamant fortius contra, quam clamarunt unquam concionatores nostri: Verbum Domini, verbum Domini clarum est et simplex. Ubique est, et carnem assumsit, et secum ubique habet. Nolunt Christum hic vel ibi, nec etiam ad dextram Patris demonstrari; sed ubique. Timeo, mi frater, quod Dominus Deus valde velit confundere eos. Timeamus igitur omnes, et ne gloriemur in his, in quibus plus timere oportuit, et humiles gratias agere. Hoc mihi in omnibus nobis valde est detestabile: Clamamus quotidie, nihil innitendum Patrum vel Sanctorum scriptis, Canonicis non adprobatis, quia errarint Sancti aliquando, et errare potuerint. At nullus nostrum ullo convinci vult errore. Timeo vere futurum illud Iesaiae c. 29. Peribit sapientia a sapientibus eius etc. eo quod populus ore appropinquat, et labiis glorificat, cor autem longe est a me, dicit Dominus. Quare futurum aestimo, sicut in prima institutione Ecclesiae, quod suscitaturus sit Deus idiotas, et mundi stultos, qui confundant doctos, et in fide nos faciant unanimes. Quanto studio in pluribus locis sacrae literae frequentantur, Linguae quoque exercitantur, at, instar aedificantium Babel ubique confundimur, contendimus, et carnales invenimur. Est mirabile apud me iudicium, et in silentio secretum. Reliquum scripsi *Berchtoldo Bernensi*, quomodo degam in otio *Nurenbergae*; si mea egeat ope, me paratum esse venire ad se.[2] Esset mihi satis bene provisum cum aliis fratribus meis, quibus Domini resignarunt claustrum cum omnibus bonis. Sed quia non possum convinci, ut credam, quod multi, cogor, nescio quando, iterum destinari in exilium. Tu interim age, si quorsum mei egueris locorum. Vale. Datae *Noricae* XVII Iul. Saluta meo nomine *Leonem* cum fratribus et sororibus Christi.

Franciscus Kolb, vester in Christo.

Scripsi *Ioanni Honecker*[3] satis ardue. Epistolam non clausi, ut legas; lectam claudas, et si tibi videatur mittenda, mittas.

Inscriptio: Strenuo militi Christi *Udalrico Zuinglio*, praecipuo Ecclesiastae ad manus..

---

[1]) Hoc interdictum Norinbergae pronuntiatum est. Epistola, de qua *Kolbius* hic loquitur, sine dubio *Zuinglii* est „epistola ad celeberrimam quandam Germaniae civitatem. [2]) Revocabatur Aprili 1527 *Bernam*. [3]) *Io Honeggerus*, Scultetus *Bremgartae*, partium ibi Catholicarum, unus praesidum in disputatione Badensi. *Bullingeros* insectabatur.

LXIV.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Salve in Christo. Mitto Fabrilia,[1] frater carissime, in quibus sibi similis est versutissimus ille. Intolerabili mendacio traducit *Berchtoldum*. *Capitonis* verbum antevortere Disputationem, ut opinor, Fürkehren vertit: pervertere verkehren. Ignoro, tamen certus sum, innocentiorem illum nostrum, quam ut velit iota unicum depravari. Omnia, ut videbis, malignissime interpretatur. His artibus tale regnum firmatur. Respondi Epistolae *Lutheri*. Nunc ad Syngramma repastinandum accedo.[2] Christus assistat nobis spiritu suo. Senatus permisit, ut Typographi mea excudere possint, modo nihil periculosi contineant. *Pirkaimerum* meum expecto. Vale. XVIII. Iul.

Tuus *Oecolampadius*.

LXV.

ZUINGLIUS VADIANO.

Gratia et pax per Christum. Accepi tuas et *Gebentingeri* literas, charissime *Vadiane*, quibus vestram in Domino constantiam primum, deinde *Abtzellanorum* quoque profectum hinc capio, quod internae Tribus, quas isti *Rodas* adpellant, quae nimirum ante omnes adfuerunt, sobolescunt. Dabit Dominus incrementum isthic ubi dicebamus: Arida tellus ac sterilis est. Vos modo in Domino consistite. Haberem equidem multa, quae Te cupiam scire, sed non fert ocior tabellionis abitus, ut vel gustum exhibeam. Unum hoc in summa dico: Mendaciis geritur res ac vanis confictisque terroribus. Sed pulsat tabellio. Vale, ac salvos iube *Christianum*, *Georgium* contribulem tuum,[3] omnes. Rumor erat, Bombardalatios vestros tanquam de improviso ad nos venturos esse ad XV diem Iulii. Nihil patiantur se remorari. *Tig.* XVIII. Iul. 1526.

H. Zuinglius, tuus.

Victoriam auferent urbes, quas liberas et imperiales vocant, tantummodo ne quicquam timeant quam Dominum.

LXVI.

CAPITO ZUINGLIO.

Gratia et pax. *Fabri* libellum[4] nactus sum. Imposturam hominis nonnihil produxi in apertum per libellum, quem Senatus modo diiudicat.[5] Nam literis *Helvetiorum* moti, mihi praecipue, gravissime indixerunt,

---

1) *Fabri* scriptum: „Recens nuncius." 2) Iustum responsum *Io. Oecolampadii* in D. *Mart. Lutheri* expositionem de Sacramento, cum brevi refutatione syngrammatis aliquot praedicatorum in Suevia de verbis Coenam Domini attinentibus. — Oro audientiam. 1526. Basileae apud *Thomam Wolfium*; eodemque anno apud *Froschoverum* Tiguri 1to. 3) *Vadianum*. 4) Recens nuntius. 5) Relatio et explicatio recentis nuntii et mirabilis revelationis, quam *D. Io. Faber* nuperrime indagavit.

ne vel literas de hac re, neque ad *Helvetios* neque ad Principes, scriberem, ipsis inconsultis. *Lucernates* duram epistolam secundo in me ad Senatum nostrum scripserunt, sed exemplum mearum ad te simul miserunt. Unde mihi firmissima caussa adversus quadruplatorem illum. Adulteravit interpretatione, invertit ac detorsit glossematis omnino ad contumeliam, incitavit *Helvetiorum* in me animos, nisi fallunt me omnia, graviores illos in se propediem sensurus. Nam quae respondeo, visum est mittenda esse Pagis singulis. Ecquid tandem fidei dabunt illi, qui contra fidem publicam autor fuit, ut clausae literae aperirentur; deinde qui interpretatione periculose falsavit; tertio, qui ad calumniam vel dicta candidissima rapuit; postremo, qui literas in me Helvetiorum nomine instituit, quae duntaxat nuntiis ac latoribus mearum minitentur, et alias ad nostrum Senatum clam me, quibus accusor atrocissime et reposcor ad poenam, adeoque illis minaciores magisque vanas ad Senatum Imperii. [1] Iam, gratia Deo, vertentur rerum vices. Qui me perdere statuit, periit plane. Consecuturum me spero, ut optimi Principes sint hominem falsarium amplius non laturi in senatu atque consessu suo. Tantum vereor, ne conventus dissolvatur, priusquam ex nostris meas nugas fuero consecutus. Deinde prelum dies aliquot occupabit. Quo pacto verbum pergat, ex nuntio satis intelliges; nam coram vidit omnia. *Hessus* iuvenis plane virum agit. *Saxo* duos habet concionatores. *Marchionis Badensis* concionator agit magnifice, praeclarissime autem omnium *Hessi* Ecclesiastes. Quae modo meditentur quidam, ut futura expectata, tibi, quia nuntius hic obtigit, libenter participo: sunt enim argumentum divinae erga nos bonitatis. *Ferdinandus* et Episcopi si non desierint urgere *Caesareum* edictum, et ita perrexerint odiosissimis technis verbum opprimere, videtur foedus coaliturum inter Respublicas et Principes, nimirum *Saxonem*, *Hessum*, *Iuliac.* etc. Neque deerunt potentissimi Comites. Quae quidem admodum secreta adhuc habentur. Ceterum in literis interceptis nihil est periculi, postquam sum copiam nactus. Magis stulte fortassis, quam scelerate scripsi. Vale. *Arg.* XXIV Iul. 1526.

V. Capito.

LXVII.

ZUINGLIUS VADIANO.

Gratia et pax per Christum. Irremissam diligentiam tuam, Cl. Vir, non exosculor modo, sed etiam veneror atque demiror. *Lanius*, qui legatione ad *Abtzellanos* functus est, praedicare, cum omnium civium tuorum, tum maxime tuam liberalitatem ac munificentiam pro dignitate non potest, bonus ac incorruptus mehercule Vir. Capitur nunc consilium, quomodo sit cum *Abtzellanis* agendum, quibus Oligarchi iam aperte imperant. Poenitudo apud nostros prorsus nulla est propter quorundam

---

[1]) Legati XII Pagorum ad Senatum Argentoratensem *Thermopoli*. Vigil. Petri et Pauli. *Capito* ad legatos Pagorum XII. Argentorato 8. Iul. *Capitonis* epistola ad *Lud. Berum*, Can. Basileensem, de negotio Colloquii *Badensis*.

Pagorum repulsam. *Berna* fuit apud nos, ac *Basilea*. Ex *Spyra* ante dies quatuor nuncia habui, quod plerique Principes nolunt *Fabrum* in suo consessu ac senatu adsidere, quod hactenus fecerat, *Perdinandi* scilicet a consiliis: similes habent labra lactucas. Id quoque cum cautione creditum est, quod Tu quoque premes nisi cum es apud tacitos: Principes aliquot in hoc esse, ut si Caesareo mandato pergat urgere et contristare Evangelium *Perdinandus*, ipsi cum rebus publicis conveniant. Imo speratur, foedus confore, si, ut dictum est, nihil quam saeviatur. Cum *Abtzellanis* arbitror hoc agendum, ut non solum de Sacramento interrogentur, sed etiam de Evangelio, quo scilicet loco sint illud habituri aut quo modo defensuri. Est enim mihi spes, ubi Comitia frequentiora fuerint, posterius hoc ex abundanti accessurum esse. Tu, si posterius dissuadeas, cum datur, indica. Reddemus Te atque alios amicos protinus certiores, ubi Senatus super ea re decreverit, quo mature sciant omnia amici. Nam si honeste ad diaetam posteriorem quaestionem respondebunt nostris, iam ea fama plurimum iuvabit negotium Evangelii. Nemo enim hactenus a nostris hac in re excussus aut requisitus est. Maxime tamen apud vicinos vestros ac *Durgoios* ea fama proderit.

Rhaeti articulos puto XVIII. rogarunt ante dies decem aut duodecim, qui omnes Episcopatui ruinam conciliabunt. [1] Evangelistae isthic uxores ducunt impune. Caesar magnis pollicitationibus nititur eos ad partes suas pertrahere. Quid futurum sit, brevi sciemus. *Helvetii* non satis sunt concordes. Vale, ac salvum iube D. *Augustinum*, *Zelium*, *Christianum*, *Sebastianum*, omnes. Excuditur nunc Responsio tertia ad *Fabrum* super libello mendacissimo. *Murnerum* olim statuimus pertinaciter contemnere. V. Aug. 1526.

H. Zuinglius.

LXVIII.

ZUINGLIUS AMBR. (AUT THOMAE) BLAURERO.

Gratia et pax per Christum. Rogasti nuper (quo nuncio iam excidit) num aliquid abs Te literarum accepissem, nunc respondeo, me tum nihil accepisse; unde Tibi videndum, cui eas credideris, de quibus percontabaris. Ego nullas accepi post eas, quas cum apologia vestra mittebas cumque Epistola ad *Guilielmum*. Huic praesentium latori omnia credideris. Vir egregie bonus est, atque amicus meus minime vulgaris, quique me omnibus modis nonnunquam iuvit. Quae his *Fabro* respondemus haud dubie vidistis [2] ad ea esse, quae ipse recens

[1]) 24. Iun. 1526. [2]) Apologia Ministrorum evangelii Christi *Constantiae* adversus mendacium in eos iactum post disputationem Badenem, per *Ambros. Blaurerum* 17. Ian. in templo S. Stephani habita, in qua etiam disseritur, an sine iudicibus legitimis de rebus Christianis disputare fas sit. Hoc mendacium in eo constabat, quod ferebantur praedicatores Constantienses recusasse cum Eruditis qui per Constantiam Thermopolin profecti essent atque eadem via domum rediissent, disputare. Iudices fidei tantum eos reiecerant.

mendaciter ac calumniose in *Fabritium*, *Capitonem* atque alios confinxit. Respondet et *Capito*. Absoluta est Responsio *Oecolampadii* ad *Bilib. Bircheimerum*, sed ego nullam etiamnum habeo: statuerunt enim premere usque sub nundinas *Francofordenses*. Ex *Spyra* audio, artibus omnia per Pontificios et Imperatorios tentari, sed constantes esse *Saxonum*, *Hessorum*, *Mekelburgens.* et *Badensium* Principes cum civitatibus. Subindicatum est quiddam, quod ad profectum Evangelii faceret, si pergeret; sed hac lege, ut nulli mortalium communicem. [1] At praeest suo negotio Dominus: etiamsi Evangelium in paucos recidat Principes, nihil amplius faciet eorum ira atque persecutio, quam quorundam, qui ex *Badensi* disputatione ultima comminabantur his, qui ab Evangelio stant. Rumor ad nos perlatus est haud vanus, *Mediolani* arcem a duce *Burbonae* teneri cum *Papia* firmis *Hispanorum* praesidiis. Copias autem *Pontificis* (en tibi *Caesar* Rom. Pontificem!) ac *Venetorum* non longius a se mutuo abesse, quam quod nocturnae stationes committantur, *Helvetiorum* exercitum pone istos esse. Vale, et quae putas e re Christi et nostra esse, significa. Salutem precare *Zwikio*, quem ex crure audivimus vehementer laborare. Salvos iube *Vannium*, ceteros. *Tiguri*, XI Aug. 1526.

H. Zuinglius, tuus.

LXIX.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Christi gratiam, dilectissime frater. Qui literas reddit, mea sententia pius vir est, et ita mihi a *Bucero* commendatus. Colloquio tuo refici desiderat. Ceterum fasciculum tuum primo nuntio *Capitoni* mittam, qui et ipse *Fabrilibus* technis obviam ivit, amandaturus nuntium ad Status Imperii. Hodie et in die Laurentii psalmodiae germanicae in templo meo a plebe cantatae sunt. Praesenserunt hoc Sacerdótes ex concionibus meis eventurum, eo quod de iubilis spiritus et oris quaedam ex Psalmis dixeram ad hanc rem facientia. Unde et apud Senatum egerunt, si impedire possent, et impetraverunt edictum a Senatu, ut ostiatim prohiberetur cantus, de quo ego adhuc nihil sciebam. Verum, ut in vetitum nitimur omnes, ita ubi excusat pietas, audaciores reddimur. Frustra prohibuit Senatus. Quid inde futurum sit ignoro. Pars malorum in caput meum recidet. Quae libens feram, siquidem ferenda. Nihil a me iussum est, sed ostensa gloria Domini. Quod si Dominus coeptum hoc prosperum fecerit, rei Evangelicae plurimum profore spero. Orate Dominum pro nobis. Vale. XII Aug. *Oecolampadius.*

LXX.

CAPITO ZUINGLIO.

Gratia Tecum. Quae tu *Fabro* respondes, maiorem in modum me defendunt, et gratia Deo, quod ex coniecturis tam certum collegisti.

---

[1]) Vid. Epist. LXVI.

Hodie misi 2 Exemplaria *Spyras*, *Landtgravio Hassiae*, qui Verbum mordicus tuetur, et *Iac. Sturmio*, nobili Senatori nostro. Ii norunt hominis vanitatem, et tamen graviter obtinuit, ut ex selectis esset, qui totius Imperii necessitates dispicerent. Tu meam fortunam, nam sic loqui libet, boni consule! suo se astu ille impedivit. Duabus chartis plus detexisti technarum Fabrilium, quam ego fortassis decem. Spero fore, ut agnoscant tandem, qui sit, quo animo et qua fide agat cum gente tua et nostris *μοροσόφοις* Principibus. Nam subolescit multis fraudulentia nebulonum, et inprimis *Fabri*. Audies, opinor, iudicium Dei mirabile: deiicietur ex arce existimationis in summum contemtum. Vale, mi Domine et Frater, et quae videntur in rem nostram mone fideliter, ut soles. *Argent.* XVIII. Aug. 1526.

V. Capito.

LXXI.

PETRUS GYNORIANUS (AL. GYNORAEUS) ZUINGLIO.

Gratia et pax a Deo Patre, et Domino nostro Iesu Christo. Ei mitto ad Te, eruditissime *Huldrice*, fraterque in Christo charissime, *Eckianum* de Missae sacrificio figmentum,[1] iam recens excusum, ea potissimum, ratione, quod post *Ludderum* (ita enim toto ferme libro hominem nominat, et in hoc uno a typographis peccatum est, quod alicubi emendarint) neminem odiosius perstringat, ac crebrioribus insectetur convitiis, quam te. Sed quid non audent Thrasones illi, quo Principum aliquorum gratiam eblandiantur? O caecitatem, Cimmeriis, ut aiunt, atriorem tenebris! Quo perveniunt tempora nostra? Verum, similes habent labra lactucas. Iam si qui inter legendum occurrent barbarismi ac soloecismi, atque id genus alia *Eccianae* officinae ornamenta, quibus totus fere liber plenus est, ne nostrae hoc oscitantiae imputes velim, quod plane nihil immutare consilium fuerit; sed ut exemplar sua manu descriptum habuit, bona fide excusa sunt omnia, nisi quod *Augustanum* Senatum offendit nominatim. Ita mihi visum est, quo dictio argumento tractando probe responderet. Dispeream, si unquam quicquam ineptius legeris. Dictu mirum, quanta virulentia tractet omnia, quamque imbellibus adoriatur rem ipsam argumentis. Et ita insanire oportet lumina illa orbis. Addidi huic libellum quendam Germanicum, *Iohanne Denckio* quodam authore,[2] qui hic agit,

---

1) Ad Sigismundum Poloniae regem, de sacrificio Missae contra Lutheranos, libri 2. 1526. 2) *Ioannes Denk*, Bavarus, unus ingeniosissimorum virorum sui temporis, quem tamen phantasia iuvenilis transversum egit, ut aliquamdiu Catabaptistarum fautor et adiutor esset, atque hoc nomine partibus contrariis per odium sacrum invisus. Basileae aliquamdiu corrector apud Cratandrum et Curionem in notitiam venit *Oecolampadii* eiusque lectiones frequentavit. Oecolampadii commendatione consecutus est *Norinbergae* munus docendi, unde propter sentiendi libertatem pulsus Muhlhausium Thuringiae venit. 1528 iam decesserat de vita. In epistola ad Oecolampadium quadam

Norimbergae proscriptus, ob nescio quas factiones, homo mire pestilens ac lubricus, qui non paucos seducit, ut sunt *Augustani* curiosi. Et inter caetera dicit, Scripturam minime nobis necessariam; Daemones in fine etiam salvandos, iuxta Origenis dogma; nec ullam adhuc Ecclesiam esse; et ut in summa rem intelligas, e rebaptizatis praecipuus est. Haec partim ex eo audivi, quanquam nebulo post mutarit verba; partim ex aliis, et nominatim ex *Balthasare Pacimontano*,[1] qui mira de illo homine retulit, quam pestilentia prae se ferat dogmata. Dein, ubi ego eum Balthasarem videlicet opinabar solvisse *Augusta*, convenerant simul; quid tractarint nescio. Hoc unum me non fugit, quantumvis recantarit *Tiguri*, opinionem suam de Baptismo minime sibi displicere. Rogavit me, cum *Augustam* venerat, quo adirem secum Concionatores, quos antehac nondum salutaram, ob mutuam dissensionem super Eucharistia. Haud gravatim homini parui ob simulatam humilitatem; at ubi in congressu viderem vafriciem, et quod Te proscinderet, ac velut tyrannidis in eum exercitae insimularet, mox adserto Tuo honore hominem acriter obiurgatum reliqui, cuius rei non paucos adnumerare possem testes. Sed quicquid sit, plerosque suae farinae apud nos fere permovit, ut crederent. Sed quid attinet haec referre? Caeterum, legi proximis diebus literas e *Wittenberga Augustam* missas, quibus intellexi, *Lutherum* in Te scribere, in utraque lingua, nempe Germanica et Latina: quae res, si ita est, mihi admodum dolet, ob aemulos nostros, qui ut plures sunt, ita sane potentes. Quanquam non nesciam, Deum nostrum, cuius causam agimus, longe potentiorem, qui dissipabit consilia Gentium, et ad nihilum rediget. Vale, mi charissime *Huldrice*, ac *Petrum* Tuum Tibi commendatum habe, ac Tuis semel literis exhilara; ubi a severioribus paulum feriatus fueris negotiis. *Sigismundus Grymius*[2] plurima Te cum *Leone* nostro salute impertit. Homo ut est totus candidus ac pius, ita mire Tibi favet, ut etiam cupiat commendari. Huius unius liberalitate ego hucuque *Augustae* maneo, alioquin non unum diem mansurus, quod mei mores ac *Augustanorum* ex diametro pugnent inter sese. Proinde tu aliquando mei memineris, oro, quippe cui inurbana urbanitas ac parum festivi mores notiores sunt, quam ut depingam. *Leonem* meum plurimum meo nomine salutabis, dicasque me literas suas suavissimas recepisse; dein *Pellicanum* nostrum ac *Myco-*

---

ingenuo cum candore fatetur, ipsum errasse in multis. Necessitudo intercedebat ei cum *Ludovico Hezero*, pariter ingenioso. Reliquum est unum alterumque eius opusculum, quibus egregia sensa et cogitata iuxta cum phantasiae vagis erroribus continentur. *Vadianus* in epistola ad *Io. Zuiccium* 1510. eum his verbis depingit: „In *Denggio* illo ornatissimo iuvene omnia profecto ita erant eximia, ut aetatem etiam vinceret et seipso maior videretur. Verum ita abusus est ingenio, ut Origenis opinionem de liberandis salvandisque damnatis magno conatu defenderet." (*Hess*, vita Oecolampadii. pag. 140. Siml. Msc.) Hae literae spirant odium sectarum, eos qui nostri non sunt deformare gaudens.

1) Vide illustrationes ad Zuinglium de D. Balthasaris libro baptismali.
2) *Sigmundus Grimm*, typographus Augustae Vindelicorum, apud quem *Gynoraeus*, fortasse Corrector, habitabat.

nium. Ubi *Eckianas* legeris nugas, tu eas *Leoni* nostro communicato. Vale iterum. Tumultuarie ex *Aug. Vind.* XXII. Aug. 1526.

Vix vacabat, ut cursim relegerem, urgente nuntio.

Petrus Gynorianus, tuus ex animo.

Adiunxi tuis libellis hunc, quem *Oecolampadio* ordinavi. Tu, ut primum poteris, transmitte. Missurus quoque sum *Wolph. Capitoni* et *Bucero Argentoratum*, quare librum tuum penes te servato.

LXXII.

PETRUS CONZENUS[1] ZUINGLIO.

Gratia et pax a Deo Patre etc. Tandem et ego ausus sum *Zuinglio* aures suas molestare, quem alias in mille occupationes scio distractum. Quae fiducia eiusmodi facinoris me ceperit, ne mireris quidem. Nam tu qui sis, amplius ignorare non debeo, posteaquam *Eccium* ipsum de te verba sua resonantem audivi. Ceterum gratas tibi gratias, mi *Zuinglii*, agere debet epistola mea pro libellulo, quo nuper per equitem quendam *Bernensem* me donare dignabaris, quo, te autore et datore, iure glorior, eundemque legisse oppido operae pretium erat. Nam haec erat mihi pretiosa tritici mensura, quae equidem in tempore venit. Faxit Deus O. M. ut longaevo tempore hoc mensore fruamur. Porro in dies nunc nova fata moramur miseri *Bernates*. Nam clancularíae nunc apud nos spirant minae, quosdam scilicet *Ioakimos* brevi ostiatim disquisituros, si forte apud quempiam nostrum eius generis libellos inveniant, quorum aspergine veneranda religio nostra iamiam tam aegre pallescit. Quibus inventis ultrices flammae vel semel imponant silentium. Hic tu tibi caveto, *Zuingli*, ne qui eiusmodi farinae libelli apud nos offendantur, qui te autorem produnt, quandoquidem propter Te alioquin multi pessime audiamus, dum multi Neronum nostrorum hoc sibi iam certo persuasum habent, simplicia ingenia nostra nunc maxime per te seductum iri, esseque te unum et solum, cuius ope exitialis Christianismus ille vires sumat. At tibi nihil sint curae ranae illae (quantum ad nos adtinet): surdis enim auribus praeterimus illas. Tu semper contra audentior ito, et nos in orationibus nostris tibi nequaquam deerimus. Sed receptui cano, ne meis fabulamentis tibi bonas horas suffurer. Bene valeto. Ex *Erlenbachio* XXIV. Aug. 1526.

Petrus Conzenus, ad aram usque tuus.

Non sum scriba; ideo ignosces, scio.

---

[1]) *Petrus Kunz*, a *Schoenthal* cognomine, oriundus ab *Erlenbach* in *Siebenthal*, ditionis Bernensis, ubi ante reformationem iam pastor eam hac in valle serebat. Eum Senatus Bernensis cum *Hallero* in disputationem Thermopolin misit; 1535 subsidio seni ac debili praedicatori *Francisco Kolbio* Bernam vocatus est eique successor destinatus. Ex iis fuit, qui Buceri sequaces ad Lutheranum dogma de S. Coena adpropinquabant; ex quo inter praedicatores Bernenses lis orta. Grandaevus obiit post annum 1544. (Bern. Mausol. p. 177. sq.)

LXXIII.

HULDR. ZUINGLIUS PETRO GYNORAEO VIRO PIO AC DOCTO NUNC AUGUSTAE APUD SIGISMUNDUM GRIMIUM AGENTI, FRATRI SUO IN DOMINO CARISSIMO

Gratiam et pacem a Deo per Iesum Christum. Non potuisses animi tui in me candorem gratius probare doctissime Petre, quam pia ista sollicitudine, qua putavisti nonnihil referre ut Eccii (non dicam audacis aut mali, sed ne hominis quidem: hominem enim quid attinet vocare, qui humanitatis omnem sensum exuit?) blandimenta mature haberemus. Temporis enim occasio summa est. Debemus tibi pro ista opera plurimum; non hercle quod animus sit homini impiissimo occurrendi, qui sic ebrius est, aut forsan epilepticus, ut in medio sermonis curriculo sibi excidat. Id quod vel uno isto patet exemplo, quod primo intuitu deprehendimus, (Solemus enim, quum vel non vacat, vel piget librum a carcere ad metam percurrere, ad catastrophan aut epilogum converti) quod ante finem libri de sacrificio Missae ad hunc modum posuit: Sed has ventositates haereticorum non pertimescamus. Nam non opus erat iactatores illos trilitteros Hebraeos (dispeream enim si *Zuinglius* duas primas lineas Bibliae noverit secundum idioma linguae Hebraeae, quam ita tumide iactat) secundum Hebraicam veritatem legi in Genesis, quod protulerit vinum et panem: nam et Bybliae nostrae Latinae omnes sic habent. At vero Melchisedech rex Salem proferens panem et vinum: erat enim sacerdos Dei altissimi etc. Vide primum quot hic barbarismi ac soloecismi in tam brevi sint oratione, quibus liquido deprehendimus hominem nullam grammatices partem non ignorare, tam apud Graecos quam Latinos. Deinde cur obmisit istum infinitivum, qui necessario sequeretur hoc verbum: opus erat. Postremo in Genesis oblitus est: libro. Taceo ventositates, litteras, Byblia, Bybliae, per y. Quae audio non admissa esse chalcographorum oscitantia, sed autoris ignorantia. Quod autem ad meam Hebraicarum literarum inscitiam pertinet, ego mihi eam nunquam sumpsi; nec graviter, credo, quisquam feret inscitiam adeo peculiarem omnibus ac familiarem obiici. Quanto iucundius esse putas, cum nobis tam sinister et ater homo inscitiam eius rei obiicit, ad quam ipse nondum sic pervenit, ut iudicare possit? Postea quid opus erat ob tam insigne mendacium tam imprudenter sese diris devovere, quod nesciam duas primas lineas (tametsi ipse nesciat quid sit linea, *μῆκος* videlicet *ἀπλατὲς*, ut Gellius habet; qua voce indoctissimus Onager pro versu est usus) Bybliae secundum Hebraicam veritatem, quum interea potuerim usque ad quartum etiam versum proficere, postquam didicit me adeo rudem esse huius linguae? Perspicuum fit hac deieratione, quod omnes isti mentiuntur, qui dicunt Eccium, quum apud congerrones suos sit absque aliis arbitris, solere quoque non modo pontificem Romanum, sed Romam ipsam vilipendere. Nam nisi speraret umbram suam, posteaquam emigraret, Romani pontificis beneficio servari, non temere diceret: Dispeream, si *Zuinglius* noverit

duas lineas; sed maturius deliberaret, antequam adeo periculosae devotioni sese dederet. Sed haec interim ioco tecum. Quae sequuntur, seria sunt; ideo cave μειδιάσῃς. Quum disputatio *Baden* est habita, in qua tam nobiles fuerunt doctores, ut etiam Lusciniae [1] nomen habere nonnulli sint digni: sic est consessum, ut quidam, qui τῇ ανθρωπότητι του μετώπου καὶ βαθύτητι του πώγωνος Heliam referret, vita vero Luciani Lapitham, non longe sederet a *Fabra* isto, qui specie ac moribus hoc suggerere potuit quod dicitur; et quod de Helia scriptum est, videlicet quod corvi eum paverint; ut barbatus Helias, Faber Corvus videretur. Cumque aliquando *Eccius*, qui in suggesto nescio quas moles verborum volutabat, in Hebraicarum literarum mentionem incidisset: Quid, inquit, *Oecolampadi*, Hebraicas voces iactamus? Adeo dudum didicimus Hebraice loqui, ut ferme dedidicerimus. Ac simul magnum codicem ante se habens, stridet quiddam Hebraicum; si vultis dicam etiam Graece ac Latine. Hic non forte fortuna quidam aderat, cui semper suspecta fuit *Eccii* complicumque procacia, qui tum non longe ab Helia et a Corvo sedebat. Cumque Hebraicam istam, Graecoquelatinam cantilenam finiisset *Eccius*, ac librum e suggesto demitteret ad manus Corvi, ratus ille noster quod res erat, nimirum esse glossis, ut vocant, interlinearibus fartum: occurrit, officiosus futurus scilicet, ut librum exciperet, ac in struem librorum (quam isti tantam habebant, ut decem lacertosi baiuli aegre simul tollerent) reponeret. At obstitit *Faber*, ac librum clausit. Annuit ergo Petrus iste formidolosus (erant enim omnia metu plenissima) discipulo isti, qui notus erat pontifici, ut sumptum librum adperiat. Obtemperat homo, librumque explicat. Ibi adparuit insignis ista promptitudo *Eccii*. Fuit enim exemplum Hispanicum, [2] quod ipse nondum vidi, habens Hebraica, Graeca et Latina, sic unum alii imposita, ut nobis olim pueris Catonis moralia Germanica expositione intra versuum spatia posita circumferebantur. Sic deprehendit bonus iste vir doctissimorum doctorum promptitudinem, quam nostri mirabantur perinde atque pueri Iunonis avem. Vides hic cur merito ignorantiam nostram *Eccius* exibilet. Loripedem enim rectus deridet, Aethiopem albus. Ipse enim sic trilinguis est, ut omnes treis legere possit, ac sese coram rudibus doctissimum praedicare, non praestare. Noluit enim, vehementer a Senatu nostro invitatus fide publica, *Tigurum* ante biennium venire, ac nobiscum conferre. Sed nunc *Baden* scribit nos venire noluisse; non alia puto causa, quam veritus, ne ipsum Graece sibilantem aut Hebraice stridentem intelligeremus. *Baden* arbitratus est se nactum esse, qui ad precationem eius possent dicere Amen. Sed iam ab his seriis ad alia transeamus. Hoc tantum addito, quod *Berna*, *Glarona*, *Basilea*, *Scaphusia*, *Abbacella*, et *Sanctogallum* nihil sciunt de commendatitiis istis, quas domum retulit ad Baioariae regem. Arbitror aut nec reliquos pagos, nisi forte paucos, aut certos saltem homines. [3] *Balthasar* iste, de quo

[1]) Ad *Othmarum Luscinium* pertinet, Canonicum ad S. Marci *Augustae Vindelicorum*, acerbum calumniatorem reformationis, qui disputationi *Thermopolitanae* interfuit. [2]) Sine dubio Complutensis editio. [3]) Litterae commendatitiae nomine Pagorum duodecim datae sunt 8. Iunii. Pagi quinque sibi sumunt, ut omnium nomine suo consilio agant.

nonnulla per epistolam, sic egit apud nos. Elapsus ex oppido *Valdshuot, Tiguri* apud viduam quandam subiit. Senatus ubi id rescivit, suspicatus hominem idem monstrum aliturum, quod reliqui Catabaptistae, eoque clam in urbem irrepsisse, stringi hominem iubet, ac in praetorio libera custodia servari. Post tertium vero, quartum, aut nescio certo quem diem, iubet subito *Engelhardum, Leonem, Myconium, Sebastianum, Megandrum*, alios, et me adesse. Ubi venimus, exponunt qui e Senatu ad hoc constituti fuerant, quomodo *Balthasar* dudum literas ad se dederit, quibus polliceatur se *Zuinglium* suis scripturis superaturum de baptismo. Quid multa? Congredimur. Ibi obiicit caecus homo, quod ante annos aliquot de Catechumenis docendis tradideramus in libro sexaginta septem Conclusionum. Non enim intellexerat nos isthic in hoc esse, quod pueri etiamnum aeque atque olim fidei rudimenta doceantur. Quod ipse ad baptismum retulit, parum prudenter; quasi dixerim meum esse consilium, ut mos non tingendi infantes postliminio reducatur, cum ego de more imbuendi pueros fidei rudimentis locutus sim. Ubi se hac parte videret erravisse, blandulus fuit. Processimus post multam conflictationem, in qua testamentum istud perpetuum agnoscere noluit. Ventum est ad caput secundum Actorum, ex quo probavi, Christianorum liberos inter principia censos esse ad Ecclesiam. Cumque multa responsaret, ad claram atque disertam responsionem eliciebam, ut diceret, anne concederet pueros istos in Ecclesia fuisse, nec ne. At nequicquam omnia tentabam. Ibi ingenue fateor, cum et istum locum 1. Corinthiorum decimo: Patres nostri omnes in Mosen baptizati sunt, etc. admoverem, ad compellendum eum, ut agnosceret pueros contineri, etiamsi eorum nulla prorsus mentio fiat; illeque nollet dicere, vel non, vel etiam, me vehementius invexisse in hominem; sed non alia re, quam quod Catabaptismo suo miseros cives suos traxerit in dissidium, quod iam ipsos perdiderit. [1] Hoc ad magnum temporis modum ubi duravit, sic homo redargutus ac superatus artem novam orditur; postulat ut *Leo, Myconius*, et *Sebastianus* sibi dentur, ut cum illis solis conferat. Sperabat arrogans homo, istos ad se blandiloquentia sua pertracturum. At ubi neque sic videt procedere consilium, eosdem iterum impetrat, ac post multas versutias huc descendit, ut dicat se recantaturum. Id autem Senatus non cogebat, nisi non voluisset ab urbe abire: nihil enim gravius statuebat in eos, qui catabaptismi causam deserere noluissent, quam quod relegaret. Veniunt interim Legati imperatorii, postulantes hominem ad supplicium, qui eis breviter negatus est, per legem qua cavetur, ut qui ob aliquam noxam civis in nervum coniiciatur, ob eam solam reus fiat. Sic peccavit in hominem istum Senatus, defendit ab impetitione Caesaris, tanquam civem. At hic succurrit, eum fuisse in nervo, antequam in liberam custodiam sit positus. Utcunque res habeat, liber tum erat, cum congrederemur, diuque postmodum in Praetorio liber adservatus fuit. Scribitur ergo revocationis forma, non ex praescripto Senatus, aut quorumcunque, sed sua ipsius manu. Cumque

---

1) Partes Catabaptistis adversae sub finem anni 1528. Austriacis opem ferebant ad oppidum capiendum.

ipsam in templo, cui Abbatiae nomen est, praelegisset, finito sermone, quem nos ad populum habueramus, protinus abnegat revocationem coram tota concione; occasionemque dicendi se nactum esse putans, multa adducit contra baptismum infantium, et Catabaptismum munit. Hic fama constans fuit (sed ego divinationem arbitror) clam eum hoc doctum esse, quo motus aliquis fieret; spem enim habebant, me protinus absoluto sermone abiturum. Coniicitur denuo in nervum, tenetur isthic mensem, aut longius. Ibi tandem sic ait: Dicit se prorsus ignorare, quod revocationem vitiaverit, ac si aliter sit locutus, quam promiserit, se aliquid a daemone passum esse. Concinnat novam revocationem. Nos ad amicos ubique adcurrere, orare, ut misericordia homini impertiatur deturque Senatus; datus est. Offerentique sese ad palinodiam, decretum per misericordiam, ut disertam revocationem faciat, qua facta, ocius e finibus facessat. Hic ego, ego inquam, *Engelhardum*, *Leonem*, *Megandrum*, coepiscopos, adeo ac oro, ut pro homine precibus velint apud Senatum nobiscum intercedere: nam si protinus post revocationem ejiciatur, periculum imminere homini, tam ab Helvetiis nostris, quam a Caesare. Audivit Senatus preces nostras, ac post revocationem quam ex animo facere simulabat, quum nihil minus esset, spatium latendi immerenti dedit, donec occasione inventa tutus abire posset. Qua data, per Senatorem quendam, virum in Evangelio Christi fidelissimum, ablegatus est clam, ut eius abitionem ne cives quidem senserint. Vide mi Petre, quo candore simus hominem prosequuti, quaque perfidia nobis responderit. Nam ut primum Constantiam venit, apud ministros verbi sic nos calumniatus est, victoriamque suam de Catabaptismo iactavit, ut nesciam an nullos in odium nostri traxerit. Tam incauti sunt quidam ad hypocrisis deprehensionem. Nos omnia dissimulavimus. Abiens bonos istos viros sic movit, ut decem aureis eum donaverint; quum ipse plus auri secum aut cum uxorcula habeat, quam omnes isti argenti. Sic abutuntur nostra simplicitate, qui pietatis simulatione quaestum faciunt. Verum quod homo iste usque adeo me proscindit, mirum non est: vidit enim ab initio nos ab illius animo ac moribus abhorrere. Nos dexteritatem spectamus in homine, ac mediocritatis studium; in eo autem homine (falli cupio) nihil quam immoderatam rei gloriaeque sitim deprehendisse visus sum ipse mihi. Proinde susque deque facio, quicquid iste in aurem aliis de nobis susurret. Hoc certe dubium non est, eum Comici istud impleturum esse: Hac non succesit, alia adgrediamur. Extinguat omnipotens coelesti rore hunc aestum gloriae, qui in cordibus quorundam fervet. De eo vero, qui contra nos tam Germanice quam Latine scribere *περὶ τῆς ἐυχαριστίας* dicitur,[1] puto te parum esse sollicitum: nulla enim in re possumus certiorem nobis polliceri victoriam. Nolunt quidam fellis impatientia patientiam nostram ferre, quam tot petiti contumeliis satis arbitror piis omnibus probavimus, ac non aliter, quam foeminae (ad quarum iracundiam cum non movearis, furunt) isti saeviunt. Incident ergo *εἰς μελάμπυγον* aliquando. Tam longam aliquando ocium nactus epistolam scribere potui, qua veterem, sed quid veterem? aeternam

[1]) *Lutherus.*

videres amicitiam nihil remisisse. *Leo* valetudinarius ferme est. Summa est inter omnes, qui vel verbo, vel lectionibus praesunt, concordia. *Pellecanus* uxorem duxit. *Collinus*, ac *Ioannes Ammianus* lectioni Graecanicae praefecti sunt, optimi doctissimique iuvenes, quos ambos tibi arbitror esse notos. *Oecolampadius* tam corpore quam animo magis ac magis valet, Deo sanctissimum hominem utrinque saginante. Augescit ubique Evangelium. Vale, ac Sigismundum patronum tuum nostro nomine salvum iube. Urbanum item Rhegium, ac admone propediem libellum nostrum de Originali peccato habiturum esse, quem ad eum scripsimus. *Tiguri*, pridie Calendas Septembris. 1526.

LXXIV.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Pax Christi Tecum, mi frater. Non est, quod nos perturbet obsistentium nobis ferocia. Annon pacem, ut praecepit Dominus, praefati sumus? Nonne de gloria Domini agitur? Quos Parentes? quos amicos? quos doctores? quam creaturam agnoscemus? Nequaquam essemus veri nepotes Phineae. Si vindicari cum mansuetudine poterit gloria Patris, non patiemur, ut immites iure arguamur. Sin zelum docebit unctio, relinquemus Spiritui suum impetum. Expectabimus tamen quidnam scripturus sit *Martinus*,[1] orabimusque ne genio suo indulgeat. Mitto hic, quae calumniis *Fabri Capito* noster feliciter respondit. Nescio, an germanica legeris, quae multo feliciora sunt. *Xylotectus* hinc migravit post festum assumptionis die 4°. (6. Aug.), christiane quidem, sed magno cum cruciatu. Saepe illum invisi aegrotantem, sed confuso sermone balbutientem aegre intelligebam; imo plane intelligebam, Christum in pectore ipsius inter dolores summos regnare. Accepit tuos libellos pro quibus gratiam habeo. In *Petri Gynoraei*, quem *Albanensem* hic dicebamus, fasciculo nihil inveni praeter libellum *Eccii*, qui qualis sit, statim et ego cognoscam. At nihil ille dabit, quod non ipsissimum referat *Eccium*. Vale. III. Sept.

Tuus *Oecolampadius*.

Hic tibi commendari cupit, qui literas reddit.[2]

Inscriptio: Ulrico Zuinglio, Evangelii fidelissimo ministro apud Tigurinos, suo dulcissimo in Christo fratri.

LXXV.

HULDRICHUS ZUINGLIUS MICHAELI CELLARIO[3] APUD AUGUSTAM CHRISTUM PRAEDICANTI.

Gratiam et pacem a Domino. Aegrotamus (ne inauspicatum sit, oro, istud epistolae auspicium) et nos, fortissime Michael, te iam

---

1) *Lutherus.* 2) Versus, qui in originali iterum est deletus. *Siml.* 3) *Michael Cellarius*, praedicator *Augustae Vindelicorum*, qui Zuinglii sententiam de eucharistia cum parte praedicatorum ibi amplexus erat, prae metu Caesaris infesti 1530 aufugit atque cum ceteris 1531 suum repetiit locum. (Seckendorf.)

diuturno laborante morbo. Unum enim corpus cum simus, habebimus et communem omnium malorum sensum. Atque o si manus ego sim, quae omnem; sive pharmacis sive factis incantationibus, dolorem abstergere queam. Id vero cum nequeam, medicum illum, qui vere salvator et est et dicitur, obtestor, ut sanatum ministerio suo restituat; sed hac lege, ut eius voluntas, non nostra fiat. Cum enim innocentes caedimur, nostro bono fit, ut exploret Deus, an ipsum diligamus ex toto corde et ex tota anima. Quamvis, quis est innocens? cum etiam astra in eius conspectu immunda sint. Praeparat nos hac ratione Deus futurae vitae. Qui enim praesentem diligunt, futuram amittunt. Prudens ergo, nostrique boni amans, vitam istam tot amaris acerbisque miscet, ut eo propensius eam negligamus. Nam si omnia nobis ex sententia evenirent, quis non mordicus quamvis lubricam atque deciduam retineret? contra vero quis non volens ac lubens eam abiiciat, quae nunquam sine adflictione est? Sic tu, mi Michael, noli aliter tecum reputare, quam hoc ipsum momentum quo cruciaris esse disciplinam, non levem et subventaneam, quae verbis fit, et cum aura plerunque perit; sed efficacem, veram ac praesentaneam: qua docearis moriendi, mundumque vilipendendi artificium, quod supra omnem artem ac negotiationem est. Quid enim divitibus huius mundi, cum tot sese laqueis, iuxta Apostolum, implicant, aliud deest, quam moriendi mundumque deserendi artificium? hunc enim si nossent aut possent deserere, non se tam alte ipsius commerciis crederent. Docuisti alios strenue, mundum esse negligendum, adversaque mediocriter ferenda; nunc experiris, quid docueris. Facile est etiam Stoico, nedum Christiano, magnifice, dum nihil patitur, de patientia philosophari; sed patienter ferre, ea tandem est viva philosophia. Sic cogita tecum: Verbo aliquandiu voluit te Deus praeesse in Evangelio suo, at nunc rem iubet praestare. Extra periculum imbelle et suspectum est magnifice de fortitudine loqui; in ipso vero periculo constantem esse ac immotum, hoc tandem fortis est animi argumentum. Det tibi Dominus incolumitatem animi, ac pacem: Amen. Salvos iube amicos omneis nostro nomine, maxime Sigismund. Grimmium, et Petrum Gynorianum, qui nunc apud illum est. Vale, et convalesce in Domino. *Tiguri.* 17. die Septembris. Millesimo quingentesimo vigesimo sexto.

LXXVI.

CHRISTOPHORUS FROSCHAUERUS [1] ZUINGLIO.

Pax Dei Vobiscum, dilecte Magister *Huldrice!* Certiores Vos facio, bene se habere *Francfordiae* de Evangelio Vestrisque scriptis. Multa vestrorum librorum exemplaria singulatim venum dedi hominibus, qui undique anquirebant. Hoc autem vehementer desideratur in Vobis, quod non commentarios scribitis in evangelia et epistolas, nec prophetas vernacule redditis etc. Nihilque reperiebam Vobis aut *Oecolampadio*

[1]) *Christoph. Froschauerus*, Bavarus, 1519 Tiguri officinam typographicam exstruxit, in qua omnia pene scripta Zuinglii excusa sunt. In mercatu Francofordiensi multus rem feliciter gessit ac dives obiit 1564. Hanc epistolam vernaculam satis habemus latine versam prelo mandare.

adversarium praeter unum librum a *Fabro* factum,[1] quem Vobis mitto. Quod attinet ad vendendum, non malus fuit mercatus; male, autem numeratum mihi mercis pretium. Praedicator Francofordiae[2] plurimam Vobis salutem impertit. Tantum! Deus sit Vobiscum! Dabam *Francfordiae* 18. Sept. MDXXVI.

Christophorus Froschauerus.

LXXVII.

IOH. HANERUS[3] ZUINGLIO.

Gratia et pax. Multis nominibus charus es *Zuingli* eruditissime, potissimum vero, quod animum infractum adversus tot aemulorum assultus geris, atque interim nihil de indefesso adserendae verae pietatis studio remittis. Quae res etiamnum fecit, ut qualibet quaesita caussa amicitiae tuae demerendae occasionem captaverim. Verum eum se non alia hoc item tempore mihi obtulit, nisi quod communem hunc atque fidum amicum baiuli loco nactus sum, committere nolui, ut is vacuus meis ad Te literis rediret. Scripsi autem non aliam ob caussam, nisi quod cupiam, his literis obsidibus christianam atque adeo veram inter nos constare amicitiam. Feceris igitur pro tuo candore si me intra amicorum tuorum ratiocinarium admiseris. Multa sunt, mi *Zuingli*, quae magis vellem Tecum coram ac praesens commentari, quam hisce literis; curabo etiam, si ulla commoditate fieri potest, ut Te quandoque conveniam. Interim quaeso hoc feras ex me patienter, ut liceat saltem per literas te morari, et studia tua interrumpere, quoniam coram confabulari non licet. Dedi etiam ad *Oecolampadium* literas, ubi super communi vestro negotio hominem sum inhortatus, ut citra morsus ac dentem, quantum maxime per eum fieri potest, adversariis respondeat, reinque ut hactenus piis tantum agat rationibus, neque patiatur cuiusque immodestia ab hoc se instituto abduci. Idem quoque Te oro ut facias. Nam si iustis tantum argumentis caussa haec sub initium tractari coepisset,

---

1) *Fabri* christiana confutatio sex articulorum *Zuinglii* a Christo alieni, proposita in disputatione Badensi die 16 Maii 4to. Tubingae die 4. Sept. 1526.
2) *Ioannes Huner.* 3) *Ioannes Haner*, praedicator *Francofordi* ad *Moenum*, deinde *Norinbergae*, unus dignissimorum et intimorum amicorum Zuinglii. Tantum non ignotus in quinque epistolis ad Zuinglium magni ingenii et iudicii virum se praestat, liberae simul et placidae mentis. Huius opera praecipue effectum est, ut colloquium Marburgense haberetur. A Gessnero scriptum eius indicatum huius tituli: Prophetia vetus ac nova h. e. vera scripturae interpretatio de sincera cognitione Christi, deque recta in illum fide. Lips. 1541. qui liber pro eo, quod hae epistolae de auctore testantur, gravis argumenti recognituque dignus videtur. Videatur etiam eius epistola, quam eodem die ad *Oecolampadium*, quo ad *Zuinglium* scripsit. Ad *Bucerum* scripsit Decembri 1529: „Ego certe primus fui, qui *Hessorum* Principi, operas meas sollicitanti, conciliandarum partium calcar adhibui, idque sub prioribus *Spirensibus* comitiis. Interim idem hoc perpetuo agens, ut, quatenus scil. per veritatem fieri liceret, vetus in Ecclesiis concordia, bona omnium pace, coiret; verum a me hactenus et a multis mecum, quod constat, quorundam pervicaci obnitente impotentia, frustra tentatum est." (Siml. Ms.)

non in tam exosam abiisset tragoediam, de qua re alias ad Te forte commodius. Nunc scire te volo, quantum ipse mihi videre videor, adhuc multa deesse nobis, quae ad Evangelii profectum, ac sinceram Christi cognitionem ąttinent. Nam esto! hic pius multorum fuerit conatus, assecuti tamen nequaquam videntur, quo modis omnibus contenderunt, atque ut hic secreti Te mei participem reddam, nondum videmur sapientiam locuti inter perfectos. Quod si perpetuo lactis participes erimus et propemodum repuerascimus, quis mirabitur, si praedicationis stultitia perpetuo etiam offendet multos. Quomodo autem in hunc modum gentium plenitudo intrabit? aut quomodo, quod reliquum est Israel, salvabitur? Non quod crucis scandalum evacuari cupiam. Absit! Sed quod crucem sic praedicari velim, ut interim nihil decedat gloriae Dei, quin ut huius omnis honos uni deferatur Deo. Nisi enim egregie fallar, non minus crucis, quam carnis praestigiosa, verbo absit invidia, superstitione tenemur; atque ut hic me capias, stat firma Christi sententia: Caro non prodest quicquam, non solum in pane, sed etiam in cruce: non enim exaltata in cruce caro servat sed Dominus. Non enim, qui elevatam in cruce carnem videt, sed qui credit in Dominum, non perit. Sive ergo carnem quis in pane edat, sive e cruce pendentem spectet, nihil illi prodest, nisi credat; modo fides non in carnem sed in verbum velatum carne fertur. Est enim ex auditu verbi Dei, non quod nuntii ministerio nobis affertur, sed quod intra nos loquitur Deus. Habet ergo fides suum obiectum, non conditam et unitam verbo carnem, sed condens ac creans omnia verbum. Deus ergo verbum, spiritus est, qui vivificat; caro non prodest quicquam, ut quis hac vivificetur. Non enim sic data est pro mundi vita, ut nobis vita ex carne sit, sed quemadmodum legis institutiones dictae sunt sanctum mendacium: ita quoque Christi caro mundi vita, cum tamen vita non in carne, sed in verbo carnem uniente posita sit. Rectius ergo carnem vitae Sacramentum dixeris, quam vitam. Si enim Christi caro, suapte vita i. e. creata, suscitata non fuit, neque novata, sed per potentiam vivificatoris spiritus; neque in nobis certe vel vitae vel novitatis conciliatrix erit, sed qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificat quoque mortalia corpora nostra per inhabitantem suum spiritum in nobis. Consequens ergo est, carnem etiam divinam vitam nostram non esse, sed vitae mysterium. Non enim verbum sic unitur carni, ut interim confundantur Substantiae. Manet ergo carni sua mortalitas, maąet et verbo sua pariter vivacitas, unde Iohannes de *Verbo* loquens: in ipso, inquit, vita erat, Verbum scilicet designans, in quo vita erat, non carnem, quam verbum posterius induisse scribit. Proinde fidei nostrae ratio hoc habere videtur, ut verbum sit vita, caro vero vitae symbolum atque adeo assumptus ille a Deo homo. Magnum illud pietatis mysterium de quo 1 Tim. III. in fine. Non enim caro est, quae vivificat, sed vita, verbum; non sanguis, qui emundat, sed purificator spiritus, non denique assumptus homo, qui servat, sed ipse Salvator Deus. Haec videtur esse brevis quaedam verae pietatis summa, et totius Scripturae compendium. Hic enim suus constat honos Deo, sua nobis commendatur gratia, et sincera Christi cognitio nobis proponitur. Is enim, quatenus Deus est, veritas est; quatenus autem homo est, veritatis

et gratiae symbolum est. Haec, mi *Zuingli*, ideo ad praesens paucis ad Te dare volui, ut esset nobis posthac amplior super hac re commentandi opportunitas. Cupio autem, ut Tu mihi in eo mentem quoque tuam brevi prodas, ut vel tuo calculo mea probes, aut rectiora doceas, et sanae doctrinae statim sum concessurus. Haberem plura, sed quae alio tempore ad Te ibunt. Tu interim *Hanerum* nominis tui observantissimum sincere ama, et rescribe, ac vale. E Francof. XIV Kal. Oct. a. 1526.

Tuus ex animo *Ioannes Hanerus.*

Nurinbergam me conferam; eo fac mihi literae tuae per fidum aliquem nuntium destinentur. Idem ego contra facturus sum. *Leonem* et pios omnes salvos esse cupio.

LXXVIII.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Gratiam et pacem per Christum, carissime *Zuingli*. Hodie mihi oblatus est libellus iste *Strussii*, [1] turbulenti hominis, et non minus arrogantis, quam ad contentiones et disturbia nati. Suis clamoribus *Marchionatum Badensem* diu moratus est, quo minus vere agnosceret, quid de Coena Domini debeat sentire. In Te magis insanit, in me vero mitius. Ante aliquot menses, quum minaretur se scripturum, bene illi volens monui, ut alio se verteret, siquidem scribendi animus esset: nam huic provinciae impares habere humeros. Quod ille sic interpretatus est, quasi formidem ipsum. Unum in libello meo carpit, quod asseruerim, nihil novi in Eucharistia fieri, quod mentis humanae captum excedat, quod exponit, quasi panis dominicus nihil discriminis habeat a communi et vulgari pane. Declinavit tamen, ne in me scriberet diffusius, sed totus in Te vehitur. Operae pretium fuerit paucissimis illi respondere, imo non illi, sed *Marchionatui Badensi* quamprimum consulere. Pridem caverunt nimirum illius opera, ne lucubrationes nostras, sub Principatu illo, vendere liceret. Quaerendus erit aditus. Absoluti erimus ab omnibus maledictis, si ostendatur, quomodo scripturam ille contra se non dissolvat, et pro nobis stare sinat. Unde futurum, ut in ipsum omnia convitia casura sint.

Praeterea nihil hic novatur. Pestis nondum cessat. Quantum incommodi civitas ex fulmine acceperit, alii, opinor, indicarunt. Lapsum enim in turrim, in qua sulfura, salpetrae, pulveres, et alia quaedam ad belli usum pertinentia, turrim a solo funditus evertit, et cum iusta parte muri disiecit, vicinosque vindemiantes perdidit, animas opinor XVIII. Ita ut admoneamur turris Siloe. Sunt et multi laesi, et domus pleraeque in suburbio graviter vexatae. Benedictus sit Dominus in omnibus operibus suis. *Pellicanum* meo nomine saluta, et precare illi

---

1) Contra errorem importunum Mag. *Huldrici Zuinglii*, negantis veram praesentiam sanctissimi corporis et sanguinis Christi in Sacramento D. *Iacobus Straussius* etc. 1526. 4to. arcus IV. Vid. illustrationes ad Zuinglii scriptum contra *Straussium*.

felix coniugium. Quid si alius quispiam isthic, tuo nomine, impudentem *Struthionem* prout meretur dedolaret? Id mallem, quam quod ipse responderes. Expectabis enim quid *Lutherus* prolaturus sit. Vale. Basileae XXIV. Septembr. 1526.

Tuus *Oecolampadius.*

LXXIX.

CAPITO ZUINGLIO.

Gratia Tecum, carissime frater. Mala n gratiam *Bucerus* interpres *Pomerani* iniit. Nam antequam *Pomeranus* per ineptam illam epistolam, ad *Silesium* quendam scriptam, declararet, perspicuae veritati Eucharistiae se adversari, vertit hic psalterium illius, et in Ps. CXI quaedam de Eucharistia non absurda quidem illa, sed paulo obscuriora, latius quam scripta erant, explicuit; unde videtur *Pomeranus* stare pro veritate. Quae indignitas illi intolerabilis apparet, ac modis omnibus repellenda. Proinde orationem scripsit gravem ac querulam, qua reum agit suorum librorum depravatorem *Bucerum.* Ridiculam videbis tragoediam. Nam modo *Bucerus* in publicum caussam dicet, non sine Deo, opinor. Pudet me vicem istorum, qui se tantopere produnt: diminuendo nomini ac famae, crucis praedicatores timent. Non quod excusem *Bucerum*, qui stultus putavit serio scribere, quod *Pomeranus* oblique scribebat; nempe permissum esse *Bucero*, ut mutaret. Quae verba civilitatem mutuam requirebant, scilicet ut hic noster illi rescriberet: Indoctior sum, quam quod ausim vel Iota de tuis mutare; quin bene mecum agitur, si suffecero, quae dixisti prior optime latinis auribus, in Germanam ceu coloniam traducere non pessime. Istud esset candoris theologici. Iam vero rusticus noster simpliciter accipit, quae Rhetorica figura in aliud dicuntur, commutat, variat, vertit invertitque omnia, quatenus plebeium lectorem putavit referre. Atqui tum maluissem; suas sententias seorsim exposuisset lectori, sed obsequi noluit, confirmatus permissione tam sincera. Ergo apologia apologiam pariet, qua dubiis lectoribus ob oculos fumus spargetur. Videbis masculam responsionem etc. *Ioannes Rhodius* uxorem duxit apud *Frisios.* Veritas Eucharistiae passim nota est. *Turcam* felicissime pugnare nuntiant. Det Dominus, ut ea calamitas nostrorum superbiam humiliet. Fama hic est, *Badensem* Disputationem edendam depravatam praefatione ac peroratione Scribae *Lucernani.* Verum efficax veritas facile prorumpet ex stupeis eiusmodi vinculis. Catabaptistae nonnihil turbarum dant, qui brevi, ut videtur, evanescent. Neque plus habent firmamenti, quam panaceus Deus Papistarum, qui quidem in horas expirat. Nihil *Lutheri* videmus. Postquam minis et contumeliis nihil proficit, videtur se in silentium abditurus. *Erasmus* epistolam iratam ad me scripsit, cui nihil respondeo, ne senem irritare videar, qui *Wittenbergensium* frater est, et nos tanta diligentia symmystas ex albo piorum eliminavit. *Philippus* fertur non dissimulare, quod *Lutheri* acrimoniam in *Erasmum*, utpote virum optime meritum de bonis literis, parum probet. Nulla amplius ratio pietatis; bonae literae totum fundum existimationis possident.

Nos vero admirabimur eruditionem cum pietate coniunctam. Vale in Domino carissime frater. *Argent.* XXVI. Sept. 1526.

V. Fab. Capito.

LXXX.

URBANUS RHEGIUS ZUINGLIO.

Quae de peccato originali [1] nominatim mihi dedicasti, charissime Frater, magna sane animi voluptate pellegi. Libello enim exiguo, si folia spectes; sed ingenti, si rerum pondera, satis superque declarasti, sincerius Te sentire de peccato originis, quam suspicati sint quidam, quos hac Tua lucubratione placatum iri, nihil dubito. Etsi sit, quod male cautus lector et invidus calumniam rapere possit, ut est dies haec. Cum enim quaeris, an Christus universum genus restituerit, an ecclesiam tantum? respondendo antithesin facis Adami et Christi, atque operum utriusque, Teque potuisse respondere ais, tantum Christum profuisse sanando, quantum nocuerit Adam peccando; mox addis: Noluimus tamen istam sententiam proferre, quod nonnulla obstent, et non video an aliqui eam tenuerint. Haec sunt, quae prima fronte duriora videbantur; non quod de Te, viro docto et integro, quiddam sinistri suspicer; sed quod vitilitigatoribus vereor ansam praeberi calumniandi, quasi Origenicum quiddam subsit. Origenes enim hoc Apostoli textu Rom. 5. permotus, adseruit, sanguine Christi non unam tantum hominum partem, sed universum omnino genus perpurgari tandem et salvari. Iste igitur sensit, efficaciter tantum profuisse Christum, quantum obfuerat Adam, cum omnes tam homines, quam Daemones tandem salventur. Id quod Tibi multae lectionis homini iampridem librum *περὶ ἀρχῶν* Origenis legenti obviam venit. Remedium Christi etiam pro mille mundis servandis efficacissimum esse dicent; ceterum remedii participes fore eos tantum, qui credunt, credere autem nonnisi electos Rom. 8. Act. 13. Proinde universales illas ad credentes tantum referri, non ad quoslibet. Quod de filiis Abraham promissionis ratiocinaris, non displicet. Denuo legenti si quid occurrerit, quod scrupulum iniiciet, ad te perscribam. In transcursu enim atque in media turba libellum, ut primum exhibebatur, raptim legi. Verba Marci XVI. contendis non intelligenda esse absolute, sed de adultis, qui Evangelium audierunt. Cui quidem sententiae obstant nonnulla, quae iam non vacat scribere prae negotiis. Quid autem dicemus ad hanc generalem apostolicam sententiam? Non potest fieri, ut quis Deo placeat, nisi fide. Credere igitur oportet salvandum. Salvari neminem scimus nisi in Christo sit; Christo inseri non nisi fide posse arbitramur. Qui Christum non recipit, huic non datur potestas, qua filius Dei fiat et haeres. Porro in salvandis fidem propriam exigi, non sufficere alienam vel ille locus ostendit Habacuc II, 4. — Haec rapui verius, quam scripsi, urgentibus me negotiis, in loco ad scribendum minime idoneo. Proin boni consules tumultuariam scriptionem. Scribam

---

1) De peccato originali declaratio *Huldrichi Zuinglii* ad *Urb. Rhegium.* 14. Aug. 1526. 8vo.

brevi ad te fusius, charissime frater. Quod ad Eucharistiam attinet, *Augustae* nihil est periculi. Veritas triumphat, mussantibus nonnullis, sed nihil efficientibus, quippe egregie ineptientibus in re non intellecta. Vale unice frater. Saluta ex me *Pellicanum*, virum optimum, *Leonem* et reliquos Verbi ministros. — Sententia Exodi 23, 15, ut ab *Eccio* opponitur, Tibi videtur repugnare propter verba Deut. 16, 17. Fac intelligam, quid velis, quando scripsisti, oppositum potius intelligi eius quod hactenus intelleximus. *Augustae* XXVIII Sept. 1526.

Tuus, *Urb. Rhegius.*

Rana et *Agricola* boni viri sunt. Si quid peccant, non peccant malitia in caussa nostra de Eucharistia.

LXXXI.

COMANDER AD ZUINGLIUM.

Gratia et pax per Christum, carissime. Urget temporis angustia, ut vulgariter tecum loquar. Dudum Tibi scripturus eram de Communione, qua ratione Vos Tiguri cum aegrotis agatis. Nunc autem aliquando scribam necesse est, propterea quod lues apud nos ingruit. Rebamur, Coenam Domini sive Eucharistiam ecclesiasticam satis esse per annum saepius celebratam, nec privata opus esse in aedibus privatis propter aegrotos, utpote socios communitatis. Et mea quidem opinione aegrotorum communio ab excommunicatis originem trahit, qui per carnalem impiamque vitam exclusi, morte imminente, in communionem sanctorum sese receperunt et Communione testimonium confessionemque reddiderunt, ut ne pro exclusis et damnatis post mortem quoque haberentur; inde igitur esse panem moribundorum causa reconditum et inclusum, quum extra Missam consecrare neminem paterentur. Hac de causa igitur communionem totius ecclesiae flagitabam, per domos autem aegrotis nihil aliud nisi solum verbum Domini adhibere solitus consolandis et instruendis. Nunc autem praescripta veniunt Basilea et Constantia, qua ratione eucharistiam apud aegrotos peragant; haec legunt nostri, et nonnulli item quoque rem tractari volunt; sed in ecclesia nihildum constitutum. Hinc haereo in angustiis tristitiaque contrahor quadam sentiens, multo magis consentaneum Scripturis fore rationique, nulla si ageretur eucharistia privata: sic enim excommunicati multo fortius commoverentur ac terrerentur communioque religiosius obiretur. Nihilominus expectare volo consultum, si forte hac in re errem, ut meam sententiam corrigas. Deus sit Tecum, tuamque proroget vitam, nobis parvis et male peritis auxilio et consilio. *Curiae*, die 2. Octobris. MDXXVI. Tuus *Ioannes Comander.*

81.

Comander an Zwingli.

Gratia et pax per Christum, carissime. Urget temporis angustia, ut vulgariter tecum loquar. Ich hätte längst zu Dir geschrieben von

der Communion wegen, wie Ihr zu Zürich mit den Kranken Euch hieltet, und jetzt muss ich aber einest schreiben. Ursach, dass der Sterbend bei uns einbricht. Ich habe die Meinung, dass des Herrn Nachtmahl oder Eucharistia, in der Gemeind gehalten, genugsam wäre, so mans zum Iahr öfter beginge und bedürfte der gesönderten nicht in den Häusern von der Kranken wegen, so sie doch in der Gemeinsame wären. Auch ist meines Bedünkens die Communion der Kranken von den Bännigen hereingeführt, die durch ein fleischliches und unchristliches Leben ausgeschlossen, und so sie mit dem Tod angefochten, wieder in die Gemeinschaft der Gläubigen gedrungen, und mit der Communion bezeuget und geöffnet, dass sie nicht als die Ausgeschlossenen und Verdammten nach ihrem Tod auch gehalten würden; und aus dem sei herkommen, dass man das Brot den Sterbenden zu Dienst habe einverschlossen, so sie ausserhalb der Mess niemand consecriren liessen; und darum habe ich nun auf die Communion der ganzen Gemeinde gedrungen und in den Häusern bey den Kranken nichts anders, denn allein das Wort Gottes zu Trost und Unterweisung gebraucht. Ietzt aber so kommen Ordnungen von Basel und Konstanz, wie sie die Eucharistie bey den Kranken handeln, und das lesen die unsern, und wollens etliche auch haben, und in der Gemeine ist es noch nicht aufgerichtet, und stecke also in Angst, dass ich ganz betrübt bin. Denn mich bedunkte viel gemässer der Schrift und ordentlicher, man brauchte kein privatam Eucharistiam: es würde die Bännigen wohl viel härter bewegen und erschrecken, auch die Communion in grösserm Ernst behalten. Doch will ich warten auf die Bescheidung, wo ich irrte hierin, dass du mich weisest. Gott sey mit dir und strecke dir dein Leben, uns Kleinen und Uebelberichteten zum Trost und Unterweisung. Aus Chur den 2. Tag Oct. 1526.

Tuus Ioannes Comander.

LXXXII.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Gratia et pax a Deo patre, per Christum. Dilecte frater! venundatur hic blasphemiarum et maledictorum *Io. Fabri* liber,[1] qui nescio an Tibi redditus sit. Nihil impudentius usquam prodiit, planeque refert insaniae *Badensis* speciem. Quid Tibi faciundum sit, meo consilio non eges. Spiritus enim Domini suggeret. Nisi bestia illa in omnibus aulis obambularet, contemnenda foret plane. Quis enim falsario publico, tam aperte mendacia obtrudenti, animam suam crederet, nisi qui decipi velit? Ei enim diguum obtingit operculum. Porro, quum laboret in hoc, ut et ego a Te dissentire videar, et quaedam de invocatione Sanctorum a me concessa asserat in Badensi disputatione: statui, libello edito[2] ecclesiae meae rationem reddere.

---

1) Vid. epist. LXXVI. n. 2. 2) De invocatione Sanctorum *Io. Oecolampadii* in aliquot adversariorum ac praesertim Doct. Fabri futiles obiectiones responsum, pro concione dictum 1. Nov. die omnium Sanctorum. 8. Bas. 1526.

Scio enim, nos multis temporibus non dissensisse in ullis Ecclesiae dogmatis. Fortassis et alia quaedam obiter refellam, siquidem nos gratia Domini non dereliquerit, ut incommodus liber *Fabri* commodo nobis sit. Litteras ab amicis *Argentinensibus* non potui citius ad Te mittere. Vereor, obscuriores litteras *Buceri*, quam ut intelligas. Itaque ille noster, et *Iacobus Sturmius*, senator Argentinensis. Adversarius autem infensissimus est *Faber*. Vides item, quid non attentet ad perdendos nos.

Tanto impetu *Turcus* urget, et nihil curae erat Principibus, quam ut pauci quidam Evangelizantes pessundarentur. Sunt qui *Turcum* existimant a Papa adiutum et in *Hungaros* evocatum, coniecturamque habent ex moneta Romana, quae in castris Turcicis militibus dispensatur, et quod Turcicae machinae, victo *Gallorum* rege, in castris Papae repertae, et quod interceptus Papae ad *Turcum* legatus. Sed incerta illa sunt. Bella *Italica* satis docent, num pro parte Christi stet, et maxime, quod satellites eius in Evangelium Christi ita saeviunt. [1] Nondum pestis desiit, quam audio et isthuc prorepsisse. Vellem, studiosos maxime primum praeservativa non contemnere, et deinde absque metu agere. Nam hic potissimum perierunt meticulosi, et salutis suae contemtores.

Si dissuades ne *Fabro* respondeam, fac sciam; et si librum nondum accepisti, mittam. Credo autem quod primum amici miserint. *Struthioni* responsum esse aiunt, et *Carlstadium* a concionibus esse *Tabernis Rottenburg.* ad *Tauberim.* Saluta *Pellicanum*, *Myconium*, *Leonem* et reliquos fratres. Vale. Basileae 6. Octobr. 1526.

Tuus *Oecolampadius.*

LXXXIII.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Salve in Christo, mi Frater. Vitus, qui litteras Tuas reddidit et *Lutheri* puerilem libellum, *Argentoratum* profectus est. Scripsi Fratribus qui illic, ut consilium suum communicent, quod nimirum facturi sunt. Meo suffragio *Lutherum* adorieris, quo relatrante collatrant omnes, et obmutescente obmutescunt et sui. In *Urbano Regio* Augustani plerique constantiam desiderant. In enarratione XXVI. Cap. Matthaei recte se gessisse dicitur. Dominus illi ulterius assistat. *Sychardum* [2] autumo gratificatum *Fabro*, et Episcopalis cuiusdam aulae ambientem indignis praeconiis *Clementem* celebrasse. Factum poenitendum non probo. Ex Cantonibus Helvetiorum non fuerunt hic alii, praeter *Scaphusanos* et *Glareanos*, qui citra Evangelii mentionem iuramentum foederis amplexati sunt. De reliquis nihil auditur. Commendo me Tibi et Fratribus. Vale. XIII. Octobr. Basil.

Tuus *Oecolampadius.*

---

[1]) Dum *Turcae* irrumpunt in Hungariam, bellum intulit *Papa* cum sociis rege Galliae et Venetianis Caesari in Italia. [2]) *Io. Sichard*, philologus, editor Classicorum aliquot latinorum.

LXXXIV.

CASPAR MOSAGER ZUINGLIO.

Extant binae adhuc literae eodem argumento. Unis *Erasmus* gratulatur reduci regi et Galliae tandem reddito. [1] Mox in his de cerebrosa *Bedae* censura et *Sutoris* tragoedia nonnihil tractat. Alteris [2] exorat apud Parlamentum, ne *Bedae* et *Sutoris* libri vendantur. Sed quia famae et nomini tuo nihil derogant, quod ut proprium utramque habes curae mihi est, non opus esse ut transscriptas mitterem, arbitratus sum. Apud bonos et doctos, quorum non pauci sunt *Parisiis*, bene audis; a morosis, quibus nihil recti fit, nisi quod quaestum sapit, execraris. Vale. Saluta Ecclesiam Iesu Christi. Ad XVI Oct. 1526.

Casparus Mosager, tuus amiculus.

LXXXV.

ZUINGLIUS AD B. HALLERUM.

Vide, mi *Berchtolde*, quomodo perdoctos habemus hostes, et quibus artibus res ab illis geritur. Remitte, si habes amanuensem, qui describat; sin minus, retine hoc exemplum: nam fratres, qui *Parisiis* sunt, multo labore penetrarunt ad eam atque ad nos miserunt. [3]

Huldricus Zuinglius, tuus.

---

1) 16 Iun. 2) 25 Iun. 3) *Erasmus* ad Facultatem *Parisiensem*. „Salutem, Magnifici Doctores et Fratres honorandi! Equidem speravi, si pugnans adversus *Lutherum* defecissem, isthinc mihi venturas suppetias; et si hinc viribus factionis, cum qua decerto, fuissem profligatus, apud vos mihi tranquillum portum tutumque refugium. Nunc isthinc veniunt libelli amarulentiores, quam unquam scripti sunt in *Lutherum*, a quoquam vestrum. Ego ne deficerem ab Ecclesiae consortio, me ipsum apud *Germanos* ex gratissimo feci invidiosissimum. Provocavi in me *Lutherum*, quam venenatam bestiam liber eius, quem ad vos mitto, declarabit. a) Totius factionis (quae potentior est, quam quisquam credat, et in dies invalescit) fremitus, minas, convitia famosa, ac furiosos libellos iamdiu perpetior. Aggressus sum provinciam viribus meis maiorem, sed morem gero Pontifici, Caesari et Principibus. Audax facinus, praesertim in hac parte Germaniae! Quid profecerim, testantur ipsi, qui clamitant, neminem magis obstetisse Evangelio, quam *Erasmum*. — Et quasi parum esset *Lutheranorum* vim sustinere, cum *Zuinglianis*, qui in Eucharistiae negotio a *Lutheranis* dissident, bellum erat suscipiendum. Qua quidem in re non instrenuam operam nav. vi in Conciliabulo, quod nuper habitum est in *Baden*, civitate Helvetiorum. Id indicabunt liber et epistola quam mitto. Ea germanice versa fuit, recitata coram universo Consilio, et in huius urbis item Senatu. b) — Et haec pro viribus agentem, cum Vestra eruditio me sublevare debuerit, a tergo adoriuntur plusquam hostiliter *Sutores* et *Bedae*, ex quorum libris dici vix possit, quantum animorum accesserit *Lutheranis* et *Zuinglianis*. — — Quam exultant *Lutherani*, dum tales legunt libellos? — — Haec si meam tantum famam laederent, tolerabilis esset iactura; nunc confortatur causa *Lutheri* et theologici nominis odium exacer-

a) *Erasmus:* de libero arbitrio; *Lutherus*: de servo arbitrio. b) Haec epistola in Actis Disputationis Thermopolitanae arcu R r extat.

LXXXVI.
BERCHTOLDUS HALLERUS ZUINGLIO S.

Mitto hoc nuntio ad Te, carissime *Huldrice*, exemplar de quo novissime ad Te scripseram, cum quo ut agas, quatenus invulgari commode possit, tuae prudentiae committo. Peccatur siquidem in Remp. Christ., ubi haec sepulta manere debent, maxime cum passim, tum vero nostra urbe glorientur Papistae encomio ante victoriam. [1] Utcunque igitur Tibi visum fuerit, communices. Veniet ad Te *Iac. Immeli*, qui me melius omnia referet. Pestis adhuc grassatur et Scholae Magistrum e vivis abstulit. Optarem ergo virum aliquem maturum et linguarum peritum, non modo pro docenda iuventute abecedaria, sed ut nostrae inscitiae commodaret. Obtulit *Oecolampadius Marcum* quendam in Hebraeis doctissimum, *Pellicano* cognitum. Impedimento nobis erunt Oligarchae, quominus habeamus virum ad rem christianam proficuum. Pro tua igitur sollicitudine in omnes Ecclesias nos admone, ut in omnibus Dei gloriam promovere possimus. Ceterum *Trempius* noster convaluit a peste, quae et *Thomam ab Hofen* corripuit; speramus tamen, sine periculo vitae. Pastores in *Argovia* audimus omnia importune agere, adeo ut villani illis caedem et mortem minentur quotidie: alioqui non foret consultum paci publicae. Admone aliquando *Ioannem* in *Sur* et reliquos Tibi probe cognitos. *Papia* fertur misere post oppugnationem combusta, occisis omnibus militibus *Hispanis* et *Italicis*; *Mediolanum* nunc, ut audio, aggrediuntur. Interim eo devenimus ut, nolimus velimus, coronatos fastidire cogamur. Postremo quae *Benedicto* a *Brittnow* commiseram, de coena scilicet iuxta Missam erigenda, deque fundationum dispensatione, ne praetereas. Vale felicissime. Salutat Te *Franciscus*, *Tilmannus*, *Wattenwilus* ceterique omnes. Profligatus est Catabaptistae filius *Laurentii Horrutiner* ex urbe nunc denuo cum uxore, data capitis sententia, ubi ubi redierit. Gaudent Papistae, nos ab huiusmodi hominibus traduci. At in mutuam collationem consentire nolunt. Interim nos Tibi commendabis. Manda, quid velis. XVI. Oct.

Tuus ex animo, *Berchtoldus.*

LXXXVII.
URBANO REGIO, APUD AUGUSTAM CHRISTUM ADNUNCIANTI, HULDRICHUS ZUINGLIUS.

Gratiam ac pacem per Christum. Recte putavisti, excidisse nobis, doctissime *Urbane*, Origenem in hac fuisse sententia, quem ante

batur. Apud istos *Beda* me magnifice contemnit, idque facit tuto, quia non sum talis, qualem ipse fingit; qui si essem, res ipsa indicaret, quantam in orbe tempestatem excitare posset *Erasmus*. — — Somniat *Beda* profligatam *Lutheranam* factionem. Utinam esset! Tantum prooemia sunt, nescio quem finem habitura, si talibus modis res peragatur. Si vestra prudentia pernoscet, quo in statu res sint per universam *Germaniam*: me iudicaretis maiore favore dignum, quam exhibent *Sutor et Beda*. (Plura de Sutore et Beda videsis in Fuesslii Epistolarum Reff. N. IX, aut *Hott.* Hist. Eccl. T. VI. p. 605—9.)

[1]) Verosimiliter scriptum Thomae ab Hofen super Thermopol. disputatione.

omnes olim diligentissime, in his saltem quae hodie circumferuntur, legimus. Sed oblivionis haec arbitror causa fuit, quod cacodaemonibus quiddam promittere videtur, quos in rationem nostram non admittimus. Hi enim per Adamum non corruerunt, igitur nequaquam resurgent per Christum. Verba Marci synecdochica sunt, ac de iis modo intelliguntur, qui audito evangelio non crediderunt. Praecessit enim: Praedicate evangelium. Qui ergo praedicato evangelio credunt, inter beatos locantur; et contra, qui praedicato evangelio non credunt, diris mancipantur. Nequaquam hoc electioni praeiudicat. Nam et qui ad Christum veniunt, per patrem huc trahuntur: haec est electio; et qui ad patrem veniunt, ab ipso eliguntur. Sic tamen, ut per Christum, salutis pignus, ad se tandem veniant, cum eis fruendum est perpetuis bonis. Firmam enim esse oportet electionem, etiamsi, qui eliguntur, per unicum Christum adducantur. Eligi enim oportet eos quoque, qui ad Christum veniunt, et electos per eum in gloriam regni ingredi. Ipse enim est via, veritas et vita. Sic et iste locus, quod sine fide impossibile sit aliquem Deo placere, synecdochice intelligi debet, de his modo qui verbum audiunt, ac resiliunt, aut qui audiunt, ac recipiunt. Qui vero per aetatem non audiunt, his universalibus non continentur. Apud illos enim nulla est praevaricatio, cum nulla sit apud eos lex. Si vero ex Christianis prognati sunt, iam virtute testamenti filii Dei sunt; sin ex gentibus, iam nihil decernimus. Quanquam, ut ingenue fatear, mihi magis arridet ea sententia, quae virtuti mortis Christi omnium innocentium salutem acceptam fert. Sic enim paria sunt: ubi abundavit delictum, ibi exundavit gratia. Si quaeres, quomodo possint haec fieri? hoc modo. Quicquid uspiam mortalium nascitur, salvum est per Christum. Ubi vero tandem pervenitur in legis cognitionem, eaque vel negligitur vel contemnitur, iam sequitur felicitas aut calamitas aeterna. Si dicas: Quid ergo plus est Christiano, quam impio? Multo per omnem modum: primum, quod Christianis exponitur evangelium, praedicatur innocentia; dein, quod dum nos peccamus, habemus qui pro nobis advocet, quo monente ac castigante perpetuam agimus poenitentiam. Isti posteaquam a gratia exciderunt primigenia, nesciunt quomodo instaurari aut possint aut debeant. Si vero legis opus faciunt, quod in cordibus eorum scripsit Deus, iam et isti salvi fiunt. Signum enim electionis est, Deum amare ac metuere. In adultis ergo sic requiritur fides, ut ea nisi adsit frustra salus speretur; in pueris ac innocentibus etiamsi fidem non habeant, non tamen magis est eis metuenda damnatio, quae eis quorum parentibus dicebatur: Maledictus qui non fecerit omnia verba legis huius. Qui tamen salvi fiebant, quanquam legem non agnoscerent; tam abest, ut quod lex iubebat facere potuerint. Synecdochae igitur sunt huiusmodi sermones. Atque is ex istis locis unus est, qui nos morantur, ne salutem temere profanorum liberis pollicemur, tametsi non multum obstet. Nobis satis fuerit, non nimium curiosos esse: posteaquam Christianae familiae liberos sciamus vere esse redemptione filii Dei liberos. „Non adparebis in conspectu meo vacuus", interim hunc sensum habet: „Non videbuntur vultus mei frustra:" לא יראו, פני ריקם, quemadmodum in Exodo videre licet. Hac enim promis-

sione ἐπιχειρεῖ ὁ θεὸς persuadere, ut ad se veniant: nunquam enim frustra venturos. Aliquando vero istum prae se fert, quod sine munere adparere non debeant. Et hunc sensum omnes sequuti sunt, tam Hebraei quam Christiani, cum nonnihil avaritiae in recessu habere videatur. Locos istos ubique excute, et videbis nos non temere esse locutos, et vim passivi verbi hoc requirere. Tametsi non nesciam, illis nonnunquam passiva, quamvis rarissime, vice activorum, quo modo Graecis, accipi. Is ergo locus, qui est Deut. 16. „Non videbitur vultus meus frustra," magis videtur absolute, quam in consequentiam positus, cum et Hebraei Pasuk post eum habeant, quo nonnunquam etiam non in periodo utuntur, scio. Sed isto loco priorem sensum, quem diximus, videtur habere divinus sermo, ut sit sensus: Cum ad me venietis ἐν παυηγύρει, non frustra venietis; ut κατ' ἀποσιώπησιν obmittatur: Ego enim reficiam vos. Quomodo Christus loquebatur, cum diceret: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Ac dein iungatur: Quum ergo venietis, quisque munus quantum Dominus dicabit כברכת secum baiulabit. Qui ergo nihil habebat, nihil quidem adferebat, sed gratiam referebat. Haec velociter tecum, mi *Urbane!* Utinam epistolae maturiori tempus fuisset! Sed docto tibi pauca totum sunt pelagus; haustum enim si habeas, ipse iam bibis. In Eucharistiae re, gratulor vobis, te nostrum esse factum. Verum gratiam meretur novitas; brevi enim spero omnes, qui adhuc obstrepunt, tropum, qui nullo negotio videri vobis debebat, visuros esse, ac sententiae nostrae simplicitatem ac claritatem. Una est spiritualis manducatio, quo filio Dei, pro nobis delitato, fidimus, non duae; quarum altera nescio quod verborum figmentum prodimus, carnaliter, corporaliter, spiritualiter. Vale, ac constans esto! noli desciscere ad hoc seculum, quod Augustae perhibent vehementer pollere; moneque principes, thesauros omnes ecclesiae in *Turcae* expugnationem esse expendendos. In hunc enim usum aliquando colligi praetexebant Pontificii: citra enim hunc ecclesiae (iam loquor ut isti) thesaurum, non est ubi hauriatur, quo in hunc usum opus est, praesertim in Germania. 16. Octobr. 1526.

LXXXVIII.

CAPITO ZUINGLIO.

Gratia Christi. Degustato libello *Struthionis Badensis* respondendum videtur, non hominis gratia, qui hinc insolescit, sed propter caussae patrocinium, cui decsse non poteritis. Scripsit enim pro captu suo satis feliciter, i. e. in caussa desperata non pessime. Inconstantiam tibi et mutatum nomen exprobrat, qui pro Zuingli Zuinglius; et quod a me in literis ad ipsum Christi minister, apostolus et forte fidelis electumque Dei organum nominaris, id urit hominem scilicet invidiae oestro excoecatum. Loeuples ipse argumentum est respondendi. Vitae institutum et nomen commutavit: nuper factus est *Doctor Iacobus* ex Fratre *Iacobo*. Dominicalis enim fuit, et nescio quot in sectas commutatus de Censibus inconstantissime scripsit. Fac *Leo* noster libellum, qui extat, legat! inveniet contra Scripturam et publicam tranquillitatem

hominem pronuntiasse. Is *Isnacis* capitis reus agebatur ob plebem motam; precibus *Lutheri* donatus est per Principem *Saxoniae*. Moniti feruntur *Badenses*, ut sibi ab eo, tanquam a pestilentissima noxa, caveant. In *Badensibus Thermis* hac aestate quidam *Saxo*, clarus, ut aiunt, imaginibus, palam nebulonem, contumeliae caussa, vocitavit, et crimen aliquod in illum se probaturum affirmabat. Fertur turbatis agricolis dixisse: „In posterum non audietur *Dux* Hans, sed *Frater* Hans.“ (Es wird nicht mehr gelten Herzog Hans, sondern Bruder Hans.) Libellus eius de Eucharistia assentatio est: *Wittenbergenses*, quos antea lividus mordebat, demereri studet. Huius modi leni articulo forent obiicienda, tanquam fama auctore ac rumoribus vulgi didicisses; sic tamen, ne Te auctorem constitueres: nam molliores sunt, a quibus ea accepimus, quam quod testificari velint, etiamsi verissima sint. Atqui des operam, mi *Zuingli*. gravitati ac moderationi; habita ratione quid Te deceat, peragas fabulam illam. Scribitur ad me, placidum vestrum tractandi genus profuisse plurimum. Nolim tamen quiddam decedat, modestiae gratia, veritati. Praeterea libellum editum ad nos des cum literis ad Principem *Badensem*, quibus rogabis, ut ius fiat, Tua atque *Oecolampadii* publice vendendi. Nos omnia perferenda studiose curabimus. Fucus iste diu molestus non erit, quamlibet blandis officiolis quosdam sibi devinciat: nam pulchre incipit, si vera scribunt amici, demereri adversarios. Utraque sella excutietur. *Lutheri* sermones in nostro Conventu legimus in confirmationem dubitantium fratrum, quos evanidis illis rationibus abs se absterret prorsus. Quidam ex his, mediocris venae homo: Si legit, inquit, quae *Zuinglius* et *Oecolampadius* toties scripserunt, vehementer contumeliosus est; si non legit et adeo damnat incognita, superbissimus. Certe aliud dicere nequeo, quam quod hominem vehementer prodat. Tractandus est virili praesentia, sed tanquam frater, quamlibet nos tradat iratus Satanae. Ex spiritu Domini sunt, quae interim docet de gratia, lege, evangelio et id genus; ex carne autem, quae contra de miserabili pane suo destomachatur. Bile incita mens — meliora nequit. Commiseratione itaque dignus quam odio potius videtur. Age candorem praestes, veras dotes hominis agnoscas ingenue, et quid in hac caussa humanitus patiatur, ostende suaviter, et, ut soles, perspicue. Ab odiosis interim abstine, sicut de origine motorum agricolarum, de intolerabili arrogantia, et id genus. Nam omnino praestat, ut ceu sanabilem tractes. Capita tibi oculatissimo frustra indicarem, et spatio excludor. In Missam omnes machinas iterum dirigemus, quae argutissimo commento, ceu tibicine, his diebus subfulta est; ruet tamen Christo auspice. In vitia publica interim propius animadvertetur. Magistratum in dies robustiorem Dominus dabit. Exhilaravit nos maiorem in modum frater iste, ex quo de spiritu tuo eximia cognovimus, et forte augustiora coniecimus, quam referre sufficeret. Benedictus Dominus, qui det, ut isto tenore consumas. Ecquid probas, quae in *Fabrum* fabricavimus? Probasses forte, si conventus Principum de subito non desiliisset. Ea enim caussa ratio nostra tota inversa est. Fortissimum sensisset antagonistam, et erant idonei adiutores parati. Vale XVII. Octobris a. 1526. *Leonem* et fratres omnes in Domino salutes! Vicissim, si quando, ut soles, vulgaria

scripseris, omnes nostros ministros ex Te iube salvere: huiusmodi officiolis infirmi retinentur. Alioqui quae prodi nolis, privatim indices! Uxorem tuam, sororem probatissimam, ignotam licet a facie, nobis absentibus, optamus in Christi cognitione pergere, quum in Te Christo nupsisse videatur. Comministra enim est verbi, quae tali servit apostolo.

V. Capito.

LXXXIX.

OECOLAMPADIUS HULDRICO ZUINGLIO, FRATRI SUO CARISSIMO.

Salve in Christo, carissime *Zuingli*. Tametsi virulenta *Fabri* maledicentia supra modum blasphema sit, et Christianorum simplicitati nonnihil damnosa, nescio tamen an expediat, si mox ei respondeatur. Certe indignus est, quicum sermonem ullus conferat bonus. Nunc autem geminandum laborem ne suscipias. Differri responsionem operae pretium mihi videtur. Fama enim hic est, ut narrabit *Christophorus*,[1] acta Disputationis[2] edenda cum praefatione et conclusione, quarum autorem existimant *Magum Constantiensem*, Suffraganeum inquam — Summa earum est:

Praemittitur salutatio satis honesta. Deinde, in ipso limine exordii invehitur contra novos Prophetas, maxime *Lutherum*, quorum perversis doctrinis et haereticis dictis, cum Sacramentorum contemtu, prava Sacrarum Litterarum interpretatione, Conciliorum derisione, Missarum abrogatione, Confessionum, Ceremoniarum Ecclesiasticorumque Statutorum abolitione, et potissimum Sanctorum invocationis praetermissione, fidem religionemque nostram conspurcari dicit, unde seditiones, rebelliones, scandala, errores, vastitates, sanguinis effusiones etc. Conqueritur, nihil profecisse Capitum Ecclesiae Christianae, Papae et Caesaris, admonitiones, doctrinas, bullas et edicta ad emendandum *Lutherum*, qui tanta cura deterior factus sit.

Huius Tu obedientissimus discipulus diceris, qui hoc apud Helvetios, quod ille apud Saxones, egeris, *Lutherumque* commendaris in scriptis Tuis. Proinde laxis frenis, dimisso *Luthero*, Te insectatur, his quae apud *Fabrum* leguntur convitiis, brevi tamen quodam compendio. Ea propter toties admoniti sunt *Tigurini*, ut resipiscerent, qui ex Tua officina respondentes inexorabiles fuerunt, Tu quoque nullis vel doctrinis vel admonitionibus curari volueris, confugiens ad Scripturas, quas, pro capitis Tui sententia, ut Tibi commodum, contemtis omnium interpretationibus, dilaceres. Deliberantibus itaque Helvetiorum nuntiis, quo pacto huic malo occurratur, obtulerunt sese sponte, non advocati, tres illi, *Eccius*, *Faber* et *Murner*, ad convincendum Te, et petierunt sibi disputandi copiam fieri, quod concessum, et consensu quatuor Provincialium Episcoporum decretum. Promulgatus est locus diesque dictus. Invitati Episcopi cum Doctis. Multum laboratum est apud Tigurinos Tuos, ut et Tu compareres, ac alii Vestrae urbis Docti.

---

1) *Froschouerus.* 2) *Badensis.*

Iterumque post oblatum securitatis summae diploma vana excusatione venire contemsistis. Haec fere in exordio.

Deinde promittitur Disputatio edenda, ut excepta est per Notarios. Ad finem promittitur Catalogus eorum, qui vel mihi vel *Eccio* subscripserunt, et narratur fabula *Fabri*, dolentis, Tua absentia se insigni fraudatum victoria, et quomodo librum suum obtulerit. Recitatur etiam de *Murnero*, quod nuntios Helvetiorum iudices suos fecerit, etiam cum vitae periculo, et ipse quoque libellum obtulerit, in quo XL nominibus Te infamem se probaturum gloriatur. Subiicitur postremum conclusio, in qua exprobratur Tua absentia, et condemnamur nos, qui comparuimus, quod haeretica docuerimus et, quamvis victi, erudiri noluerimus; proinde mereamur haberi pro haereticis, iuxta Patrum praescripta. Ipsi autem tanquam victores decernunt quaedam, posthac inviolate servanda. Scilicet:

I. Evangelium volunt doceri iuxta Patrum sanctorum interpretationem, quatenus priscis laudatis consuetudinibus non adversetur; non obtemperantes autem puniendos.

II. Ne quis admittatur ad praedicandum, nisi ab Ordinario prius examinetur et idoneus iudicetur.

III. Ne quid in Missa et communicatione Sacramentorum, aliisque constitutionibus et consuetudinibus, utpote ieiuniis, orationibus, confessionibus, oblationibus, feriis, anniversariis pro defunctis, innovetur, sed omnia serventur ut a Patribus accepimus. Minantur poenam non confitentibus ante Communionem, et sub utraque specie communicare petentibus.

IV. Punituros se dicunt eos, qui esu carnium, vel aliorum prohibitorum ciborum, aliis sunt offendiculo.

V. Typographis lex datur, ne libros vel picturas excudant, nisi per Ordinarios examinati fuerint et admissi. Insuper nihil *Lutheranum* vel *Zuinglianum* ematur vel vendatur, vel dono detur in terra ipsorum. Praeter Praefectos constituentur observatores (i. e. proditores).

VI. Si quis eiectus fuerit ex uno Cantone propter praevaricationem in iam dictas constitutiones, idem eiectus esto et ex aliis Cantonibus, neque his, qui fugerint metu poenae, ullus apud ipsos securitatis locus sit.

Ecce, mi Frater, sapientiam mundi, quam nimirum irritabit et infatuabit Dominus. Bene spero de *Basileensibus*, quod non sint subscripturi, nisi Dominus eis totus iratus sit. Igitur, sive edantur sive non edantur acta, cum praefatione et conclusione ab illis Sanctissimis, dabitur occasio maior respondendi cum mansuetudine vehementi. Nam si acta non edentur, praetexes, Te frustra tanto tempore expectasse, ut una opera satisfacias duobus exactoribus; sin edentur, mira commoditas erit respondendi.

Mallem autem ut consuleretur, quid cum *Luthero* agendum, cuius arrogans ingenium si quo pacto esset placabile citra veritatis praeiudicium, utile foret si ei parceretur. Si enim contingeret illam praefationem edi, posset concordia sua et brevi scripto non parum iuvari piorum

causa; tametsi illi non ab homine pendeant. Quin et in actis ubique nobiscum male audit. Porro, quum non aliunde gravius periclitemur quam ab his, qui *Lutherum* sequuntur, videtur adhuc consultum congredi cum illo. Nihil enim habet aliud, quam quod perpetuo sonat: Hoc est corpus meum. Media via esset, si *Struthionem* acriter perstringeres, et mansuete in calce libri exponeres, *Martini* quoque scriptis satisfactum, quae leviter confutabuntur, si ostendatur, qualia sint. — Sed quid ego sus Palladem? Age, ut soles, viriliter, et Dominus suppeditabit servo suo virtutem multam. Vale. *Basileae* XVII. Octobr. 1526.

Tuus *Oecolampadius*.

XC.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Salve in Christo. Rogavit auctor libelli istius curarem excudendum. Porro quum hoc typographis nostris non sit commodum propter Censorum austeritatem, ne aliud dicam; indignum autem foret et noxium Ecclesiae tantorum nebulonum imposturas non detegi, qui nobis ubique gentium maxime obstant, quominus Verbum fructificet: rogo igitur, mi Frater, per Christum, cuius in hoc gloria quaeritur, ut isthic vel per *Christophorum* vel alium cures evulgari. Vir bonus est, qui scripsit, tametsi nomen suum non asscribat. Gratificemur in hoc nostris *Constantiensi* et *Frisingensi* Suffraganeis, ut vel insaniant, si emendari nolunt. Bene habe cum Ecclesia tua, mi Frater. *Bas.* 19. Oct.

Ioannes Oecolampadius, tuus.

XCI.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Salve in Christo. Intra paucos dies certiora nos opinor de *Wittembergensibus* cognituros. Expedit igitur tardius responsionem parare *Martino*, et interim orare Dominum, ut spiritu suo nobis assistat, ne quid ministerio nostro indignum agamus. In *Struthione* opprimendo quid interim utile iudicent fratres *Argentinenses*, ex *Capitonis* literis intelliges. Me nihil aliud movet, quam ut Marchionatui per Te consuleretur. Quin neque *Fabro* mox responderi velim ob caussam, quam nuper cum *Christophoro* scripsi. Quantum ex amicis expisçari licet, nostra civitas praefationi et appendici Actorum *Badensis* Disputationis non subscribet. Spero autem, quod et alios Cantones quosdam suae sententiae suffragatores habitura sit, ut inritentur per Christum impiorum consilia. Dominus spiritu suo in dies magis ac magis Te roboret. *Pellicanum* et *Leonem* saluta. Adiunxi et meas quas ab *Argentinensibus* accepi literas tuis, ut illorum animum ipse ediscas uberius. Praeterea nullo tibi opus calcare. Vale. *Bas.* 20 Oct.

Tuus *Oecolampadius*.

XCII.

HULDRICHUS ZUINGLIUS IOANNI VANNIO, CONSTANTIAE CHRISTUM PRAEDICANTI.

Gratiam et pacem a Domino. Calculum ferunt sic tecum agere, ut lecto decumbas, charissime *Vanni;* qui nos dolor haud parum adficit. Non enim ignoramus, quam acerbus sit eius *παροξυσμός*. Sed ad hunc nos modum exercet et macerat Deus: te nobile Evangelii organum ac fidele sic excarnificat, ut probet anne ipsum ex toto corde diligas; nos vero tentat, an compati sciamus membro male adfecto. Quamobrem tibi ferendo ad commiserationem flectendus est is, qui exanimat ac reficit; in cuius manu sunt omnia. Ipse enim nisi cruciatus daret nostro bono, non dixisset: Capilli capitis vestri omnes numerati sunt; neque Apostolus eius adperta nos voce certos redderet eiusdem rei, sic pronunciando: Scimus quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Atqui hoc ipsum, quod nobis feliciter illius prudentia cedit, frequenter latet, dum adhuc non est ad terminum perventum; sed *ubi* finem tenuerimus, iam tandem sentiscimus, cur quicquam fecerit. *Ipse* inter tot turbas orbis, urbis autem nostrae procellam nunc omnia concutientem, crebris etiam gemitibus pestem aut morbum aliquem oro ut mihi sit male propitius; sed nec quicquam omnia, surdo fabulam narro. Ubi vero exitus adpetet, iam per speculum et transennam videbimus quem in usum quodlibet dispensaverit. Sic et aegritudo tua tuo tibi bono infligitur; id autem aliquando scies. Haec hactenus. Monuit nuper amicus quidam, quam male audiam apud quosdam propter praevaricatores, aut potius proditores, quorum hoc seculum est fertilissimum, quasi eorum persecutio ex nobis sit, autore scilicet.[1] Quam famam si vera esset, tam abest ut deprecarer, ut etiam laudi darem ac gloriae; si videlicet huic malo exitium possem adsciscere. Quod nisi tollatur, urbi saltem nostrae exitium adferet. Sed non ad hunc modum res habet. Nos neque violenti sumus, neque tumultuosi; sed in hoc unum intenti, ne quid per seditionem ac turbam tentetur. Saluta fratres omnes, praesertim *Zuiccium*, *Blaurerum* ac *Menlishoferum;* dicitoque nos propediem, si modo exitum hoc negotium invenire potest, scripturum. Mittito prima occasione literas istas communi amico ac fratri, Guilielmo a Cella, ac quantum Dominus dat convalesce. Uxorem quoque saluta. *Tiguri*, 29. die Octobris 1526.

Vide mi *Vanni*, quid occupatissimo acciderit. Nuper hanc Epistolam inter curas multas ad Te scripseram, cumque iam signanda esset, turba Epistolarum factum est, ut copiam Epistolae *Erasmicae* aut Tibi aut forsan *Guilielmo* consignaverim. Quamvis in hoc non peccatum sit, quod *Erasmicae* Epistolae copia ad Vos pervenit, sed in isto, quod haec non simul comitata est. Boni ergo consule, quod hic admissum est. Et si forte ad *Guilielmum* dicta copia esset missa, da operam, ut quae ad eum est epistola mittatur. Sed arbitror eius Epistolam recte inscriptam esse. Vale. XII Nov.

---

[1]) Sine dubio hoc spectat *Balthasarem Hubmeierum.*

XCIII.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Gratiam et pacem a Christo, dilecte Frater. Displicuit nostris, quod reliquis fortasse arridebit. Ita bene vaticinatus es, Dominum consilia impiorum dissipaturum. Salva enim sunt hic nostra, siquidem non subscripserunt nostri Disputationi *Badensi*. *Argentini* Fratres crebro instant, ut *Luthero* respondeatur. Mitto litteras *Buceri*, fideliter admonentis, quas legito. In una re licebit excusare *Martinum*, nempe, quod vereatur, ne qua vis verbis divinis fiat, et ita aperiatur fenestra, omnia sacra semel profanandi. Alioqui non video, quomodo boni consulamus quod scripsit. Si mihi esset exemplar *Lutheri*, periclitarer utique, an obiectionibus eius respondere possem. Itaque Tu, servata modestia, scommatisque et convitiis missis, perge, et quamprimum potes apologiam matura; quod utilius fuerit, quam ineptissimo mendacissimoque *Fabro* horas collocare. Missi sunt hodie ex *Argentorato* libelli duo *Struthionis*, in quem usum ignoro; fortassis ut deprehendamus errata crassiora, et ea illi obiiciamus. Verum quid in alienis vitiis tam oculati essemus? Mitto exemplaria, quibus si non habes opus, fac, ut ad me redeant: nondum enim legi. Praeterea si libellus de Suffraganeorum imposturis a Typographo ad excudendum non suscipietur, satage, ut et ipsum recipiam. Petitur enim ab autore. Verum expediret illorum fraudes et stoliditates detegi. Qui hic in Cathedrali concionatur, licenter ineptit, et, immodica adulatione, quis sit, etiam pituitosis ostendit. [1] *Chunradum Pellicanum* in Christo resaluta. Vale. *Basileae* XXX. Octobris.

Oecolampadius.

XCIV.

AMBROSIUS BLAURERUS ZUINGLIO.

Gratia Tecum! Nunc, per cerebri gravissimum fluxum, qui me diu iam domi continet, nihil possum, mi *Zuingli*. Hoc unum Te peto, ut hunc caecum fratrem nostrum [2] cum uxorcula commendatos habeas; simul et aliis Christianis Fratribus, qui istic sunt, christianice commendes. Dices: Quin vos hos vobiscum fovetis? Certe, mi frater, non deest animus, nec nobis nec plebi; et magno dolore hinc dimittimus tam pios et sinceros homines, ad quorum ingressum nobis benedixisse videtur Christus. Sed N. noster fractus nescio quibus minis *Comitis a Sulz* ablegandos duxit, scilicet etiamnum homines magis timens, quam Deum; et nos mutare non possumus, quod is fieri decrevit. Age

---

1) *Augustinus Marius.* 2) *Io. Rebmannus*, *Thurgoviensis*, in *Waldshut* educatus, praedicator in *Klettgovia*. Comes *Rudolf a Sulz* virum crudeliter ambobus oculis privavit atque cum duobus aliis, quibus digitos mutilaverat, Waldshutum remisit. Oppido capto tympanis ac tibiis praecedentibus eductus est. Tigurum ei administranda sacra in leprosorum hospitio commisit. (Misc. Tig. II. 33 sq.)

igitur mi *Zuingli*, charitatis officium etiam nunc non illis solum, sed etiam nobis alacriter exhibe. Hypocaustulum aliquod et cubiculum ut habeant forte in vacuo coenobio; diligenter cura. Nos vicissim, quibuscunque occasionibus poterimus, Tuis olim petitionibus non segniter inserviemus. Legimus epistolam *Erasmi* ad Magistratus nostros. Mire placuit, nisi quod vehementer dolet, *Erasmi* res eo lapsas, ut nunc praesidium suum in illos tanta fiducia collocare cogatur, a quorum castris iam dudum transfugerat. Haec Domini iusta iudicia, ut se ipsos tandem vel invisi prodant, qui toti mundo imponere conantur. Subolent mihi imbellis homuncionis bellae machinae, quas miras et praestigiosas, at non itidem firmas videbimus. Nulla speratur Ecclesiae tranquillitas, quamdiu isti quidam apud Principes valent, qui Christi negotium non ex conscientia gerunt, sed suis ipsorum commoditatibus student. Vale, mi ornatissime frater. Aegre ista scripsi per adversam valetudinem. Salutant Te fratres omnes, inprimis germanus meus. Saluta *Leonem*, *Pellicanum*, *adolescentem Hieronymum*. *Constantiae*. 4 Nov. 1526.

Tuus, *Ambrosius Blaurerus*.

XCV.

HULDRICHUS ZUINGLIUS BERCHTHOLDO BERNENSIUM EVANGELISTAE S. D.

Gratiam ac pacem a Domino. Equidem, fidelissime *Berchtolde*, sic sentio verum esse, quod Paulus dicit: Dolere sibi, si quando non evangelizet; ut et mea mediocritas, si quando periculorum metu aut quorundam pigritiae fastidio capta, cessationem ac desertionem meditetur, prae eo, qui mentes excitat, ferias agere non possit. Tam abest ergo, ut pro vobis non advigilem, ut etiam si nollem nequirem. De locis autem, de quibus quaeris, ad hunc nos sentimus modum. Quod 1. Cor. 15. Paulus dicit: Quid ergo facient, qui pro mortuis baptizantur? Si porro mortui non resurgunt, quid inquam pro mortuis baptizantur? sic expedimus: Resurrectionem interdum accipi pro publica mortalium omnium coram throno Christi comparitione, de qua Matth. 25, interdum pro immortalitate animae; quae sic Hebraico more a קום surgendi verbo vel consistendi adpellatur. Ut Iosuae 7: Non poterunt filii Israël consistere ante hostes suos. Ubi Hebraei habent לקום, Graeci ὑποστῆναι, hoc est, consistere; Latini vero, stare. Sive ut resurrectio mortuorum perinde valeat atque mortuorum vita, quae alibi agitur, sive animarum duratio aut perseverantia. De Hebraismo alia quoque exempla invenies aliquando in iis adnotationibus, quas *Leo* ex ore nostro prae aliis probe excipit, tibique impartitur peculiari amico. Nolim enim quibusvis earum copiam etiamnum fieri. De re vero ipsa exemplum habes Christi, apud Matth. 22: De resurrectione vero mortuorum, non legistis quod vobis a Deo dictum est? Ubi manifestum est, Christum non loqui de carnis resurrectione, sed de immortalitate animae. Nam exemplum quod adducit de Abraham, Isaac

et Iacob, non trahit ad carnis resurrectionem, sed ad animae immortalitatem, cum ait: non est Deus Deus mortuorum, sed vivorum. Huc ergo penetrat Christus, ut probet, Abraham, Isaac, et Iacob vivere. Non enim posset hoc exemplum carnis resurrectionem probare; sed quod animae durent ac vivant, postquam corpora posuerunt. Ad hunc ergo modum occurrit Apostolus sciolis istis, qui nunc perinde atque illius tempestate prorepunt, ac dicunt, somno quodam animas sepeliri ac teneri usque ad ultimum iudicium. Quod quid aliud sit, quam animae immortalitatem negare, non video. Mos ergo erat gentibus quoque (nam et omnis ferme cura, quam nos pro mortuis gessimus, a priscis gentibus ad nos est translata) non aliter pro mortuis tingi, atque nos eorum monumenta lustrali liquore humectamus. Probat igitur ex eorum ritu, animas esse immortales. Nam si minus hoc permittant, iam contradicere publicae consuetudini, qua quidam pro mortuis sese tingant. Qui si mortuorum animas crederent simul cum corpore extinctas, non baptizarentur pro eis. Non quod Paulo probetur ista baptizandi consuetudo; sed ut adversarium suo iugulet gladio, cum se ritum observare inficiari nequit, quo se putat mortuis prodesse. Unde colligitur: Ergo mortuorum animae vivunt: estis enim pro eis solliciti. Si vero nunc dicas, videri tibi Paulum eo loci de publica resurrectione loqui: respondeo, me non inficiari, propter omnium doctorum huius loci expositionem, Apostolum de utraque resurrectione promiscue loqui, sicut et Christus Matth. 24. promiscue et de ultimo adventu suo, et de iis quae per eam aetatem, quae est inter priorem adventum eius ac secundum, eventura sunt, pleraque disserit. Ut interim non dicam, quae Paulus in hoc loco de corpore spirituali dicit, posse de anima potius quam corpore sensibili intelligi; sicut et alio loco dicit, in Christo habitare omnem plenitudinem divinitatis corporaliter. Non quod Deus sit corpus, sed quod corpus Apostolo accipiatur pro essentia; velitque dicere, per essentiam Christum esse Deum. Sicut Germanice quoque dicimus: er ists lyplich (corporaliter is est), id est, ipse vel ipsissimus est Deus. Consimilique hic modo dicat: moritur corpus animale sive terrenum, et resurgit; hoc est, vivit, mortuo scilicet terreno corpore, corpus spirituale, hoc est, ipsa animae substantia. Sed quoniam multa videntur obstare, quae isthic loci habentur, nihil temere adsero; simul etiam ne videar Manichaeis adhaerescere, qui mortuorum, hoc est, carnis resurrectionem negant. Quae tamen ex aliis probari locis posset, etiamsi iste locus de immortalitate animae tantum intelligeretur. Sed ut dixi, tutissimum est agnoscere, quod Paulus resurrectionem mortuorum in praesenti loco promiscue accipit, nunc pro publica resurrectione, nunc vero pro animae immortalitate. Quod autem nemo veterum hoc de immortalitate animae prodiderit; sed omnes per omnem hunc locum resurrectionem carnis intellexerint, efficit ut tibi liberum relinquam, quamcunque sententiam sequi. Ego autem in ista sum, quam adeo multis exposui. Veteres enim, quos ego vidi, quum in hunc locum veniunt, adparent paulo tepidius rem gerere, praeter unum *Ambrosium*, qui videtur in ista esse sententia. Sic enim super his Pauli verbis: Quid et nos periclitamur, ait: et subauditur: Nisi quia

speramus futuram resurrectionem, sicut supra memorat. Securi enim, quia post istam mortem vera vita sequetur, pericula non timent etc. Hactenus *Ambrosius*. Alios sensus, quorum hic veteres meminerunt, non est cur tibi, alias multa legenti, adsignem. Expende autem, quae dicimus, ad iustam bilancem; et videbis, non ab re in hac me esse sententia. Secundum vero locum, qui est 1. Pet. 4. talem esse putamus, quales *Porphyrius* multos esse apud *Homerum* existimat; puta non tam difficilem, ut prima fronte adparet, sed simplicem ac planum, si sermonum ac troporum schemata recte nobis perspecta sint. Ad quae dum hallucinamur, haud aliter fallimur, atque hi qui strenue quidem currunt; sed extra oleas, quod dicitur. Est autem hic eius loci sensus. Mirabuntur, ut novum et peregrinum: quid patientur gentes, cum vos non concurritis in eandem cum ipsis intemperantiae luxuriam, ac innocentiam vestram calumniabuntur ac despuent. Verum rationem reddent ei, qui constitutus est, ut iudicet vivos ac mortuos. (Quod nunc sequitur, confirmatio est, ac veluti *προσαπόδοσις*, quod Christus omnium mortalium futurus sit iudex, tam vivorum quam mortuorum). Ad hoc enim mortuis quoque adnuntiatus est (sic enim interpretanda est Graeca vox, *ἐυηγγελίσθη*,) ut iudicentur, quod ad carnem attinet, vulgari more, quo iudicabuntur omnes homines; spiritu vero per Deum vivant. Vide hic primum, Christum mortuis adnunciatum esse, quod isti interpretati sunt non pessime: Mortuis praedicatum est evangelium. Perinde enim debet intelligi, ac si nobiscum dixissent, mortuis adnuntiatus est. Quid enim evangelium praedicari aliud est, quam Christum animarum salutem advenisse adnuntiari? Sic ergo mortuis adnuntiatus est, et his qui in carcere erant, ut idem Petrus 1. cap. 3. testatur, cum mortis eius pretio captivitas redempta est, quam victor secum duxit ad superos. Et hoc est, quod in symbolo confitemur: Descendit ad inferos. Ut nervum istic comminueret, hoc est, mortis suae fructus ac vis iis quoque profuit, qui apud inferos tenebantur. Si vero nunc intra te quaeras: Quomodo igitur prodierunt? amicti corpore, an nuda solummodo animae habentes corpora, hoc est, an pura spiritus substantia? anteaquam in verba prorumpas, occupat Petrus quaestionem *κατ' ανθυποφοράν*, hoc est, per praeventionem vel occupationem, ac dicit: Iudicabitur quidem et eorum caro, qui Christo victore liberati sunt, tunc cum omnis caro iudicabitur; interea vero spiritus eorum in Deo per Christum vivunt ac laetantur. Dein vide hoc quoque, quam belle probaverit, Christum vivos ac mortuos iudicaturum, Petrus. Dixit enim, ad mortuos quoque pervenisse evangelii medelam. At simul innuit, carnem eorum non resurrexisse; consentaneum ergo esse, ut in publico carnis iudicio iudicentur; postremo, inde carnis resurrectionem hic fundari ac probari. Haec fortasse brevioribus, mi *Berchtolde*, quam requiras; sed in isto tumultu, qua fronte plura exigeres? Gratia Domini tecum. Salvum iube adfinem meum *Trempium*, *Vadivillios*, *Lupulum*, *Madios*, omnes. Nam Telemanus frater charissimus epistolam fert. *Tiguri*, 6. die Novembris. 1526.

XCVI.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Salve in Christo, carissime *Zuingli*. Certum est Disputationem impressam. *Rotwilae* vidit eam *Egmundus*,[1] notarius noster, quo usi sumus in *Baden*, et nomen suum subscriptum agnovit. Ferunt *Struthionem* revocasse in *Baden* praesente Marchione; nihil autem super ea re scripserunt *Argentinenses* fratres. *Nordlingenses Billicanus* scripsit *Bucero*, se non posse nobis repugnare.[2] *Augustani* amici scribunt, *Regium* nostrarum esse partium, h. e. Christi, idque male habere *Ranam* et *Agricolam*. Mitescit ut audio *Landtgravius*, *Francfordini* et *Vangiones* consentiunt. *Hollandini* tuam eruditionem mirantur. Interim aspergimur hinc inde et traducimur ut omnium mortalium pessimi; sed quanta non ferremus, ne a veritate abalienaremur? *Eccius* libello famoso et convitiorum pleno *Constantiensem* urbem et pientissimum *Blarerum* perstrinxisse dicitur. *Turca Pannonia* relicta et illaesis *Metanastis* retrocessit. *Hallweyda* quidam, Comes praecipuus regni *Pannonici*, qui male audit, tanquam *Turcam* abduxerit, Proceres convocat, ipse diadema regium ambiens. Eodem autore ferunt, *Syriam* et *Aegyptum* a *Turca* ad *Sophum* defecisse. Sed pauci credunt. Vanum praeterea tradunt, quod tantam crudelitatem *Turca* exercuerit, ut quidam *τῶν κρατούντων* publicis invulgant literis, quo plebs magis expilari queat. *Ferdinandus Lutheranus* non est, sed omnium templorum ac monasteriorum ad *Athesin* vasa aurea et argentea conflat, *Turcam* scilicet expugnaturus. Hic non est aliud, quod gravius me angat, quam quod Magistratus fert tam diversa hic doceri. Adversariis plura licent, quorum nos puderet. At fortasse Domino placet, ita nos exerceri. Indoctiores sunt, quam ut cum eis contendatur. Interim tamen semper suam cantilenam canunt. Proxima hebdomada tres postremos minores Prophetarum prelis commendabo. Vale. *Bas.* IX Nov. 1526.

Tuus *Oecolampadius*.

XCVII.

IOH. HANERUS ZUINGLIO.

Gratia et pax. Dedi e *Francofordo* ad Te literas, *Zuingli* eruditissime, quarum auspicio coeptam inter nos amicitiam perpetuam

---

1) *Egmundus Rybysen.* Hanc famam *Fabri* tantum libellus contra *Zuinglium* pepererat. Acta disputationis die 28. Maii 1527. a *Murnero* vulgata sunt *Lucernae.* (Siml.) Sed mirabile est, quod Egmundus in iis nomen suum se conspexisse opinabatur. 2) *Theobaldus Billicanus*, a Luthero iam 1518. in disputatione Heidelbergensi reformationis causae conciliatus iam 1522. conabatur *Wilae*, quae est urbs *Sueviae* imperialis, orationes reformatorias; expulsus autem, ac *Nordlingam* delatus, huius oppidi reformator extitit. De S. Coena ab una sententia transiit in alteram. (Gerdes. Sekendorf.)

esse volui, quibus etiam oravi, ut quam primum fieri posset, Tu contra animum mihi tuum quoque testareris, atque adeo, si non pluribus, paucis certe rescriberes. Quod cum a Te hactenus dilatum, nescio quo consilio aut eventu, video: commodum putavi Te nunc iterum monere, ut fidi nuntii copiam nactus, officium non negligas. Prodidi Tibi prioribus animum meum, vero coactius, et quasi per transennam, communicaturus cetera, quam mox prioribus meis calculo tuo occurreris. Vale. E *Neroberga* in die Martini 1526.

Tuus ex animo, *Ioannes Hanerus.*

XCVIII.

CAPITO ZUINGLIO.

Gratia et pax, carissime frater. Te ex literis amici istinc ad filium suum *τὰ ἐφ ὑμῶν γεγενημένα μαθέναι πάνυ σαφῶς λογιζόμεθα*, quae vos scire plurimum refert, ut nos affecti simus. Felicia enim candide, quibus expedit, exponuntur; adversa autem, si qua isthinc nuntiantur, commodius ferimus, *ἔιπερ ἀδελφὸς ὁ ἀληθὴς παρεξήγαγεν.* Habes igitur, dum scribis pro occasione nunc graeculam nunc hebraicam voculam, aut integras interim sententias, quibus tenebras incauto lectori, imo nasutissimo interim adversario affundes. Verum, quia interim maius est argumentum, quam quod invulgandum sit temere, huiusmodi tegere poteris, si quod scribendum in mentem veniret, notulis his adiunctis effingas quoque, non, inquam, epistolam integram, sed illa, quae intellecta, reliqua prodere possent. Quemadmodum (ex. gr. id scribo) narraturus Tibi per literas, qua spe modo alantur Papistae, sine exordio de repente scriberem. *Ἐλπίδας ὀυδὲ ὁμικρὰς, ὀυδὲ περιέργας οἱ θιε ἤδη μὲν ἔχονται.* Caussam accipe כי זוהעצד הצלכו Facile autem. liogfse *τὸν ὅλον ἀφανίσειεν.* Haec modo hic circumferunt. Sed sunt inania. Vide *καταγέλαστον Capitonem* qui sic Tecum inepte nugor! Atqui vehementer desideramus tuas, quibus nostrae Ecclesiae velut apostolus es. Neque externa illa contemnenda: quocunque enim pacto, ut Christum et publica commoda promoveamus, conandum est. Praeterea videntur hac cautione scriptae literae nihil negotii allaturae. Nomen equidem haud adiiciam, neque tu tuum. Adhaec signa eiusmodi notae videntur elementorum peregrinae linguae. Obsecro, utaris ingenio, aut hac nostra argutiola, ut interea de Te ex Te sciamus. Ceterum libellus *Fabri*, quo *Zuinglium* traducit, multis ridetur. Plerique interim hominis stuporem rident, nos interea ne legimus quidem; tantum abest, ut aliquid possimus statuere. De *Luthero* varia expectatio, qui interim friget; evanidis quidem coniecturulis adversum tantam lucem graditur. Quid nobis videatur operae pretium fore, nuper attigimus. Nuntius Λ de quo nuper, nec dum rediit; in horas exspectatur, ex quo scies omnia per nos, auspice Christo. *Πολιτίαι γειτνιῶντες* non solum persequuntur Christum, sed furiosis mandatis plebeculam adigunt ad observantiam Papisticae impietatis. Quos quidem auctores scelerum Dominus perdat. Amen. Hic alioqui satis in cursu

est Verbum Domini, melioraque in dies nobis pollicemur. Quo pacto *τηλικοῦτοι προδόται ὑμῶν τὸ δικαστήριον ἔφυγον* [1] scire cupio. Incertissima plerique affirmant, et adversarii neutiquam inclinant credulitatem in partem veriorem. Haec potes manu amanuensis tui, quem modo peritissimum habes, tutissime. Salutat Te nostra Ecclesia tota: siquidem votis celeberrimis, pro animo tuo, favorem Domini aequalem precantur, neque sane Ecclesiam agnoscimus aliam, quam quae Tecum Domino servit. Vale. XII. Nov. 1526.

Tuus, quem in Domino nosti. [2]

XCIX.

CAPITO ZUINGLIO.

Gratia et pax. Quod eadem toties moneo, carissime frater, boni consule. Cura id a me impetrat de Verbi ac fratris optimi successu sollicito, qui nihil in votis prius habeam, quam ut *Tiguri* verbum Domini per Te diu ac longissime provebatur, cum aedificatione etiam reliquarum ecclesiarum. In *Lutherum* scripturus es. Res ipsa ita fieri efflagitat. Modum ut serves, vehementer refert, ne cum furente insanias. Tota *Wittenberga* h. e. plerique, palam in *Te*, *Oecolampadium* et *nos* loquuntur acerrime. Sunt, qui illic nos fortiter defendant. Sunt rursus, qui istorum impudentia maledica ad nostras ab illis partes concedunt: quippe sciunt, falsi naturam esse, cum viribus suis nequeat, aliorum calumniis niti. Adeo depugnat *Lutherus* autoritate nacta potius, quam Scripturarum nervis. *Ph. Melanchthon* videtur nihil in vos acturus. Odit cruentas pugnas; pro sua interim vocatione, sic enim loquitur, profana potius tractabit quam ut cum tanto iurgio divinis immorari deberet. Haec a *Martino Cellario* [3] didici, qui tuum potissimum nomen, ob Christi gloriam, acerrime asserit. Habet tamen sua dogmata: illustrandam totam gentem Israelitarum ac terram Chananaeorum hic possessuros, in terrena etiam potestate praesignes, si rite hominem assequor; praestare Baptismum parvulorum eliminatum, sed usurpandum modo, dictante caritate, quae externa omnia dispensat. Et id genus quaedam. Interea tamen ad caritatem appositissimus est. Totus huc spectat, ut, summa Christi salva, mutuo nos feramus; daturum Dominum in posterum maiorem lucem gratiae. Cum *Luthero*, post multa de Eucharistia contulit, sed reiectus est repente, tanquam cum fastidio, sed citra contumeliam tamen. Libri tui et *Oecolampadii*

---

1) Captis Catabaptistis contigit, ut e carcere aufugerent. 2) *Capito*. 3) *Martinus Cellarius*, qui posterius cognomen *Borrhaus* sumsit, Stuttgardiae 1499 natus litteras didicit sub Reuchlino Tubingae; Melanchthonis amicitiam deinde iniit; in partes autem Catabaptistarum per *Stubnerum* pellectus circumvagabatur *Borussiam* ac defendebat eorum doctrinam etiam scriptis, victum parans opificio fenestrario. Mox autem perspecta in quam inciderat fraude omnem rursus industriam in studia litterarum contulit, Argentoratumque profectus aliosque inlocos tandem 1536 Basileae professoris munus impetravit, unus doctissimorum Orientalistarum sui aevi. Eius scripta sunt philosophici, mathematici, philologici, dogmatici generis.

prostant *Wittenbergae*, et sunt qui lectis subscribunt, adeoque *Lutherus* meditatur silentium, si ex animo omnia loquitur, tametsi hinc amatores suos magis inflammet. Verum plerique certum habent, organum Dei esse, et hac in caussa desipere, ut sic uni Deo gestorum gloria omnis tribuatur, qui cum talibus affectibus tantum spiritus sui donum commiscuerit. Quare operae pretium feceris, et ex re Christi, ut respondeas, sed moderatissime, neque ex primo calore. Optarem ego delineare Te, quae huius esses post alterum mensem editurus, ut refrigerato affectu, quo forte cales, ceu iudex tuam foeturam per intervallum respiceres diiudicandam. Eo quidem pacto sanissima prodiret, quae alioqui fortassis morbidum quiddam spirabit. Simili iudicio *Lutherus* non scribit, et noxiis studiis distentus est; proinde sui amorem refert, quicquid hac in re conatur. Haec scribo, mi *Huldrice*, ut ardentior de favore nominis tui, tametsi facile coniicio, id me frustra scribere, quia per Te es praestaturus, quicquid vel temperatissimum iudicium exigere potest. Qui has pertulit, mirifice Te colit, cui dare literas tam accurate efflagitanti oportuit. Hominem igitur amice interpellas. De techna Episcopi proxime scribemus: nam certam nec dum deprehendimus, aliqua tamen est, quantum exploravimus. *Argent.* XIV Nov. 1526.

V. Capito, tuus.

C.

ZUINGLIUS OECOLAMPADIO AC FRATRIBUS ARGENTINENSIBUS, MAXIME CAPITONI.

Gratia et pax a Deo. Quid, carissimi fratres, pater filio suo *Iodoco* per epistolam significaverit, equidem ignoro. At hoc scio, quicquid tandem scripserit vobis non magnopere curandum esse. Trahit enim hominem adfectus fratris, quem, ut nostrorum vitia postremi discimus, bonum aut saltem aequabilem virum esse putat, cum sit Catilinarii gregis perditissimus. Sic autem ἀφ' ἑστίας res habet. Habuerant comitia ἐν Θερμοπύλαις,[1] quibus convenerat, ut S. P. Q. *Tigurinum* denuo hortarentur, ut vel unam Missulam admitterent. Id ubi *Berniam* nuntiatum est per eum, qui legatione functus fuerat,[2] quidam candidus ac fidelis Urbis nostrae amicus, sic occurrit: Quid frustra sumitis operam? Nonne videtis in diem minus ac minus profici apud *Tigurinos*? nec immerito. Dicitur enim non modo apud istos, sed passim ac vulgo, Missam esse missam faciendam. Tum, qui Legatus fuerat: Non fuisset, inquit, istud temere a nobis decretum, si non essent *Tiguri*, qui precibus, quamvis tacitis, nos expugnavissent. Hanc vocem amicus indicavit. Quid ergo nobis, oscitandum erat? Omnia ergo circumspicientibus, videbatur ulcus istud Pensionariorum, immo proditorum ac praevaricatorum, aliquantum exulcerandum esse; maxime cum omnes liquido viderent, cuncta in Comitiis μισθοδοσίᾳ corrumpi consilia, neque hoc solum, sed etiam eadem ratione conduci μισθοφόρους, ut Evangelio resistant, quomodo principibus contra

---

[1]) *Badae.* [2]) *Casparus a Mullinen*, eques, ordinis senatorii.

patriae salutem adsistant. Adparebat etiam istud: gregem Catilinarium perpetuo concursare ac gratulari, si quid adversi passa esset Ecclesia, eosque omnes, qui in suspicione essent alienae pecuniae, pertinacissime stare contra Evangelium. Quid multa? Adparebat eos omnia facere, quae solent corrupti homines, qui lectione vobis non possunt esse ignoti, qui *Sallustios* ac *Cicerones* olim praelegistis, nobis vero non possunt non esse notissimi, qui experimur vivam proditionem. In hoc ergo statu cum res essent, et homines isti ad omnem occasionem se magis esse metuendos, quam hostes ipsos, factis dictisque omnibus probarent, fateor, constantissime invexi in proditionis flagitium, ipsumque sic admotis omnibus arietibus concussi, ut conscia pars aperte videret murum concidisse, quamvis alii, quod metus erat, iram ac indignationem simularent, alii tamen, quod res erat, aegre dissimularent. Excidit per eas orationes, non imprudenti, sed volenti, haec similitudo: Cardueles semine cannabis vivere, at non nisi trito; sic et hos patriae proditores ac misthophoros non posse testimoniis (ad quam isti ancoram confugiunt) convinci: quis enim tam stultus sit ac sui negligens, ut in tanto crimine arbitros admittat? tormentis ergo, quae per cannabinos funes, qui et ipsi torti ac veluti semen triti sunt, apud nos irrogantur, inquirendum proditorem, sed neminem esse tormentis tentandum, nisi de quo aliqua extarent indicia. Dixi quiddam me quoque in hac re scire. Hoc autem non vanus feci. Repertae enim erant literae quaedam, quas omnes putabant me ignorare, super quibus optimi quique diligenter consultabant ac clanculum; sed et aliunde pluribus tum viis, tum modis, multa didiceram. Constituitur ergo dictatura ad praesens malum, non Romanorum more, ut unus aliquis summae totius rei praeesset, sed optimates viri undecim, quibus inquirendi ac disponendi provincia demandatur. Inquiritur; inveniuntur multa tum levia, tum ardua, sic tamen, ut qui aliquando edixissent, quorum erant conscii, infitiationem meditarentur. Sic enim solet vulgus, ac tepidum illud hominum genus, quod etiam ad iudicis machaeram pallescit. Ibi *Grebelius*,[1] pater *Cunhardi Grebelii*, qui fuit Catabaptistarum coryphaeus, capite plexus est, vir nobilis ac summae apud nos autoritatis, quod a *Caesare*, *Gallo*, *Pontifice* Rom. plus mille quingentos florenos filii praetextu accepisset. Adde (quod ipse non olim arbitratus sum), quod *Cunhardi* filii eius uxor, marito ante menses aliquos mortuo, apud socerum haereditatem petivisset, quae ex triente uxoribus apud nos evenit; repulsa est a socero hac responsione, quod filius nihil peculii habuisset. Ac postmodum inventi sunt 400 adhuc aurei, quos ille nomine filii in suum receperat marsupium. Fugiunt *Grebelio* interfecto quidam alii, portis nequicquam serratis: nam patruus *Iodoci* in plaustro stercore oppleto evectus est. Sic scilicet in stercore salutem invenire debent, qui ventris stercorisque caussa patriam produnt. Laborant nunc pro reditu isti, innocentiam praetexentes, quod *Grebelius* maior fuerit, quam ut conscium se negotiorum istorum hominum faceret; quamvis hac parte imprudens fuit, quod ipsi

1) Vid. de eo Vol. I. 568. et Epist. XXVIII. 1520, et *Weissius* in *Fuesslini* symbolis ad hist. reform.

eius negotiorum conscii fuerant. Est et alius quidam, nomen est N. N. tortus, homo mancus, cui brachium sinistrum, quod dextero brevius esset, mox inter initia dissiluit, flagitioso homini ac audacissimo. Hanc remoram iniecit Dominus flagitii cumulo. Viget adhuc dictatura et inquisitio. Nos inter haec omnia ad constantiam non minus adhortati sumus, ut malum tollatur, quam exempla protulerimus, quibus hoc hominum genus imperitis fieret cognitum. *Καὶ ταῦτα μὲν ταῦτα.* Contra *Struthionem* apologiam excudet chalcographus ante natalem diem Domini. Expostulationem latinam ad *Lutherum* nondum orsi sumus; dabimus tamen, si Dominus velit, ad nundinas *Francfordenses*. *Plutarchi* vitas arbitror utiliter legi posse; at exemplar *Aldinum*, cum sit nimis carum, praestaret, ut *Cratander* in duos tomos scinderet, ac ad dictas nundinas priorem daret, posteriorem ad autumnales. Si ergo *Argentinenses*, *Basileenses*, *Norimbergenses* nostrum consilium approbarent, fieret ut centenarium unum aut alterum certo se venditurum sciens ocius ad hanc operam sese accingeret. Mihi certe omnes auctores contemplanti unus iste videtur, non tam ob stilum, quam ob argumentum honestissimum, graeculis nostris manibus terendus. Valete fratres carissimi, ac Dominum pro nobis orate. Penultima Novembris ad lucernam 1526.

Huldrichus Zuinglius, Vester.

CI.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Gratia et pax a Christo. Perquam gratum mihi rem fecisti, frater dilecte, quod literis tuis aliquid sollicitudinis nostrae ademisti. Nuntiat enim rumor ferme graviora, et nobis salus tua plurimum curae est. *Capito* iterum atque iterum de rebus tuis certior fieri petivit, sed nihil certe habebam, quod responderem. Nunc, Deo laus, uterque tranquilliore animo erimus, qui faxit, ut hoc malum isthinc et hic propediem tollatur. Nullis opinor temporibus Mammonem tam impudenter evangelico negotio sese opposuisse. Quantos sibi addictos habeat, non ignoras forsitan. Expectant in singulas horas, quando expiret, quem crucifigunt et blasphemant. At meliora piae et sanctae plebi speramus daturum nostrum, qui in coelis est patronus. Terrent exteri, *Caesaris* et *Ferdinandi* fortuna, a quibus novas minas in populum Dei et urbes Evangelium amplexas referunt. Sed assueta est invicta Zion audire blasphemias, precibusque expugnare armatos.

A *Wittenberga Argentinensibus* nihil aliud allatum est, praeter inhumanissimam illam epistolam qua *Bucerum*, sincerissime et optime meritum, ingratissimus flagellat. Praemiserat hic noster in tomum quartum Lucubrationum *Lutheri*, quas latinitate donarat, praefationem, christiana mansuetudine et pietate renitentem, eruditionisque plenam, et in ea submonuit et de Eucharistia, cum honesta Tui ac mei memoria. Id tam indigne fert homo ille miser, ut furoris sui nullum esse sinat finem. Misit eam epistolam *Secerio*, typographo Hagenoiensi, ut si illam *Hervagius* nolit imprimere, ipse imprimat. Visum autem *Bucero*,

ut *Hervagius* excudat, sed antidoto *Buceri* adiecto, nempe apologia, qua et *Pomerani* criminationi respondebit. Donet Christus ut feliciter! Quem non terreret iudicium Domini? Si enim cedros Libani ventus sic prosternit, quis suis viribus deinceps confidet? Tuum erit, mi frater, epistolam bene expendere, et furibundas voces, quas contemtissime in nos, tanquam adversarios Christi et regni eius, iacit, non dissimulare, sed christiana mititate amoliri. Maxime autem illum perpetuum tenorem: APERTA VERBA, dextre tractabis.

Quae contra *Struthionem* scripsisti, fac quamprimum habeamus. Mitto sermonem de invocatione Sanctorum, in quo *Fabro* respondeo. Spero autem ex eo liquidum fore, nos in ea re nihil dissidere, et si forte Tu mendaciis illius responsurus es olim, in hoc nihil morari habeas.

Adhuc constans fama est, *Disputationem Badensem* depravatissime impressam *Tubingae*, solis adversariis nostris, sub arctissimo sacramento, communicari. Aiunt et *Schaffhusiae* aliquot exemplaria esse. Quam traduceretur ἡ τῆς ἡμετέρας χώρας πίστις, scribe de ea re *Bovillo*.

Cratandrum nondum conveni, sed vereor illi non esse commodum, ut det nobis *Plutarchum*. Nunc sub prelo habet *Hesychium*, antiquum doctorem in Leviticum, qui in re Eucharistiae bene nobiscum facit, item *Zachariam* meum et *Theophylactum*; fortasse post Pascha nobis morem geret.

Baldassarem Waldshutanum ferunt rebaptizasse Nobilem quendam in *Stiria*, et adhuc dogma suum stabilire. Audivi, quae in Te moliantur miseri Catabaptistae, nec dolui. Manifestant enim insipientiam et malignitatem suam, quibus se ipsos, non te perdunt. Oportet nos variis modis exerceri. Incidi nuper in dialogum quendam, quem in me et fratres *Basileenses* idem *Balthasar* expuit. Interceptus est ipso fugiente. Sed nihil habet, quod urget, quam ut probemus Scripturis, ubi Christus vel Apostoli pueros baptizarint; alias convitiis et nugis et scommatis morbum prodit. Saluta *Pellicanum*, *Leonem*, *Myconium* ac uxorem tuam. *Basileae*, 1 Dec. 1526.

Tuus, *Oecolampadius*.

CII.

GREGORIUS BÜNZLI ZUINGLIO.

Gratia et pax Tibi a Domino. Dilecte mi frater, tuis literis ac nuntio supervenientibus eodem momento dictum fuit, D. *Waltherum*[1] peste infectum. Quare concito adire eum cogebar, cordate autem nec alloqui gerulum, nec literas legere potui. Reperi *Waltherum*, uti erat nunciatum. Postea tamen, ubi magis tuam trutinavi epistolam, mentem et animum tuum intime sensi. Quid autem respondeam, quod Tibi satis fiat, per salutem animae meae non habeo. Ego namque, qui vix recordor hesternarum rerum, quomodo potero memor esse, quae acta tot diebus fuerunt? Nihil enim optabilius et magis eligibile, quam publicam iustitiam promovere, deinde tuo satisfacere desiderio non diffido, cum memineris,

1) Confer. epist. III, IV. anni 1511.

talia a me audisse. Sic sit, ego non memini, a quo Tu; per Viventem cordaque omnium scrutantem mihi minime constat. Ob id, mi *Huldriche*, aliter iudicare non velis, quam ego totus tuus, et non alius, quantus quantus sum; qua parte et tuas indico literas me noctem totam insomnem duxisse, an forsan occurreret, sed etiam labor vanus et inutilis. Precor igitur O. M. Deum, per quendam alium Tibi satis fieri, ut a tantis periculis liberatus, et victor contra dei publicaeque rei inimicos evadas. Vale. Obiit in Vigilia Petri et Pauli nostras . . . Iuvenis vero didicit profanum artificium sartoris. Ubi sit nescio. Salvos dic *Leonem*, tuam uxorem ac ceteros bonos, tuos ac meos fautores. Datum prima Dec. ex *Basilea* 1526.

Gregorius Bünzlius, tuus.

Frater mi, in Christo carissime! Si unquam aliquam cum Capitaneo *Fögili* ex *Wallenstadio* familiaritatem seu amicitiam contraxeris, scrutare aliquo medio ab eodem. Is enim succedere debuisset *W. Nussboumer* in pensione. Qui praeripuerit, ignoro. Est enim non ignarus omnium rerum.

CIII.

HULDRICHUS ZUINGLIUS IOANNI HANERO NORIMBERGIO S.

Gratia tecum. Quod ad binas epistolas tuas semel tandem respondeo, hinc est doctissime *Haner*, quod amici mei filius, qui secundam attulit, sic me inscio ad vos properavit, ut abeuntem mirarer nihil admonuisse profectionis. Ante hunc autem neminem habui, cui tuto credere omnia possem. Quae ergo de auspicanda amicitia civiliter ac docte agis, supervacanea esse scito. Is enim sum, qui gratiam potius debere debeam, quod nomen meum inter tuos patiaris amicos, quam difficilem aut superciliosum me exhibere. Primum ergo inter nos rogemus legem, ut *Haner Zuinglio*, et vicissim *Zuinglius Hanero* sit animae dimidium; liceatque utrique ad alterum quod Castori et Polluci, Theseo et Pirithoo. Quae de ipso pietatis fonte sancte ac pene divine disseris, tam abest ut asperner, ut unicam adversus *Lutherum* ancoram eiicere mediter; cum de suo languidum hoc telum, non ex armamentario Christi promit, carne Christi adesa confirmari fidem. Sic enim occurrere etiamnum statuimus: Qui credit in me, non sitiet in aeternum. Qui enim Christo fidit, non fidit eo, sed eo qui ipsum misit, Ioan. 12. Atque hoc unum est quo tendimus, cum probare volumus, eos qui carnem in Eucharistia defendunt, aut imbecillem habere fidem, aut si habeant, temere loqui. Ipsa enim fidei πληροφορία, sive firmitas, sive securitas, tunc adest animo, cum summo immutabili bono sic fidit, ut alio spectare nequeat, aliunde gratiam aut auxilium sperare non possit. Breviter omne tulit punctum, qui summo nititur bono. Non ergo fidem confirmare potest ulla creatura. Sed istud simul nobis negligendum non est, ut caveamus, ne Christomastiges videamur esse. Quae enim de fide in Christum aut eius mortem dicuntur, non spectant humanam in eo naturam. Quin et ipsa mors, quae oblatio est pro peccatis nostris, tam pretiosa non esset,

nisi is qui secundum unam naturam mortalis erat, secundum alteram vita esset. Cum ergo dicimus, nos carne Christi fidere, per carnem mortem intelligimus. Ac continuo morti fidere, κατ' ἀλλοίωσιν, hoc est commutationem, nihil aliud est, quam eo fidere Deo, qui secundum alteram naturam mortuus est. Ipseque haud scio, an quisquam dixerit carne Christi fidere pro Christo fidere. Unde quomodocunque sermones fingamus, fidei ipsius vis non in alio conquiescit, quam qui Deus est. Nam et neoterici Theologi hos cancellos nunquam transilierunt, ut admitterent puram carnem, hoc est, solam nimirum humanitatem Christi adorari adoratione λατρίας posse; quod non potest aliud esse, quam ea niti non licere. Nam quo niti licet tanquam summo bono, ipsum indubie adorari potest. Sed quoniam is qui filius Dei est, itidem est filius hominis, una ὑπόστασις, naturae tamen duae: fit ut humanitati sive carni tribuatur, quod solius divinitatis est. Ut cum Christus dicit, Caro mea vere est cibus: At animorum cibus esse nemo potest, nisi Deus. Cum ergo carnem ibi pro morte accipiat, iterum est communtatio ἰδιωμάτων. Neque enim mors Christi vivificare posset, nisi Christus simul vita esset. Atque hoc deest Iudaeis ac gentibus, quod Christum nolunt agnoscere Deum esse; et quod sub carnis proprietate de divinitate locutus est, non intelligunt. Carnem ergo Christi edere, est credere ipsum pro nobis mortuum esse. Verum quid hoc est? An non et Decii, Curtii, Codri pro aliis mortui sunt? Sed his niti nemo debuit. Creatura enim fuerunt. In Christo autem hoc est admirabile, quod cum Deus sit, per quem omnia creata sunt et gubernantur, etiam pro nobis mortuus est, qui vita erat omnium. Hoc ergo credere, ista bonitate summi boni salutare est. Quid ergo caro est? Symbolum ais. Hoc nimis leviter dixisti, quantum ipse video. Nam symbolum est alterius rei signum; Christus autem est ipsum salutis pignus ac veluti satisfactio. Id autem quomodo velim intelligi, accipe. Perinde iustus est Deus atque misericors, quemadmodum in Commentario nostro fusius tractatum est. Si dicas: qui Deo fidit, iam eius misericordia saginatur ac laeto fruitur ocio: misericordiam tenet, non veretur iustitiam. Respondemus: et iustitiam Dei timeri ac coli non minus oportere, quam misericordia niti. Sacrosanctam enim et inviolabilem aeque decet esse iustitiam atque misericordiam. Summae ergo atque inadulabili iustitiae cum nemo satisfacere, nemo eam demerere posset, iam ut ipsa inconcussa maneret hominique misericordia succurreret: Christum fecit Deus filium suum, qui pro nobis morte sua perlitaret, iustitiamque placaret. Caro ergo precium fuit pro peccatis nostris? Minime, si per carnem genus intelligas; sed caro Christi, hoc est, totus homo divinitati coniunctus. Nulla enim caro vivifica est; sed caro eius, qui vita natura est, vivifica dicitur propter naturarum unionem. Nam vita proprie divinitatis est, non carnis. Sed ferimus locutiones istas, carnem pro nobis dependisse, carnem Christi, (quam Ioan. 6. interim panem vocat, interim carnem) vitam mundo dare; et: Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi; et: Christus pro nobis passus est, et factus est pro nobis maledictum, propterea quod ista quidem divinitati irrogari fuit impossibile, non etiam humanitati. Quis enim flagris Deum maceret? sed cum is flagellatur,

qui Deus et homo est, ex ea parte caeditur, qua homo est; et ex ea salus currit, qua Deus est. Ea enim parte et summa ei data est innocentia. Quis enim de virgine, praeter eum qui Deus est, unquam natus est? Divinitas ergo est, propter quam Virgo parit. Quoniam autem hic de quo loquimur, deus et homo, unus est Christus, ne simus harum locutionum impatientes, quae de humana natura quidem dicuntur, proprie tamen de divina solummodo possunt intelligi, cum et Christum hanc commutationem servasse videmus, Ioan. 3. Nemo ascendit in coelum, inquit, nisi filius hominis, qui est in coelo. At non erat tunc in coelo, secundum inferiorem naturam; per filium ergo hominis natura Dei filium intelligit. Sic ergo mi *Haner* et nostram in hac re sententiam habes, non alienam a tua, quam quod nostra cavet, ne plus aequo videamur abiecisse humanitatem, in qua ille tam dira passus est. Nam etsi nihil aliud ex ea provenisset, exemplum tamen quod nobis, teste Petro, ut eius vestigia sequamur, reliquit, tanti esse debebat, ut non μικρολογώμεθα de Christi humanitate. Nunc autem cum velut instrumentum ac pignus est, cuius contemplatione irata nobis iustitia placatur (Quid enim negabit, qui proprio filio non pepercit?): nunquam debet fastidiosus sermo de illa e limine oris nostri prodire, cum et ipsa divinitas, per quam omnia sunt condita, atque adeo haec ipsa, de qua loquimur, humanitas per eam et condita, et in unitatem ὑποστάσεως, ut divini esset organum mysterii, adsumpta est, cum ea communicaverit quae sua sunt. Hactenus haec, quod ad Eucharistiam attinet, satis perspectum habemus, quo modo Evangelistae vestri eam causam agant. Qui ergo isthic feliciores estis, alia parte suppetias ferre debetis, quam qua isti tecti atque muniti sunt. Magistratus enim imperio, ne dicam violentia, ne veritas publice legatur, se tutos putant. Vobis ergo his bipennibus viam sternite: omnia probate, quod bonum est tenete; et 1. Corinth. 14: Caeteri adiudicent; et: Prophetarum spiritus Prophetis subiecti sunt, hoc est, Propheta Prophetam audiat, et ecclesia omneis iudicet. His ergo rutris sentes figmentorum humanorum excindite, ac ut *Oecolampadii* et nostri libri perinde legantur atque *Lutherani* et aliorum adversariorum, effectum dabitis. Quod ubi datum erit, iam nullo negocio reclamantibus cunctis hypocritis veritas in adfectus penetrabit ac vincet. Iam tandem vale etiam amicissime *Haner*, ac *Zuinglium* tuum quoties per occasionem licet, status tam Christi, quam tui, certiorem redde! Respondebit enim, etsi non protinus per occupationes, tamen aliquando. Salvos iube amicos omneis. *Tiguri*, 3. die Decemb. MDXXVI. Oremus pro nobis mutuo.

CIV.

ZUINGLIUS IOH. ZUICCIO ET AMBR. BLAURERO.

Gratia et pax a Deo. Audivimus iam crebro profectum vestrum, tametsi in rebus externis, quem quidam huius faciunt, haud quaquam circumspecte. Permittant enim ceremoniis locum suum! sentient brevi et Evangelii lucem obscurari. Duce ac exercitu e fuga servatis facile est bellum instaurare, caesis autem nihil aliud licet quam superatis esse

ac mortuis regnumque adversariis cedere. Sic si R. Pontificis exercitus salvus relinquatur, facile sperat, se omnia recuperaturum. Consilia igitur, versutias, artes omnes exerit, quo votis potiatur. At dissipatis imaginibus, vectigalibus illius ablatis, simul nervi eius, spes, conatus et quocunque tandem fidit, uno impetu labuntur. Ne ergo parvam rem fecisse putemus, cum externa exterminavimus. Iustitiam vero internam praecipue colamus, sed Domini incrementum dantis adventum praestolemur. Commendo vobis *Nicolaum Argentarium*, qui, nobis iudicibus, videtur paulo gravius atque admissi pondus commereatur, tractari. Uxorem percussit, at leviter etiamsi levem ob caussam. Si sic pergetis uxoribus credere, pessimum exemplum constituetis. Magistratum dixit se nihil reveriturum, quo minus coniugem verberaret, sed iratus id fecit; utque spem in Senatus praesidium, quam propter patrem senatorem filia nimirum habebat, eximeret. Uxoris bonae erat, mariti dicta non prodere; senatus aequi, si reliqua vita dissimilis esset, non credere contumeliis uxoris gratia in se iactis. Quod si vir esset maxime contumax, at hanc contumeliam oportuit vanitatem potius iudicare quam crimen. Tenetis me, fratres carissimi. Agite in hac re, si profuturum putatis, *Avienum* urbis vestrae a libellis adgrediamini, quo bono virunculo salvis adhuc reculis subveniatur. Non bene consulitur huic aetati divortio. Iungendi ac colligendi erant, si ipsi se disiunxissent. *Avienum* ac fratres omnes meo precor nomine salvos iubeatis, maxime germanos vestros. Valete per Dominum. *Tig.* V. die Dec. 1526.

H. Zuinglius.

CV.

CAPITO ZUINGLIO.

Gratia Tecum carissime in Deo frater. Nos hic metus habuit haud inanis de statu vestrae isthic Ecclesiae, postquam nunciatum esset, quantum turbarum daret avaritia inimicorum et Papistarum profusio. Verebar equidem omnia. Reputavi mecum, quanti caussae involverentur, et quam difficile Tibi immunem durare ab omni affectu, periculosum autem, si quid, studio procurandae Ecclesiae, praeter exemplum ac praescriptum Verbi designasses; porro calamitosissimum fore piis omnibus casum tuum, sicut vicinus es discrimini omni, tot potentibus laesis. Duplex me spes confirmavit, quod de animo tuo omnia summa expectabam, et quod benignitatem Dei praesentissimam suis cognoscebam. Neque enim expectandum, inquam, ut Dominus tantam Ecclesiam, tot invicta pectora deserat, quae quidem deserta essent, Te illis erepto. Orandus Dominus, in portum aliquem tranquilliorem faciem publicam Ecclesiae ducat. *Iodoci* parens rem omnem descripsit ad nos candidissime, nihil affectui tribuens, qui esse erga fratrem potuisset, quas literas amicis spectandas circumtuli: adeo ex dignitate Verbi atque autoritate tua scriptae videbantur. Quae Tu scribis de torto in *Winterthur* et remora alias iniecta, hic non vulgabimus; tantum abest, ut suspicari queas ab isto tuo quid scriptum esse praeter decorum; amicum Tibi et Christo

discipulum iisdem literis se comprobavit. Ceterum dolco, *Iodocum* [1] alieniorem factum. Olfeci iuvenem amare, et forte habet, qui mollem animum in divorsum instigent. Concedas hoc aetati, quae rudior infirmiorque est: nam quantus illi sis, nobis identidem comprobavit. Quotics gesta per Te magnifice ac pie, summis laudibus vexit! Puellae mores probantur; sinceri, venusti et graves sunt, qui honestatem matronalem prae se ferunt. Det Dominus inter se eorum animi coalescant, ut solidum atque aequabile coniugium reddatur. Dignus est optima uxore, et haec marito tali. Quare res commodis blanditiis, h. e. arte et ingenio, quatenus ratio pietatis tulerit, tractanda videtur, ne magis metu, quam iudicio, perneget. Animadverte, qua sis autoritate, quam proclive deiici a gradu adulescentis animum, et quoties usu veniat in rebus humanis, ut initio leniter, progressu temporis odiosius infitiemur factum. Id moneo, quod me rerum peritior, haud dubium acutius, praecogitasti. Dispiciam mecum, an et ipse quiddam huius ad istum scribam, et fortassis ad parentem. Nam, ut historiam Iliadis huius captae a puella hactenus audirem, otium non fuit prae incommoditate valetudinis. Dabo tamen operam, ut singulas fabulae partes, quatenus ad rem sit, perdiscam, his absolutis. Placet satis, quae in adulteros Senatus vester statuit, neque movet ultimi supplicii productio. Quid fieret enim in tanta morum corruptela! Assiduitas Verbi dabit repugatiora olim. Ostentabo eas literas, ceu velites nostrae pugnae, quam cum adulteris instituimus. Pestis hic nonnihil inolescit; aestate duram expectamus. Impii diffugient, pii praestolabuntur nobiscum Domini voluntatem. Ibi agetur, quod superiori tempore pacis actum oportuit. Aspiret Dominus gratiam, ne quid studio carnis conemur, cui vehementer obnoxii sumus.

De *Plutarcho* scribam *Cratandro*, nos curaturos, ut publice praelegatur, auditorio non omnino infrequenti. Facile distrahet istic et apud nos exempla centum, et suos interim mercatores habet, quibus reliqua obtrudet, imo divendet cupidis. Egregius enim auctor est et passim graecissant modo.

Ioh. Denkius hic nobis turbas dat, homo vafer et varius, qui magna fide atque autoritate traducit omnes undique Verbi ministros. Spiritum talium hominum non intelligo, nisi quod sciam, ex Deo non esse, qui nobis praecipuum Christianismi adimunt, neque fiduciam in passionem Domini relinquunt.

Missa hic debit aliquid negotii. Nescio quid subodoror, nec dum enim certum explorare potui: nam de abrogandis reliquis quinque agitur modo per Senatum. Ad publicum forte colloquium res deverget. *Bucerus* et Fratres Te salutant. Orestis *Saxonici* furores, opinor, ab *Oecolampadio* accepisti pridem. Vale in Domino. X Dec. 1526.

V. Fab. Capito.

CVI.

AEGIDIUS A PORTA ZUINGLIO.

Gratiam et pacem, per Iesum Christum, Dominum nostrum. Voluptatem haud quaquam vulgarem cepi ex Tuis literis, mi *Huldrice*, tum

[1]) *Brennwald.* Vid. epist. Capitonis ad Zuingl. d. 22 Ian. 1527.

quod erudierint me de nonnullis, super quibus iam pridem Te rogaram, tum quod indices Tuae istius pietatis extiterint. Prudentissime egisti, opinor, cum profectionem nostram neque prohibere ausus es, neque iubere. Aeque enim meum ignoras holocleruin, atque conditionem, quae quidem (parentibus ad id minime conniventibus) pauperior esse non potest. In hoc poteris nobiscum ad Deum preces fundere, ut, quantocius sibi placuerit, suam ipsius fieri faciat voluntatem. Agnosco nihilominus Tuum istud amicabile pectus, quandoquidem fidelem promittis, si venero, operam. Confido, quia lignum hoc, plantatum secus decursus aquarum, fructum suum dabit in tempore suo. Testamentum praeterea quod vertimus, dubito quin diutius expectabis, quam voles: a sexcentis enim fere negotiis praepedimur. Modo namque mittimur ad sordidum quaestum, modo ad horas, ut loquimur, Canonicas; modo huic, modo illi per pagos ac plateas erranti destinamur in socium; atque ita bonam temporis partem in rebus nihili absumimus. At quo, quaeso, pacto fiet, ut excussum undiquaque mendosum haud exeat, nisi *Italicus* quispiam adfuerit, qui et legat, et quod legit, intelligat? Puto, quum hic calcar abunde satis acutae cuspidis erit ad urgendam nostram istam profectionem. Sed missa haec faciamus. Excitavit in me Dominus spiritum suum, quem vult per Te perficere. Ego quod a me requirit impleo, his nimirum scriptis revelando; Tu autem ad sublimiora vocatus videris, nisi quod reliquum est, per Te fuerit fideliter adimpletum. *Mediolanum* ac universi fines eius, ob nimia, quae passum est nuperrime, bella, eo usque depauperatum est, ut quam plurimis etiam ex his, qui fuerant mediocris fortunae, hominibus nunc non suppeditet ad victum sua ipsorum mendicitas. Taceo de iam pridem mendicis, quorum multitudo fuit innumera. Nullus quoque finis est mulierum propter egestatem se prostituentium. Denique facta est haec manus Domini adeo gravis in populo, ut impatientia fracti homines fere sibi licere putent, quavis iniuria mutuo afficere. Plaga certe admodum miserabilis, quam Deus curandam Tua opera providit hoc pacto: Scribes ad *Mediolanensem* Ducem, antea *Barbonensem*, hortatoriam Epistolam, et nisi audierit, comminatoriam, qua discat sibi subditis refectionem mentis iuxta et corporis providere: huius namque, tantam rasorum ac ventris animalium pecuniam (qua impinguati multi adversus Dominum Deum recalcitrant) auferendo, et in plebem, per viros ad id electos, dispergendo; illius vero, efficiendo, ut tuto possit, quoad in manu eius est, unus quisque purum Dei verbum praedicare; maxime si sit paratus reddere eorum quae dixerit rationem. Erit quoque hoc haud quaquam inutile ad excutiendum omnino, siquis scrupulus reliquus fuerit, in priore opere. Attamen, si tanta est hominis infirmitas, quo Deum ad ista connivere velle diffidat, vertat, roga, oculos ad ipsum iam iam ipsissimo opere accinctum, nempe *Germanorum* catervam, nihil magis appetentem. Potest quidem Deus, nullo utens instrumento, haec et his maiora facere; sed ut debiles, sic enim reor, in fide paulatim solidaret, huius generis seu fidei homines in unum coegit, veluti propinans eiusdem fidei instrumenta. Adde quod et facilius Antichristi robur enervabit. Confidit nimirum ille in multitudine divitiarum suarum,

quibus revera utitur in sui multorumque perditionem. Sub haec confratres nonnulli, viri certe et pietate et eruditione nequaquam contemptibiles, voto quodam divino aestuantes, efflagitarunt, quotidieque efflagitant, quo Te non rogarem modo, sed obsecrarem, imo per Deum adiurarem, sicut et facio, ut inter tot ac tantas occupationes Tuas vel horulam quoque nobis accommodandam suffureris. Quo quidem tempore ad nostri Ordinis, ne dixerim Sectae, Rectores scribas epistolium, rationibus quibus poteris validioribus eosdem avellens a tantarum legum sylva seu farragine; ita tamen caute, ne videaris eos ignorantiae accusare. Sunt quippe fastuosissimi, ob idque sua nervea colla rotarent. Proinde e Scripturis exempla aliqua ob oculos oppone, quibus intelligant, vel quam Deo arrideat verbum suum impermiste seu pure praedicatum, vel quanta indignatione illud idem adulterantes, et sua pro divinis inducentes, persequatur. Hucque sermonem inflectere poteris, ut sua ipsorum salus a cordis radicibus nullatenus abscedat, cui nihilominus eorundem quoque damnatio usque sit annexa; itemque penitius expendant irati iudicis atrocitatem, nisi vale fecerint. timori cuidam exitiabili, amittendi scilicet bona forinseca, et alia, quaecunque divinus Tibi Spiritus afflaverit. Sit tamen epistola Tui similis, comis scilicet ac zelo fervida. Verum, ut quid sus instruit Minervam? Hi, Dominica tertia post Pascha resurrectionis Domini, in unum convenient, ut quae corrigenda sunt, corrigant, sua verba loquor, et quae viderint reformanda, deforment, volui dicere reforment. Literas huiuscemodi, si placet, ad nos dirigito, eisdemque hunc in modum superinscribito: Dilectissimis in Domino fratribus, Augustiniani nominis seu observantiae professoribus, ubicunque fuerint pro suo Capitulo celebrando congregati etc. Postremo fateor, quia erubesco non nihil, cum animum ad munera Tua, quibus iam secundo onerasti me, adverto, lucubrationes certe, si quid valet calculus meus, divinas potius, quam humanas. Nos etsi deficiant, quae Te deceant, habet tamen Christus, in cuius gratiam opinor ista largitus es, unde rependat. Vale in eodem Iesu Christo! *Comi* ex Aedibus divi Augustini 15. Decemb. 1526.

Tuus in Christo, *Aegidius Comensis a Porta.*

CVII.

BERCHTOLDUS HALLER ZUINGLIO.

Gratia et pax a Deo, carissime Huldriche. *Lucii* [1] negotium, quam feliciter transactum sit, ipse coram referet. Senatus noster cum 200 in festo Andreae decreverat ut hebdomadatim per Adventum et Quadragesimam solitis concionibus tres adderem. Quod quum paratissimo animo susceperim: urgent nonnulli ut Cooperator mihi iungatur, quem cum ex *Bernatibus* omnino habere non possim, opus erit, ut pro fratre extraneo laboremus. Commodissimus autem huic provinciae subeundae esset *Franciscus Kolb.* Sed id obstat: undecunque mihi assumam cooperatorem, patriae respectus tantus est apud Oligarchas, ut quam

1) Verosimiliter *Tscharnerus.*

primum utrumque amandent Rusticorum et Helvetiorum suffragio, quemadmodum et novissime attentatum erat, et cum *Sebastiano Meyer* itidem contigit. Sic enim Verbum Domini quotidie crescit, ut non credam, Diacosiorum decreto quippiam posse in contrarium agi. Tu igitur consule quantocius poteris, et age, ut hactenus semper, pastorem pro nostra Ecclesia mire sollicitum. Paratus sum ego fratrum consensu hebdomadatim quatuor conciones habere etiam extra praefixum tempus, quo sermo Dei fortius currat, et animatiores reddantur, si qui nunc sunt cordati, iis vero colla nonnihil confringantur, qui nunc omnibus viribus adversantur. Num igitur melius sit me sic agere, aut mox pro cooperario laborare, Tu indica. Paratus sum obsequi. Ceterum hac hora conveni *Tilmannum* e *Lucernanis* comitiis redeuntem, e quo tantum percepi, quod *Helvetii* Acta Disputationis iam sub prelo sudantia excusa omnino dare velint. Spero equidem *Bernates* non accepturos, nisi addito Originali, cum quo saltem impressum conferre liceat. Quicquid Tibi visum fuerit, nobiscum procul dubio communicabis. *Guolfgangus a Madiis* et *Thomas* noster *Wyttenbach* ad superos concesserunt. Vale! Ocyssime *Bernae* 17 Dec. 1526. Salvus sit *Röstius*, *Leo*, *Megander* et omnes. Salutant et Te *Trempius*, *Nollius*, *Huggius*, *Wattenwilli*, *Tilmannus* et omnes.

Berchtoldus Hallerus, ex animo tuus.

CVIII.

IOHANNES HANERUS ZUINGLIO.

Gratia et pax. Iam tandem post diuturna mea desideria redditae sunt mihi literae Tuae, [1] *Zuingli* eruditissime, quibus coeptam inter nos amicitiam gravibus aliquot sententiis et exemplis confirmas. Eam opto nobis in Christo fore perpetuam. Quoniam autem Te semel votis meis permisisti, non dubito, crebriorem Te mecum literis futurum, modo temporis simul et nuncii opportunitas hoc ferat. Quod autem mea illa priora usque adeo vehis et commendas, non merentur illa tam candidum calculum, neque ego hanc laudem agnosco, ut qui didicerim me mea metiri umbra. De *Luthero* quod scribis, expecto ex Te et fratribus, siquid forte in hunc adornas, missurus contra, si quae in publicum ille protruserit. Audio autem, hunc totum in *Oecolampadium* incumbere, missione data auditoribus, ut omnes ingenii nervos huc solum intendat. Ego omne huius causae pondus et argumentum in eo situm esse arbitror, sitne corporalis piorum cum capite Christo unio, utpote quae non tantum constet unitate Spiritus in vinculo panis, sed et reali ac corporali carnis et sanguinis Christi communione, ut scilicet nemo sit membrum de corpore, nisi caro sit de carne eius, et os de ossibus eius, etiam corporaliter participatis. Verum, si hoc ita est, quomodo, quaeso, Christi corpus mysticum erit, et Ecclesia res omnino spiritualis, ac tota in spiritu? Deinde, qualiter quaeso hac ratione Sanctus Domini corruptionem in membris non sentiet, si huius caro

---

[1]) Confer. epist. CIII.

realiter et corporaliter illis unita est? Docet quidem Apostolus et precatur, ut per fidem Christus cordibus inhabitet, caeterum de corporali et reali huius immanentia nihil, quod sciam, meminit. Et haec sunt, humanissime *Zuingli*, quae hodie etiamnum me morantur, praesertim, quod videam, nullum fructum corporalis praesentiae Christi in Sacramento redire ad fideles, nisi necesse sit ponere realem et corporalem membrorum cum capite Christo unionem, de quo Tu videris. Caeterum, de nostro argumento, quoniam multum per occupationes non datur, saltem paucis illud ac leviter attingam, de eo tamen postea acturus fusius. Agnoscimus nos duas in Christo naturas, easque in una hypostasi unitas profitemur, verbi scilicet et carnis, sic tamen, ut per illud neque permisceamus naturas, neque proprietates carum confundamus: alioquin ecc. idisses Tu a causa Sacramenti. Sequeretur enim: Verbum est ubique. Ergo caro quoque Christi ubique est. Caeterum inductiones has non admittimus; causas eius Tu nosti. Esto ergo, Christum Deum confiteamur et hominem! per hoc tamen non sequitur, ut quod Deus est, homo sit; sic neque e contra, quod homo, sit Deus. Sic pariformiter, quae Dei sunt, hominis non sunt, nec de homine proprie, sed solum per alloeosin dici possunt. Caeterum, communicatio haec idiomatum, ut naturas non miscet, ita neque proprietates confundit. Deinde, quoniam naturarum illa unitas in sola verbi seu Filii personae hypostasi est; et fides vera in solum Deum feratur: hinc esse dicimus, quod vera fides non assumtum a verbo hominem, nisi ratione hypostasis personae, Verbi, sed verbum Dei filium adorat. Vides ergo, qualiter vera pietas in solum Deum assurgit, carnis tamen infirmitate propter nos indutum. Non ergo haec immemor est collatae in nos gratiae, neque tam iniuria Christo, ut carnem eius aspernetur, quam agnoscit promissum semen veritatem carnis nostrae, legalium corpus, sacramentum Dei, ac magnum illud et ingens divinae pietatis mysterium. Per haec tamen omnia salutem creaturae non defert, non confidit in homine, nec carnem ponit brachium suum, sed Deum, sed Dei filium ac verbum, quod solum virtus est et potentia Dei ad salutem omni credenti. Sentit ergo illa magnifica quaeque de Christi carne, ita tamen, ut virtutis eminentiam perpetuo deferat Deo, atque interim non obliviscantur veritatis carnis, adeoque assumtae formae servi. Ut enim haec singulari nobilitatis praerogativa peccati noxa caruit, speciem tantum carnis peccato obnoxiae habens: ita negari non potest, quin vera caro fuerit, et infirma caro, utpote quae alserit, frixerit, sudaverit, esurierit, moesta fuerit, obnoxia passionibus, caesa scil. flagellis, suffixa cruci, ac tandem vere mortua; quo fit, ut nihil de Christi carne supra carnem, quod fidei ratio non admittit, sentiendum putamus, ne scilicet, sicubi hac parte fuerimus immodici, non solum nonnihil decedat gloriae beati Dei, sed et carnis veritas hinc possit vocari in dubium. Ut ergo carnis veritas neque neganda ulli est, neque extenuanda, utpote quam fatemur benedictum semen, ac promissionis ac legalium etiam corpus et complementum, ac peccati hostiam: ita in Christi carne atque adeo in assumto homine, quicquid usquam est inclytum, augustum, sacrosanctum et adorandum, id omne fatemur in et per Deum esse. Deus enim fuit in Christo,

mundum et cuncta reconcilians erga se. Quod ergo in Christo humile et infirmum est, id omne de nostro et imbecillis carnis est; quae vero potentiae in eo sunt ac virtutis Dei, ea Verbi sunt & consubstantialis Filii Dei. Sic ut solus Deus sit bonus, solus iustus et iustificans eum qui est ex fide Iesu. Proinde sicut micrologiam super Christi humanitate detestamur, si per contemptum haec sint, ab impia quadam perfidia: ita licebit piis, pro Scripturae modulo, de Christi carne humiliter sentire, praesertim quod non alia quam sub servi forma hanc nobis spectandam imitandamque Christus proposuerit. Intra ergo cuiusque naturae praescripta manendum esse censeo, earumque terminos nequaquam confundendas esse. Quod si Scriptura per *ἀλλοίωσιν* loquitur, ad schema advertendum est, ac propterea nihil de veritate mutandum. Nam ut non statim unum quodque est quod dicitur: ita per Scripturae *ἀλλοιώσεις* naturarum vel subiectum vel proprietas neque permiscetur, neque confunditur. Et haec ad praesens satis. Tu, si per otium potes, ad hoc nostrum argumentum Te conter expeditius et deprehendes nonnihil sincerae cognitionis Christi nobis deesse. Male enim metuo, carnis sacramentum plerosque morari, ut ad Spiritus recessus et veritatis abdita penitus non introeant neque assurgant. Vale, et *Oecolampadium* officii sui commone, et urge, ut me suis literis salutet. Tu reliqua ex me per opportunitatem expecta et quamprimum potes, si quid novi habes, rescribe. E *Nerobergo* XVIII. Dec. 1526.

Tuus ex animo, *Ioh. Hanerus.*

Saluta pios ac doctos omnes.

Inscriptio: Celebri ac perhumano viro, *Udalricho Zuinglio*, Tigurinorum Ecclesiastae, amico suo sincero et observando.

CIX.

OECOLAMPADIUS ZUINGLIO.

Salve in Christo, mi *Huldrice.* Resignavi litteras Tuas ad Fratres *Argentinenses*, et placet tandem aliqua via communicandam orbi disputationem. Sed bonus ille vir, *Murnerus*, dignus est cui commendetur. At expectabimus, qua fide provincia sua fungatur. Nostrates parvam inde gloriam tracturos vereor; et certe non tam nostro, quam illorum nomine, utcunque de me sentiant, doleo. Poterimus enim parvo labore, quidquid in nos comminiscuntur vel statuunt, declinare, ut Evangelicae causae non solum non obsit, sed et prosit. Utinam statim exemplar adipiscamur. Iam quomodo satis laudabo *San-Gallensium* exemplum in abolendis imaginibus et missis. [1] Nos hic conamur. Sed maior est ira Dei, quam ut verbo efficiamus aliquid. Ferendum nobis iudicium Domini, donec magis propitius fiat. Adversarii nostri semper impune sua mendacia docent ac praedicant, et est populus qui diligit talia. Satis interim sit bonam partem pure Christo favere.

---

1) Quinto die Dec. simulacra publico mandatu per homines certos emota e templo S. Laurentii; qui vero nonnulla suo arbitrio noctu abstulissent, mulctati sunt. (Hott. H. E. Vol. 3. p. 337.)

Nuper amicissimis litteris a Suffraganeo *Frisingensi* [1] petebamus, ut ex Scripturis vel doceret, vel nos audiret docentes de his, quae de iudicio Ecclesiae plebi dixerat, et nos fere periclitati fuissemus. Ita nulla via est, qua redigantur in ordinem, qui nobis contradicunt. Plerique nunc liberius docemus, ut vel accusatos convincere cogantur. Sed surdis fabulam. Tu, si quam viam excogitare potes, ut hic tandem concorditer doceatur Christus, fac sciamus. Inter nos quinque [2] satis convenit, ut quique pro sua virili nihil intermittamus, quod ad gloriam Christi attinere videtur. Hos semper impedit, quod pseudoprophetae contra nos foventur. Fratres *Argentinenses* saepe scribunt, ut moneam amice, ne *Lutherum*, ut meretur, tractes, sed ut nostra, hoc est Evangelii causa, poscit, quae modestos Ministros cupit. Verum mihi apud Te hanc provinciam subire supervacaneum videtur. Moderaberis ipse stylum. Quid gravius dicere poterit *Lutherus*, quam quod nunquam serio Christum vel cognoverimus vel docuerimus? Non licet igitur tacere, sed minus expedit iniuriam retaliare. Spiritus Christi te ungat et doceat. Mittito nobis, quod *Struthioni* respondisti. Vale. *Basileae* die XXIII Dec. 1526.

Tuus *Oecolampadius*.

CX.

ZUINGLIUS CAPITONI ET FRATRIBUS ARGENTINENSIBUS.

Gratia et pax per Dominum. Excuditur Disputatio *Badensis* ut fama est *Lucernae* cum impudentissimo praeiudicio: praefigitur enim praefatio non tantum stulta et indocta, sed etiam adeo contumeliosa in *Lutherum* atque nos, ut nihil unquam sit inauspicatius ac ominosius visum. Deprehensus est quaternio hesterna die, quem *Murnarus* mittit Wychbischoffio *Constantiensi*, septimus nimirum: est enim G. litera insignis. Scriptus et in tergo nec dum finitus Horestes. Nos laeti sumus solummodo ut prodeat, quacunque tandem ratione, quo mundus videat non modo perfidiam sed etiam violentiam audacissimam hominum. Gestit mihi animus ad hanc pugnam, non ut ambiat vel certamen vel victoriam quam tibi polliceri arrogans sit, nisi scias cui credidisti, sed quod nihil prorsus ambigam, retectum iri aliquando artes non modo Pontificiorum sed nebulonum quoque; nobilium dicere debui. Id enim ni fiat, non video tantum pectoris in quibusdam hominibus, ut imminentibus malis audeant occurrere. Clamamus omnes Christus, Christus, sed nolumus esse prudentes sicut serpentes, etiamsi sint quidam non tantum columbis sed lusciniis candidiores. Coniuncta oportet quae Christum coniunxit. Cupiam aliquem fidum ex vestris apud nostros vel unam horam esse, cui diceremus consilia prudentiae istius nostrae plusquam morychinae; at quantulaecunque, neque tamen inanis. Victoriam esse arbitror in manibus, ni legere pigeat. *Sanctogallenses* magno consensu extulerunt simulachra sua. Missam dudum

[1] Marius. [2] Evangelicis praedicatoribus.

fecerunt missam. *Rhaeti* in dies proficiunt, gens animo veteres Tuscos referens, candore veteres Helvetios. Propediem et missam et simulachra sic amandabunt ut eorum memoriam perinde sint habituri, atque pridiani somnii. Nobis omnia sunt et tranquilla et tuta, non tam adversariorum metu, quam caussae nostrae confidentia. Solemus enim si pii sumus securitatem non ex hominum negotio sed ex fide pendere. Valete ac constantes estote. *Tiguri* ea hora quae eclipsin antecessit, quandoquidem ad lunam omnia metimur. 1526. Salutat vos omnes *Oecolampadius*. *Farellus* agit in *Aelin*, annunciat Verbum Domini. Modo non plus vacat scribere. Catechismus puerorum maxime fratribus probatur. [1] *Adam Petri* pauculos quosdam sermones excudit.

Adversus *Struthionem* absoluta est nobis apologia, non etiam τυπογράφῳ. Expostulationes ad *Lutherum* expectent nundinae *Francfordinae*. Exercemus nunc ungues; tunc autem quicquid blandum est.

CXI.

CAPITO ZUINGLIO.

Gratia et pax. Disputatio iam exibit perquam opportune; praesertim virulentis praefationibus onerata, adeoque laetor, *Lutherum* et *Zuinglium* ex aequo esse illis haereticos. Nam *Witenbergenses* inde sument suae improbitatis, opinor, velamentum. Quid quaeso respondebunt suis ipsi conscientiis, qui modo nos haereticos faciunt, propterea quod non in illorum verba iuravimus. Agit modo *Lutherus* frequentibus sermonibus, quos edit, ut per intervalla, obiecta sua autoritate, homines ad se deflectat. Moderatione tamen opus est nobis vel hoc nomine, quod ille omnem modum excedit. Neque hic partibus nostris deesse libet. Cum *Iohanne Denkio* die XXII huius mensis nobis colloquium fuit. Exposuit libellum suum vaferrime: ait, negat, affirmat, inficiatur mira industria. Verum nobis satis fuit id audiri, quod fatebatur, in praecipuis rebus nihil a nobis dissentire se, cum tamen revera longissime dissentiat. Nostram certe Ecclesiam conturbavit vehementer. Vita in speciem castigata, dexteritas ingenii, habitudo in agendo decens mirifice vulgum perstringunt. *Bucerus* fere solus egit, quod in me plerumque adversarii intenderent, et illi agilitas ingenii expromta suppetit, ut alioqui commodius ad illum huiusmodi tumultuariae disputationes pertineant. Ad haec haud omnino probabam, quod inscio magistratu apud variam plebem id ageretur, quae novis fere rebus delectatur. Iussus est hinc discedere. Discessit heri. Motum post se aliquem reliquit; sed facile componentur reliqua diligentia et cautione. Est autem quod neutiquam in illis excusare sufficio, quippe quod ex proposito videri nolunt pugnare Scripturis, quas nos, tanquam testimonia doctrinae spiritus, quae nobis donata est, proferimus. Sentio inauditam pertinaciam et odium inexpiabile adversus omnes, qui Verbum praedicant, neque probare illos posse fidei doctrinam. Audio istic duos

---

[1]) Hic Catechismus cum precatiunculis 1544 demum typis excusus in lucem exiit. Myconius eum reddidit latine cum annotationibus.

captos, quanta quaeso audacia, post tot edicta moliri eiusmodi: nam spiritu bono non aguntur. De Colloquio, quod adumbras, dispiciemus. Adiuratissimis amicis, uni atque alteri, rem concredemus. Pluribus haud expedit. Adeoque certus sum, nihil futurum ex omnibus adversariorum consiliis. Verum quod opus facto putares, confectum curarem pro viribus, modo a Domino daretur. Potissimum autem opera danda, ne quid clancularüs technis intestini dissidii commoveant: nam eos arietes vehementissime intendunt. Misi per *Iodocum* literas, et rationem vel secretissime scribendi; tametsi praefero institutum tuum. Committe graeca, latina, hebraea et interim dictiunculam praecipuam inverte, aut obliquo ductu expone, ut deprehensae etiam quolibet enarrari queant. Etiamsi non magnopere illorum insidias verear. Scribere enim audeo quidvis ad te, quod ad usum verbi et commodum istius clarissimae reipublicae putaro, modo sine alterius periculo liceat. Quod *Rhaeti* et *Sanctogallenses* pergunt, hic publicamus in gloriam Domini. Reliqua vero pro loco pandimus. Iuvenis, qui has perfert, est tui amantissimus: nam ultro ambivit meas ad te. *Martinus Cellarius* hic fuit, quem hactenus tibi amicum semper putavi; verum sic se gessit, ut hominem vehementer amplectar. Vale. XXVI. Dec. 1526.

V. Fabritius Capito, tuus.

His literis *Oecolampadius* sua adscripsit manu.

Tuas literas reddidit *Hieronymus Rhaetus*, quum et illae *Capitonis* redderentur. Bene hic habemus pro nostro more. Expectamus, quid *Lucernatum* conventus pariat. Est mihi negotium quoddam non mediocre. Praesens consilium tuum audirem; [1] absens precibus ero contentus. Fiat voluntas Domini. Tu vale cum *Pellicano*.

---

1) Oecolampadius matrimonium dccendum cogitabat. Conf. epistola Capitonis ad Oecol. 22 Ian. 1527.

3 2044 052 816 477

ZWINGLI, Ulrich
Werke.

608.2
Z98.1
1828
v. 7
cop. 1